UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.

Parisiis, 1644

urn:nbn:de:hbz:466:1-15653

Visual Library

Th. 1001 a.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CONCILIORVM

TOMVS VIGESIMVS NONVS.

Ab anno MCCCXVI. ad annum MCCCCXXIII.



PARISIIS,
E TYPOGRAPHIA REGIA.

M. DC. XLIV.

FERDINANDVS Dei et Apostolicæ sedis gratiâ Episcopus Paderbornensis, Coadjutor Monasteriensis, S.R.I. Princeps, Comes Pyrmontanus &c. Theodoriano Societatis Iesv Collegio Paderbornæ donavit Anno 1673. 29 Dec.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

INDEX CONCILIORVM
QVÆ IN HOC TOMO XXIX. CONTINENTVR.

Pontifices.	*Anni Christi.*	*Concilia.*	
IOANNES P. XX. vulgo XXII.	1316		
	1317	Concilium Rauennate IV.	*pag.*28
	1322	Concilium Palentinum.	69
	1324	Concilium Toletanum.	111
	1327	Concilium Auenionenſe.	117
BENEDICTVS P. XI. vulgo XII.	1334		
	1339	Concilium Toletanum.	121
CLEMENS P. VI.	1342		
	1347	Concilium Toletanum.	131
INNOCENTIVS P. VI.	1352		
	1355	Concilium Toletanum.	136
VRBAN. P. V.	1362		
GREGORIVS P. XI.	1370		
VRBANVS P. VI.	1378		
	1386	Concilium Saltzburgenſe.	150
	1388	Concilium Palentinum.	160
BONIFACIVS P. VIII. vulgo IX.	1389		
INNOCENTIVS P. VII.	1405		
GREGORIVS P. XII.	1406		
	1409	Concilium Aquileienſe.	184
		Conciliabulum Aragoniæ.	186
		Concilium Piſanum.	188
ALEXANDER P. V.	1409		
IOANNES P. XXI. vulgo XXIII.	1410		
	1414	CONCILIVM CONSTANTIENSE GENERALE.	232
MARTINVS P. III. vulgo V.	1417		
	1420	Concilium Saltzburgenſe.	667
	1423	Concilium Senenſe.	722

INDEX EPISTOLARVM.

IOANNIS *papæ XX. vulgo XXII. vita.* pag. 1
Epistola I. Ioannis papæ XX. de beatitudine. 3
Epistola II. Ioannis papæ XX. ad vniuersos fideles. 4
Epistola III. Ioannis papæ XX. ad capitulum ecclesiæ Pragensis. 9
Epistola IV. Ioannis papæ XX. ad vniuersum clerum. 15
Epistola V. Ioannis papæ XX. ad episcopum Olomucensem. 17
Epistola VI. Ioannis papæ XX. ad episcopum Pragensem. 21

BENEDICTI *papæ XI. vulgo XII. vita.* 118
Epistola Benedicti papæ XI. 119

CLEMENTIS *papæ VI. vita.* 126
Epistola Clementis papæ VI. ad omnes archiepiscopos, eorumque suffraganeos. 127

INNOCENTII *papæ VI. vita.* 135

VRBANI *papæ V. vita.* 138

GREGORII *papæ XI. vita.* 139

VRBANI *papæ VI. vita.* 140
Epistola I. Vrbani papæ VI. ad archiepiscopum Colonienſem eiusque suffraganeos. 142
Epistola II. Vrbani papæ VI. ad vniuersitatem Parisienſem. 146
Epistola III. Vrbani papæ VI. ad capitulum & clerum Leodienſem. 148

BONIFACII *papæ VIII. vulgo IX. vita.* 174

INNOCENTII *papæ VII. vita.* 175

GREGORII *papæ XII. vita.* 176
Epistola Gregorii papæ XII. ad Petrum de Luna pseudopapam. 177
Epistola I. Petri de Luna pseudopapæ, dicti Benedicti XIII. ad Gregorium papam. 179
Epistola I. eiusdem ad Paulum dynastam Lucensium. 182

ALEXANDRI *papæ V. vita.* 229

IOANNIS *papæ XXI. vulgo XXIII. vita.* 230

MARTINI *papæ III. vulgo V. vita.* 666

IOANNIS

Anno Christi 1316.

VITA ET EPISTOLÆ IOANNIS PAPÆ XX. VVLGO XXII.

IOANNES huius nominis vulgi sententia XXII. ante electionem Iacobus Caturcensis dictus, natione Gallus, tenuis fortunæ parentibus ortus, corpore paruus, sed virtute & scientia maximus, post interregnum biennii, ex episcopo Auinionensi Lugduni pontifex creatus, ac ibidem in cathedrali ecclesia coronatus est septimo Idus Augusti, anno Domini 1316. regnante Ludouico IV. Auinionem profectus, octo cardinales mense Decembri ordinauit. Ludouicum Caroli II. regis Neapolitani filium episcopum Tolosanum inter sanctos retulit, Tolosamque metropolitanam fecit, episcopum Limonensem, & abbatiam sancti Pontii, archiepiscopatui Narbonensi attribuit. Nouas dignitates nouaque collegia in ecclesiis instituit, ordinem Grandimontensem reformauit. Cæsarauguſtanam ecclesiam in Hispaniis in metropolitanam erexit. Ordinem militum Christianorum in Portugallia instituit, quos Mauris opponeret, quibus Templariorum bona & possessiones incorporauit. Diuos Thomas, Herfendensem scilicet & Aquinatem, ambos sanctissimos & doctissimos, sanctorum catalogo adscripsit. Deinde septem alios cardinales creauit. Edidit viginti constitutiones, quas Extrauagantes vocant, quarum vnica illa quæ incipit *Ad conditorem*, contra Nicolai IV. aliorumque prædecessorum suorum sententiam, in materia ad fidem non pertinente male definiuit, in rebus vsu consumptibilibus ipsum ius vtendi a dominio

earumdem rerum distingui non posse, adeoque ipsos fratres Minores in his rebus verum dominium habere. De animarum immortalitate, vt impudenter mentitur Caluinus, nihil vnquam perperam sensit aut docuit. Lactantii, Irenæi aliorumque orthodoxorum patrum auctoritate fretus, erroneam aliquando sententiam de animabus certo loco ante diem iudicii detentis ille sustinuit: sed cum eam decreto Parisiensis facultatis improbatam intelligeret, eam quæstionem pontificia auctoritate interposita definire statuerat; verum morte præuentus, inquit successor eius Benedictus, istud perficere nequiuit. Quin & Occanus imperatoris stipendiarius, a papa ob aliquos errores excommunicatus, qui propterea multa blasphemando & calumniando in eum scripserat, aperte profitetur Ioannis verba ista fuisse: Nunquam meæ intentionis fuit dicere aliquid contra fidem: & si aliquid diximus, totum extunc reuocamus. Eos qui affirmant Christum, eiusque discipulos nihil vnquam proprium in vita habuisse, excommunicauit. Glossulam cuiusdam, qui tertii ordinis fratres ad imitandam Christi paupertatem hortabatur, improbauit. Excommunicationis fulmen distrinxit in vicecomites qui Mediolanum vsurpauerant. Ludouicum quartum eius nominis Romani imperii regem natione Bauarum excommunicauit; tum quod vicecomitibus Mediolano tyrannice dominantibus suppetias ferret; tum etiam, quod, auctore Trithemio, vxorem cuiusdam viri potentis abstulisset, eamque Ottoni filio suo copulasset, vt eo pacto ducatum Carinthiæ & Tirolis ad mulierem iure hereditario deuolutum obtineret.

Ludouicus, ait Trithemius in chronico Hirsaugensi anno Domini 1327. Romam profectus, ibique a simplici quodam episcopo reclamante papa coronatus, in Concilio suorum Ioannem XXII. temeraria præsumptione deposuit, eumdemque hæreticum & schismaticum denuntiari cum feciſſet, Petrum Corbarium ordinis Minorum papam constituit. Qui post discessum imperatoris in Germaniam Pisis relictus, & a Bonifacio comite Pisano Auinionem ad Ioannem papam adductus, errore prius recognito, in carcere vitam cum morte commutauit. Ortonã ab Aretina ecclesia diuisit, eamque in episcopatum erexit.

Anathemate etiam notauit Nicolaum Eſtenſem Ferrariæ dominum, & Paſſerinum Bonacolſum Mantuæ tyrannum, qui ſtatum eccleſiæ diuexabant. Ioannem Vrſinum in Italiam miſit, qui Florentinos & omnes Guelphos in Bauarum armaret. Hic enim cum exercitu in Italiam traiiciens, Romæ coronã acceperat, antipapamque quemdam Petrum Corbarienſem ordinis ſancti Franciſci de obſeruantia creauerat, ac Nicolaum quintum nominauerat: qui paulo poſt per Bonifacium comitem captus,& Auinionem perductus, in carcere mortuus eſt.

Hoc impedimento liberatus, & Bauaro in Germaniam reuerſo, pontifex regis Galliarum auxilio expeditionem in Sarracenos promulgari procurauit. Dum vero huic rei animum intenderet, pridie Nonas Decembris anno Domini milleſimo trecenteſimo trigeſimo quarto, pontificatus decimonono, quarto menſe, ætatis vero ſuæ 90. Auinione animam Deo reddidit, ac in eccleſia cathedrali ſepultus eſt, magnum auri pondus relinquens. Amauit & ampliſſimis honoribus auxit Dinum Florentinum,& Gentilem Fulginatem, medicos excellentiſſimos, vt erat in viros doctos & præſtantes propenſus & officioſus.

EPISTOLA I.

IOANNIS PAPÆ XX.

DE BEATITVDINE SANCTORVM.

Ioannes epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

NE ſuper his quæ de animabus ſeparatis a corpore, & purgatis ante reſumptionem corporum, diuinam eſſentiam viſione illa videlicet, quam vocat Apoſtolus facialẽ, videant, tam per nonnullos alios in præſentia noſtra recitando & allegando ſacram ſcripturam, ac originalia & dicta ſanctorum illis alias ruminando ſæpius dicta ſunt. Aliter per nonnullos quam per nos dicta & intellecta, auribus fidelium inculcabantur. Ceterum noſtram intentionem, quam circa ſtatum animarum ſeparatarum habemus & habuimus, ſerie præſentium declaramus. Fatemur ſiquidem & credimus quod animæ ſeparatæ & purgatæ a

corporibus, sint in cælo cælorum regno & paradiso cum Christo in consortio angelorum congregatæ, & videant Deum facie ad faciem & diuinam essentiam clare, in quantum conditio & status patitur animæ separatæ. Si vero alia & alia contra materiam huius per nos dicta & prædicata vel scripta fuerunt, quæ quomodo illa prædicauimus vel scripsimus contra præmissa vel alia, quæ fidem concernant catholicam, sacramque scripturam, aut bonos mores, illa abnegamus, & determinationem ecclesiæ & sacræ scripturæ approbamus. Alias autem dicta vel scripta illa habemus, & habere volumus pro non dictis & scriptis, eaque reuocamus expresse. Ac prædicta omnia, & quæcumque dicta & prædicata fuerunt, vel scripta per nos de quacumque materia, vbicumque, & in quocumque loco, & in quocumque statu, quem habuimus & habemus, vel habuerimus, omnia submittimus determinationi ecclesiæ, ac successorum nostrorum. Nulli ergo omnino liceat hominum hanc paginam nostræ declarationis & constitutionis infringere, vel *ei ausu temerario contraire. Datum Auinione tertio Nonas Decembris, pontificatus nostri anno XIX. Hac siquidem reuocatione facta, statim die & hora supradictis expirauit, &c. *eam

EPISTOLA II.

IOANNIS PAPÆ XX.

AD VNIVERSOS FIDELES,

De bello Saracenis inferendo.

Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, vniuersis Christi fidelibus, præsertim neophytis & catechumenis, ac omnibus Christianitati adhærentibus, ad quos patentes literæ, bulla sedis apostolicæ præmunitæ peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

FILII quos genuit Iesus Christus, non per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per suum proprium sanguinem, cum a damnationis crimine mortalium versa vice, in sua cruce vnda sacrosancti sui sanguinis nos redemit. Noueritis nos absque hæsitatione aliqua infideli, quod nos a sapientissimo & Christianissimo barone dile-

cto filio nostro Philippo comite d'Aniou, filio secundum carnem victoriosissimi viri domini Caroli de Valois, habuimus & recepimus, & coram nobis & confratribus nostris cardinalibus in pleno consistorio de verbo ad verbum legere fecimus quasdam literas legitimas & integras, in quibus continentur quæ sequuntur, in hunc modum.

Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri ac domino, domino Ioanni sacræ Romanæ ecclesiæ summo pontifici, omnibusque Christi alumnis, Philippus comes d'Aniou.

Sanctissimo (inquam) patri nostro prædicto, cum inclinato sanctorum pedum osculo supplicem per omnia famulatum, & dictis alumnis Christi eidem subiectis non fictam, sed remissiuam in Domino caritatem. Innotescant omnes in Christo fideles apud Deum, quod anno Domini MCCCXXI. die Veneris post natiuitatem B. Ioannis Baptistæ facta fuit horribilis eclipsis solis in comitatu d'Aniou & de Touraine, ita quod fere per quatuor horarum spatium illius diei sol esset inflammatus & rubeus tamquam sanguis; & in nocte illius diei luna foret deturpata & obscurata veluti saccus: ita quod crederent habitatores terræ, esse in nouissimo fine mundi. Nec non & in ipsa die audita fuerunt incogitabilia tonitrua, & ineffabiles coruscationes visæ: sic quod nonnulli viderunt quamplurimos ignium globos de cælo supra terram & supra domos cadentes: ita quod tecta palea cooperta in quibusdam locis sunt combusta, & fuit visus quidam draco terribilis in aere, cuius flatu & anhelitu fœtido gentes non modicæ sunt extinctæ. Insuper terræmotus in quibusdam locis fuit, & alias quod tota terra tremeret, ita quod tremore ipsius quamplurima hospitia super mare Angliæ situata corruerunt. Interea in crastino illius diei in comitatu memorato nostræ gentes cœperunt Iudæos propter imprecationes, quas contra Christianitatem perpetrarunt, inuadere: & inscrutantes diligenter domos ipsorum Iudæorum, in domo cuiusdam Iudæi, cuius nomen Bananias, in secretiori domus suæ loco, in quodam forti scrinio, quo thesaurum & secreta sua reponebat, inuenta fuit quædam pellis † mutonina, intus & foris Hebraice conscripta, cuius patentis literæ sigillum tale erat.

† i. veruecina

Laqueus ſigilli erat de ſerico puro coccineo, ſigillum annexum de auro probatiſſimo, in pondere nouemdecim Florentiæ florenorum. In ipſo ſigillo ſummatim & breuius procedendo, imago Chriſti crucifixi eleuata ſubtili opere erat ſculpta, & quidam Iudæus, ſiue Sarracenus horribilis, incuruatus, per ſummitatem cuiuſdam ſcalæ brachio crucis appodiatæ, cum duabus manibus femoralibus retractis ſuper genua, ſecretiora ſuarum natium (quod ſordidum eſt dicere) ante dulcis Chriſti faciem collocando. Cuius literæ tenorem gentes noſtræ minime curaſſent, niſi repente & ex caſu illud ſigillum longum & latum percepiſſent. Scripturam vero huius literæ nobis expoſuerunt duo Iudæi baptizati. Præſertim & idem Iudæus Bananias, cum ſex aliis Iudæis in literatura Iudaica ſatis peritis: non tamen voluntarie, ſed vi & metu. Cum tamen fuerunt grauiter ſegregati poſiti in quæſtionibus & tormentis, & pro conſtanti dicti Iudæi in huius literæ expoſitione ſatis ſufficienter vnum & idem dicebant, vel quaſi ſimilia loquebantur, quæ omnia tranſtulerunt tres periti Chriſtiani clerici in theologica veritate, de lingua Hebraica in Latinum, prout diligentius potuerunt: quæ verba fuerunt talia, & tot & tanta. Glorioſiſſimo ac præpotentiſſimo circuli huius mundi domino, domino Amicedich regi triginta & vnius regnorum, videlicet de Iericho, de Ierinocht, de Ay, de Irlem, de Lebna, de Lachie, de Gazer, de Hebron, de terra Geſſen, de Baſan, de tota terra montana, de Cadeſbarne, de vniuerſa Hethæorum, Amorrhæorum, Iebuſæorum, * Fereſcorum, & Cucorum, vſque ad radicem Arnon intra * Maſſe, & ceteris regnis ad noſtram ædificationem recitandis modicam, tam ſoldanis & admirandis, præcipue Zabin ſoldano de Azor & Iodab, admirando de Abdon, & Semeren, exercituum militiæ veſtræ principi, omnibuſque auricularíis, coadiutoribus, acceſſoribus & ſubregibus veſtris, Hanayas Hebræus cum toto populo Iſraelitico, inclinatiſſimam ſubiectionem perennem, cum promptiſſima obedientia debitaque deuotione. Præpotentiſſime mi rex, cum prænominatis veſtris magnatibus, ſatrapis, & baronibus. Cum iam dum a plaſmatione mundi anno ſex millenario ducenario nonage-

* *f.* Pheresæorũ,
* *f.* Maſphe

nario quaternario, & deinceps pluries veſtra excellentiſſima regia maieſtas per mediatorem veſtrum ſubregem de Granata, & ipſius ſapientes in populo Hebraico ſupradicto benigniter dignata eſt, cum nobis facto fœdere perpetuo intimare, quod ſancti patres noſtri, videlicet Enoch qui tranſlatus fuit, & Elias, qui vidente & teſtante diſcipulo ſuo Eliſæo in paradiſum in curru igneo fuit ſubuectus, publice apparuerunt veſtris gentibus in monte Thabor, ipſis doctrinam legis noſtræ allegando & docendo: nec non in quodam concauo conuallium montis Sinai inuenta eſt arca noſtra teſtamenti: quam arcam cum ingenti deuotionis tripudio & iubilatione, cum inæſtimabili equitum & peditum gentis veſtræ, in quadam veſtra principali ciuitate, quæ vocatur Ay, feciſtis honorifice deportari: & in ipſa dicta arca, ipſam reuerenter aperiendo, inueniſtis manna, quod nobis Deus in deſerto dedit, ſanum, mirabiliter odoriferans, ac etiam incorruptum, cum virgis Moyſi & Aaron, & tabulas legis noſtræ lapideas digito Dei ſculptas: quæ omnia ſupradicta, & miraculoſiora & mirabiliora, in dicta terra veſtra ob deuotionem gentium perpetrarunt, aſſerentes firma fide quod non eſt alius Deus præter magnum Deum noſtrum, *quia locutus eſt nobis in monte Sinai ore ad os, ſicut ſolet amicus amicabiliter loqui ad amicum: & affectuoſiſſime deſideratis circumcidi, & ad legem noſtram, quam ipſe Deus, non alius, dedit nobis, redire bono animo & conuerti, & quod redderetis nobis terram ſupradictam fluentem mel ac lac, quam Deus repromiſit: ſi videlicet aliquo cauteloſo ingenio gentem Chriſtianam, quæ credunt filio cuiuſdam mulieris ſimplicis & pauperis de lege noſtra, quæ veſtram hereditatem & patrum veſtrorum vſurpando minus iuſte: ſi, inquam, eamdem ſub iugo æternæ ſeruitutis veſtræ domaremus: & præſertim ponetis nos in poſſeſſione libera & pacifica de ciuitate magna Ieruſalem, & de Iericho, & de Ay, in qua requieſcit ſanctiſſima arca, ſi poſſemus vos inthronizare ſuper thronum regni & præclaræ ciuitatis Chriſticolarum Pariſius, & quod ad omnia iſta percipienda in omnibus iuuaretis nos. Interea ſicut valetis agnoſcere per prædictum nobilem veſtrum ſubregem de Granata, ſuper hoc adhibuimus vnam cal-

*f. qui

lidam & ſubtilem cautelam , quia poſuimus venena in potationes ex corruptis, & pulueres de malis & amaris herbis, & de ſanguinibus reptilium venenoſorum in ſuis aquis, puteis & ciſternis , fontibus & quibuſlibet fluuiis: vt ipſi Chriſtiani ſuo tempore vnuſquiſque ſecundum complexionis ſuæ qualitatem vapore corrupto prædictorum venenatorum morte* internali extinguantur: & maxime propter copioſam pecuniam noſtram per quoſdam pauperes legis ipſorum, qui vocantur leproſi, fecimus fieri iſtud idem. Sed prædicti pauperes miſerrimi leproſi in his ſe ſimplices habuerunt, quia & nobis detraxerunt & accuſauerunt, & ab aliis Chriſtianis decepti, totum factum confeſſi ſunt. Ita tamen, quod (in quo nobis eſt exaltatio) ipſi Chriſtiani ſuos confratres Chriſtianos leproſos depopulauerunt & deſtruxerunt penitus, & eidem leproſi Chriſtiani ſuos confratres Chriſtianos impocotauerunt (quod eſt bonum ſignum, cum omne regnum in ſe diuiſum debeat deſolari) & etiam propter accuſationem prædictorum leproſorum fuimus turpiter capti, & crudeliter incarcerati : quod martyrium patienter pro Deo ſuſtinuimus, & ab ipſis Chriſtianis quotidie ſuſtinemus, vt nobis in centuplum Deus retribuat in futurum. Et procul dubio credimus depopulati fuiſſe, niſi grandis noſter theſaurus corda eorum in auaritia obduraſſet: vnde aurum & argentum noſtrum & veſtrum nos redemit, prout valetis ſcire iſta omnia per prædictum ſubregem veſtrum de Granata. Tranſmittatis nobis argentum & aurum, quia ſperamus facere maiora, dum aliquod ſpatium tranſierit, ſi impocotationes iſtæ non bene fecerint curſum ſuum. Si autem fecerint (quod optamus) tunc vobis bene notum faciemus. Ita quod Deo adiuuante poteritis tranſfretare mare ad portum Granatæ, & ſuper reſiduum Chriſtianorum extendere magnificum veſtrum gladium in manu potenti veſtra dextera & brachio eleuato. Et poſtea ſedebitis apud Pariſius ſuper thronum: & nos ſimiliter libere poſſidebimus terram patrum noſtrorum nobis a Deo repromiſſam, & inde erimus vnanimes ſub lege vna & ſub Deo vno viuentes. Et non erit amplius in ſæculo vllus dolor, nec vlla oppreſſio in æternum. Vnde dicit noſter ſapiens Salomon: *Qui adhæret vni Deo, vna volun-*

*f. innaturali

luntas est cum eo. Et beatus Dauid: *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum*. Sed de ipsis Christianis prophetauit noster sanctus propheta Osee, dicens: *Diuisum est cor eorum, & ideo interibunt*. Excellentissimæ regiæ maiestati vestræ transmittimus hoc patens chirographum per Sadoch summum sacerdotem Hebræorum, & magnum Leonem satis peritum in scientia legis nostræ, qui vobis exponent melius vniuersa. *Psal.* 132. *Osee* 10.

Nos igitur Ioannes prædictus, seruus seruorum Dei, quoniam quidem intelleximus, quod deuotissimus & Christianissimus dilectus filius noster memoratus Philippus comes d'Aniou præparat se ad arripiendum iter suum contra illam gentem crudelem Sarracenam, propter Christianitatis exaltationem, & ad vindicandam Christi mortem: eumdem vero in quacumque die iter suum acceperit, cum sua comitiua, ac ipsum post sequentes, auctoritate Dei omnipotentis & virginis eius matris, ac beatorum apostolorum Petri & Pauli, exnunc a pœna absoluimus, & a culpa, &c.

EPISTOLA III.

IOANNIS PAPÆ XX.

AD CAPITVLVM ECCLESIÆ PRAGENSIS.

De processu papæ contra Ludouicum regem Romanorum.

Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, capitulo ecclesiæ Pragensis, salutem & apostolicam benedictionem.

NVPER contra dilectum filium, magnificum virum, Ludouicum ducem Bauariæ, super eo quod electione sua in regem Romanum, promouendum in imperatorem per quosdam qui vocem in electione huiusmodi habere dicuntur, in discordia celebrata, per sedem apostolicam (ad quam electionis huiusmodi & personæ electæ examinatio, approbatio, admissio, ac etiam reprobatio & repulsio noscitur pertinere) non admissa, nec etiam reprobata, administrationi regiminis Romani regni seu imperii se irreuerenter ac indebite per se & alios ingerebat, de fratrum nostrorum consilio, & apostolicæ plenitudine potestatis, præsente multitudine copiosa fidelium, vi-

delicet octauo Idus Octobris, proceſſum fecimus continentiæ infra ſcriptæ.

Ioannes epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Attendentes, quod dum errori non reſiſtit is ad quem reſiſtere pertinet, præſumitur conſentire; quodque plerumque iuſtitiæ opprimitur veritas, ſi defenſionis opportunæ illi beneficium ſubtrahatur: profecto nec errori damnabili conſentire per reſiſtentiæ negligentiam nolumus, neque pati ob defectum optimæ defenſionis præſidii iuſtitiam opprimi ſponſæ Chriſti. Dudum ſiquidem per obitum claræ memoriæ Henrici Romanorum imperatoris, imperio Romano vacante, principes eccleſiaſtici & ſæculares, ad quos (tranſlato ab olim per ſedem apoſtolicam prædicto imperio de Græcis in perſonam magnifici Caroli in Germanos) futuri Romani regis, in imperatorem poſtmodo promouendi, electio pertinebat, votis eorum in diuerſa diuiſis, duos (ſicut dicitur) in diſcordia elegerunt: quibuſdam eorum in dilectum filium magnificum virum Ludouicum Bauariæ, quibuſdam vero in dilectum filium Fridericum Auſtriæ, duces, nominando & eligendo ipſos in Romanorum reges, dirigentibus diſcorditer vota ſua. Verum præfatus Ludouicus, a nobis, ad quem ſuæ electionis huiuſmodi (ſicut præmittitur) in diſcordia celebratæ, ac perſonæ ipſius examinatio, approbatio & admiſſio, repulſio quoque & reprobatio noſcitur pertinere, electione prædicta nequaquam admiſſa, nec eius approbata perſona, ſicut notoria fama notoriat, & publica facti euidentia manifeſtat, non quærens (vt deberet) per oſtium ad huiuſmodi regni ſeu imperii conſcendere dignitatis faſtigium, ſed potius aliunde (neſcimus quo ductus, vel verius ſeductus conſilio) præfati Romani regni nomen ſibi & titulum regium vſurpauit; quamuis priuſquam alterutrius eorum per ſedem apoſtolicam fuiſſet approbata & reprobata perſona, neutri electorum ipſorum aſſumere licuerit nomen & titulum prælibatum: cum nec interim Romani reges exiſtant, ſed in reges electi: nec ſint habendi pro regibus, nec reges etiam nominandi. Idem etiam Ludouicus eodem præſumpto titulo non contentus, adminiſtratio-

ni iurium regni & imperii prædictorum, in grauem Dei offensam, & contemptum ac manifestam iniuriam Romanæ ecclesiæ matris suæ, ad quam eiusdem vacantis imperii regimen (sicut & impræsentiarum vacat) pertinere dinoscitur, nec non & plurimorum scandalum, & rei turbationem & læsionem publicæ, ac animæ suæ detrimentum, prosilire, seque illi immiscere irreuerenter ac indebite præsumpsit hactenus & præsumit, exigendo & recipiendo sub præfato regio titulo fidelitatis in Alemaniæ & nonnullis Italiæ partibus, tam a personis ecclesiasticis, quam sæcularibus, vassallis imperii, per se & alios, iuramenta, ac de dignitatibus, honoribus & officiis, ad eiusdem Romani regni seu imperii dispositionem spectantibus, pro suo libito disponendo; sicut proximis his diebus præteritis de marchionatu Magdeburgensi, quem primogenito suo de facto publice contulit, ordinauit: nec non alia plurima exercendo, quæ ad eiusdem Romani regni & imperii regimen non est dubium pertinere. Eiusdem insuper ecclesiæ Romanæ, sicut Galeatio de vicecomitibus, & eius fratribus, quamuis sint de crimine hæresis a suis competentibus iudicibus, exigente iustitia, per definitiuam sententiam condemnati, & nonnullis aliis ecclesiæ præfatæ rebellibus se exhibere fautorem & defensorem, contra dictam ecclesiam prosequentem aduersus eosdem rebelles iura imperii & negotium fidei, in grauem diuinæ maiestatis iniuriam, contemptum eiusdem ecclesiæ, & animæ suæ perniciem, non est veritus, nec veretur. Nos itaque tam temerariis ausibus, ne mos tam pernicioſus inualescat, in posterum obuiare, ac (prout ad apostolatus nostri spectat officium) iustitiam sponsæ Christi in hac parte defendere, dictumque Ludouicum a tam periculoso erroris deuio ad veritatis callem reducere cupientes; ac considerantes, quod ad eius præsentiam, ad proponendum coram eo præsentialiter, per quæ posset & deberet retrahi a prædictis, nequaquam tutus patet accessus; quodque in præmissis formidatur, quod mora periculum, & dissimulatio damnum forent procul dubio allaturæ: ad prouidendum super præmissis excessibus, & obuiandum eisdem, subscriptum modum de fratrum nostrorum con-

filio, ac ex certa scientia, & de apostolicæ potestatis plenitudine eligentes, præfatum Ludouicum, præsente fidelium multitudine copiosa, præsentium tenore monemus, eidem sub virtute sanctæ obedientiæ ac excommunicationis pœna (quam ipsum, nisi cum effectu huiusmodi monitioni nostræ paruerit, incurrere volumus ipso facto) auctoritate apostolica nihilo minus iniungentes, vt intra trium mensium spatium, a datis præsentium computandis, quod ei de eorumdem fratrum consilio pro peremptorio termino assignamus, ab administratione, fautoria, & defensione prædictis prorsus abstineat ac desistat, administrationem ipsam per se, alium seu alios, non resumpturus vlterius, nisi tunc demum cum electionem suam huiusmodi, quæ de ipso dicitur celebrata, ac personam eiusdem per sedem apostolicam approbari contigit, & admitti: quodque gesta per eum, post præsumptum ab eo titulum memoratum, ceteraque præmissa, quatenus præcesserunt de facto, cum de iure non teneant, velut ab ipso, cui ius faciendi non competebat, nec competit, attentata, curet intra prædictum terminum, quantum patietur possibilitas, realiter reuocare. Aperte per præsentium seriem intimantes eidem, quod si in præmissis per eum infra præfatum terminum exequendis negligens fuerit vel remissus, nos contra ipsum ad publicationem pœnarum, in quas propter præmissos excessus notorios incidere noscitur, vel incidet in futurum, & alias quantum suadebit iustitia, eius non obstante absentia, procedemus. Vniuersis igitur patriarchis, archiepiscopis, episcopis, & aliis personis ecclesiasticis quibuscumque, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio, quam eos incurrere volumus ipso facto, nisi infra prædictum terminum infrascriptæ inhibitioni nostræ efficaciter studuerint obedire, & tam ipsis, quam omnibus & singulis ciuitatibus, communitatibus, & vniuersitatibus, nec non personis sæcularibus quibuscumque, cuiuscumque conditionis aut status existant, etiam si regali aut alia quacumque dignitate præfulgeant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœna excommunicationis in personas, & interdicti in terras eorum, nec non priuationis priuilegiorum quorumcumque, apostolicorum

& imperialium, ac feudorum, quæ ab ecclesia vel imperio obtinent, districtius inhibemus, ne prædicto Ludouico in præmissis vel aliis regni seu imperii tangentibus regimen, tamquam regi, seu in regem Romanorum electo, nisi & quousque dictam electionem, ac personam ipsius per sedem apostolicam approbari contigerit, & admitti, in aliquo pareant vel intendant: neve eidem in quibuscumque ad regnum prælibatum spectantibus præbeant auxilium, consilium, vel fauorem. Non obstantibus, si ipsi vel eorum aliqui ad hoc se dicto Ludouico vt regi, seu in regem Romanorum electo, adstrinxerint per fidelitatis vel alterius cuiuslibet generis iuramenta: quæ quidem cum præstita fuerint ei cui minime præstari debuerant, nec seruari sine æternæ salutis valeant detrimẽto, præstantes eadem non adstringunt: quæ nihilo minus ad cautelam auctoritate apostolica relaxamus, illaque cassa & irrita nuntiantes, decernimus penitus non tenere, nec fore aliquatenus obseruanda. Seu si præfato Ludouico, vel quibuscumque aliis coniunctim vel diuisim per literas sedis eiusdem foret sub quacumque verborum forma vel expressione concessum, vel concedetur in posterum, quod excommunicari & suspendi, vel eorum terræ seu loca interdici non possint: quas contra præsentem processum nostrum in nullo eis volumus suffragari, sed ipsas quo ad hoc viribus nolumus omnino carere. Ex præmissis autem nos nequaquam intendimus nec volumus obligari, quin ad publicationem dictarum pœnarum, & alias contra dictum Ludouicum possimus pendente huiusmodi dilatione procedere, prout iustũ fuerit, & nobis visum fuerit expedire. Vt autem huiusmodi processus noster ad ipsius Ludouici, & aliorum quorum interest, communem notitiam deducatur, chartas siue membranas processum continentes eumdem in ecclesia Auinionensi appendi vel affigi ostiis, seu superliminaribus eiusdem ecclesiæ faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt, vt idem Ludouicus & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætendere, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorauerint eumdem: cum non sit verisimile, quo ad ipsos remanere incognitum vel occul-

tum, quod tam patenter omnibus publicatur: volumus autem, & apoſtolica auctoritate decernimus, quod huiuſmodi proceſſus eumdem Ludouicum, ſeu alios prædictos apprehendat & arctet, ac ſi eiſdem perſonaliter publicatus & inſinuatus ſolenniter extitiſſet: conſtitutione quacumque per prædeceſſores noſtros Romanos pontifices in contrarium edita, non obſtante. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ monitionis, mandati, inhibitionis, relaxationis & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationi omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datæ Auinione, in palatio epiſcopali VIII. Idus Octobris, pontificatus noſtri anno VIII. Quocirca diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta in virtute obedientiæ diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus præmiſſa in prædicto proceſſu contenta, quantum ad vos pertinet, per vos & clerum ciuitatis & diœceſis Pragenſis, & alios ſubditos epiſcopatus Pragenſis, firmiter obſeruetis, & faciatis inuiolabiliter obſeruari, ac nihilo minus prædictum proceſſum in dictis ciuitate & diœceſi, ad id clero & populo loci cuiuſlibet, vbi huiuſmodi publicatio fiet, conuocatis ſpecialiter & etiam congregatis, faciatis ſolenniter publicari: de publicatione huiuſmodi facientes fieri publica inſtrumenta, illa nobis, quantocius fieri commode poterit, tranſmiſſuri, ac ſignificaturi nobis diem receptionis præſentium, & quæcumque ſuper his duxeritis facienda. Datum Auinione VII. Idus Octobris, pontificatus noſtri anno octauo.

EPISTOLA IV.
IOANNIS PAPÆ XX.
AD VNIVERSVM CLERVM,
De audienda confessione.

Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, ac dilectis filiis clericis, ad quos præsentes peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

VAS electionis, doctor eximius, & egregius prædicator, cuius prædicatio mundum docuit vniuersum, præsumptuosam illorum audaciam refrenare solicitus, qui prudentiæ propriæ innitentes, in errores varios prolabuntur, non plus sapere quam oportet, sed ad sobrietatem sapere salubri doctrina suggessit, vt iuxta sapientis eloquium, quisque suæ prudentiæ ponat modum. Sane dudum cum dilectum filium magistrum Ioannem de Polliaco, sanctæ theologiæ doctorem, certis ex causis de fratrum nostrorum consilio ad nostram præsentiam vocassemus, fide digna relatio ad nostrum perduxit auditum, quod ipse in quibusdam articulis tangentibus pœnitentiæ sacramentum, non sobrie, sed perperam sapiebat, infra scriptos articulos periculosos continentes errores docens publice in suis prædicationibus & in scholis. Primo siquidem astruens, quod confessi fratribus habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio sacerdoti. Secundo, quod stante statuto, omnes vtriusque sexus, edito in Concilio generali, Romanus pontifex non possit facere, quod parochiani non teneantur confiteri omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti, quem dicit esse parochialem curatum: imo nec Deus posset hoc facere, quia (vt dicebat) implicat contradictionem. Tertio, quod papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones, imo nec Deus: quin confessus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri suo proprio sacerdoti, quem dicit esse (vt præmittitur)

parochialem curatum. Nos igitur ſcire volentes, ſi ſuggeſta nobis veritatem haberent, articulorum præmiſſorum copiam eidem magiſtro Ioanni fecimus aſſignari, & ad defenſionem ſui audientiam plenam præbuimus, tam in noſtra & dictorum fratrum noſtrorum præſentia in conſiſtorio, quam alias coram aliquibus ex ipſis fratribus per nos ad hoc deputatis. Verum licet præfatus magiſter dictos articulos & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat tamen ſe paratum credere & tenere in præmiſſis & aliis, ea quæ credenda & tenenda eſſe ſedes apoſtolica diffiniret. Nos ergo attendentes, quod prædictorum articulorum aſſertio, prædicatio & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipſos per plures magiſtros in theologia examinari fecimus diligenter: nos etiam cum dictis fratribus noſtris collationem ſolertem habuimus ſuper ipſis. Per quas quidem collationem & examinationem ſuper hoc præhabitas comperimus, prædictos articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multum, ac veritati contrariam continere. Quos etiam articulos omnes & ſingulos idem magiſter Ioannes, veris ſibi rationibus opinioni ſuæ dudum habitæ contrariis demonſtratis, in conſiſtorio reuocauit, aſſerens ſe credere eos non veros, ſed eorum contrarium verum eſſe, cum diceret ſe neſcire rationibus, ſed factis in contrarium reſpondere. Ideoque ne per aſſertionem, prædicationem & doctrinam huiuſmodi in errorem (quod abſit) animæ ſimplicium prolabantur, omnes prædictos articulos, & quemlibet eorumdem, tamquam falſos & erroneos, & a doctrina ſana deuios, auctoritate apoſtolica damnamus & reprobamus, de fratrum conſilio prædictorum, doctrinam ipſis contrariam veram eſſe & catholicam aſſerentes. Cum illi qui prædictis fratribus confitentur, non magis teneantur eadem peccata iterum confiteri, quam ſi alias illa confeſſi fuiſſent eorum proprio ſacerdoti, iuxta dictum Concilium generale. Optantes autem veritatis vias notas eſſe fidelibus, & cunctis erroribus præcludere aditum, ne ſubintrent, felicis recordationis Alexandri IV. & Clementis IV. Romanorum pontificum prædeceſſorum noſtrorum veſtigia imitando,

do, vniuersis & singulis districtius inhibemus, ne quisquam dictos articulos per nos (vt præmittitur) damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in eis vel aliquo ipsorum, vtpote a catholicis mentibus respuenda, tenere audeat seu defensare quomodolibet, vel docere. Quocirca vniuersitati vestræ per apostolica scripta districte præcipiendo mandamus, quatenus vniuersi & singuli vestrum in ciuitatibus & diœcesibus vestris, conuocato clero communiter, præmissa omnia & singula per vos seu alios solenniter publicetis. Nos etiam eidem magistro Ioanni mandauimus, quod ipse in scholis & in sermone Parisius prædictos articulos & contenta in eis, tamquam veritati contraria, propriæ vocis oraculo, & asseueratione constanti publice debeat reuocare: quod se facturum dictus magister Ioannes efficaciter repromisit. Datum Auinione VIII. Kalendas Augusti, pontificatus nostri anno quinto.

EPISTOLA V.

IOANNIS PAPÆ XX.

AD EPISCOPVM OLOMVCENSEM.

De decimis in regno Bohemiæ & comitatu Lucemburgensi per triennium Ioanni regi persoluendis.

Ioannes episcopus, seruus seruorum Dei, venerabili fratri episcopo Olomucensi, & dilectis filiis, Brunouiensi, & sanctæ Mariæ, Lucemburgensis, Pragensis & Treuirensis diœcesium, monasteriorum abbatibus, salutem & apostolicam benedictionem.

NVPER carissimus in Christo filius noster, Ioannes rex Bohemiæ illustris, per speciales nuntios suos ad nostram præsentiam destinatos, in nostra & fratrum nostrorum præsentia fecit exponi, quod ipse zelo fidei Christianæ succensus, ad imponenda opportuna præsidia sanctæ matris ecclesiæ, quam Dominus noster Iesus Christus proprio sanguine consecrauit, seque exponendum obsequiis eiusdem ecclesiæ & apostolicæ sedis toto aspirat affectu, per prædictos nuntios humili supplicatione deposcens, vt ipsum in tam pio & laudabili proposito con-

fouentes, in ſubſidium negotiorum huiuſmodi, propter quæ perſonam & bona ſua quilibet eſt paratus exponere, decimam eccleſiaſticorum prouentuũ & redituum regni Bohemici, & comitatus ſui Lucemburgenſis, ſibi ad certum tempus, pro præmiſſorũ ſupportandis oneribus, concedere dignaremur. Nos ergo attendentes eximiæ deuotionis affectum, quem idem rex ad eiuſdem redemptoris noſtri & ſanctæ ſedis obſequia ardenti promptitudine deuotionis oſtendit, deſideriis gratis inducimur, vt eum tamquam inclytum ſedis apoſtolicæ filium, caritatis internæ brachiis amplexantes, eius in hac parte votis, quantum cum Deo poſſumus, annuamus. Volentes itaque dicto regi ſuper præmiſſo ſuo laudabilique propoſito fauoribus aſſiſtere opportunis, de dictorum fratrum conſilio, decimam omnium eccleſiaſticorum redituum & prouentuum, locorum quorumlibet eccleſiaſticorum, exemptorum & non exemptorum, regni & comitatus prædictorum, ab omnibus archiepiſcopis, epiſcopis, ceteriſque perſonis eccleſiaſticis quibuſcumque, quantacũque præfulgeant dignitate, ſeu cuiuſcumque ſint præeminentiæ, conditionis, ſeu ſtatus & religionis vel ordinis, quibus & eorũ alicui nulla priuilegia vel indulgentias ſub quacumque verborum forma vel expreſſione conceſſa volumus ſuffragari (præterquam a dilectis filiis, magiſtro & fratribus hoſpitalis S. Ioannis Hieroſolymitani, qui contra hoſtes fidei Chriſtianorum exponunt iugiter ſe & ſua, quos propter hoc ab eiuſdem præſtatione decimæ exemptos & liberos fore decreuimus & immunes) eidem regi conceſſimus in ſuum ſubſidium vſque ad triennium exigendam, & etiam colligendam, & eidem regi aſſignandam. Cum itaque vos, de quorum maturitate, fidelitate, & circumſpectionis induſtria, fiduciam gerimus in Domino ſpecialem, ad exactionem huiuſmodi decimæ pro dicto triennio faciendam*, iuxta infra ſcriptum modum per ipſius * ſedis prouidentiam ordinatum, duximus eligendos: diſcretioni veſtræ per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus onus huiuſmodi vobis impoſitũ ſuſcipientes, & exequentes humiliter ac deuote, vos vel duo, aut vnus veſtrum per vos, vel alium ſeu alios, quos ad hoc duxerimus deputandos, de omnibus fructibus, reditibus, & prouenti-

* ſ. regis

bus ecclesiasticis dictarum personarum ecclesiasticarum, sæcularium, regularium, exemptarum & non exemptarum, in dictis regno & comitatu consistentium, videlicet ecclesiarum, monasteriorum, & beneficiorum quæ habent & obtinent in regno & comitatu prædictis, secundum modum & morem ac consuetudinem in exactione & collectione huiusmodi hactenus obseruatos, quolibet anno dicti triennii in subscriptis terminis leuetis & etiam exigatis decimam supradictam. Siquidem solutionis medietatis decimæ semianni terminum primum fore statuimus festum natiuitatis dominicæ primo venturum, secundum vero terminum festum Pentecostes, dictum festum natiuitatis dominicæ proxime secuturum: in aliis duobus annis sequentibus circa solutionem huiusmodi decimæ prædictis terminis obseruandis. Ad solutionem vero eiusdem decimæ, quoscumque exemptos & non exemptos, ipsius decimæ debitores in dictis regno & comitatu consistentes, per censuram ecclesiasticam, ac etiam per sequestrationem fructuum, redituum, & prouentuum ecclesiasticorum suorum, consistentium in eisdem regno & comitatu (vt præmittitur) si expedire videritis, appellatione postposita, compellendo. Itaque quod ad fructus, reditus & prouentus alios eorumdem extra regnum comitatumque prædicta consistentes, huiusmodi compulsionis officium nullatenus extendatis: nec ad exactionem huiusmodi faciendam in aliquo casu per vos, vel alium seu alios, inuocetis auxilium brachii sæcularis, nisi prædictorū non soluentium contumacia exigente aliud circa hoc per sedem eamdem fuerit ordinatum. Et ne de moneta, in qua prædictæ decimæ solutio fiet & fieri debet, valeat hæsitari, & vt vitentur grauamina quæ propter hoc viris ecclesiasticis interdum consueuerunt inferri, volumus quod per vos & singulos vestrum, & alios subcollectores vestros, ipsa decima ad monetam currentem communiter leuetur, ac etiam exigatur, iuxta constitutionem super hæc editam in Concilio Viennensi: ita quod prætextu alicuius concambii debitores & solutores dictæ decimæ non grauentur. Illam tamen eamdemque monetam, quam recipietis, vel recipi facietis, dicto regi, seu certo nuntio teneamini assignare, huiusmodi decimam exigetis, & exigi facietis secun-

dum taxationē hactenus factam in ciuitatibus, diœcesibus atque locis regni & comitatus prædictorum: vbi nulla huiusmodi certa taxatio fuerit, secundum consuetudinem in exactione & collectione dictæ decimæ faciatis, absque aliquo onere expensarū eorum a quibus huiusmodi eorum defectu expensas fieri oporteret: ad quarum restitutionē eos teneri volumus & astringi. Quodque circa hanc constitutionem eiusdem Viennensis Concilii obseruantes, & calices, libros & alia ornamenta ecclesiarum, diuinis officiis deputata, ex causa pignoris vel distractionis capere, recipere, distrahere, seu quomodolibet occupare, per vos vel alios minime præsumetis. Non obstātibus quibuscumque priuilegiis, indulgentiis, vel gratiis eisdem personis ecclesiasticis, vel earum alicui, aut dignitatibus seu ordinibus earumdem, & specialiter Cistercienſis, Præmonstratensis, Cluniacensis, Cartusiensis, Grandimontensis, vel eorum vniuersitatibus aut personis singularibus sub quacumque verborum forma vel expressione ab eadem sede concessis; etiam si contineatur in eis, quod de ipsorū totis tenoribus seruatim ac de verbo ad verbum plenam & expressam seu explicitam quamcumque in nostris literis fieri oporteat mentionem, & qualibet alia ipsius sedis indulgentia generali vel speciali, cuiuscumque tenoris, formæ vel expressionis existat: per quam de verbo ad verbum præsentibus non insertā, aut nominatim & singulariter non expressam, effectus earum non impediri valeat quomodolibet, vel differri. Volumus insuper, quod vos & quilibet vestrum omnium redituum & prouentuum ecclesiasticorū vestrorum decimam a vobismet ipsis fideliter & integre exigatis: ita quod nullus vestrum circa hoc sibi indulgeat, sed secum in hac parte procedat, ac si tali officio in extraneo fungeretur, sic quod vnusquisque vestrum in scriptis redigi faciat, quidquid prædicta decima de prouentibus suis ecclesiasticis exegerit a seipso: exactionem vero huiusmodi iuxta taxationem decimæ, sicut eam consueuistis hactenus soluere de dictis vestris prouentibus, facietis: alioquin in exactione huiusmodi seruabitis consuetudinem hactenus in similibus solitam obseruari: ac nihilo minus in personas illorum ex vobis, vel vicariorum vestrorum, & aliorum quorumcumque, qui de mandato nostro ad col-

lectionem exactionemque huiuſmodi fuerint deputati, quique defecerint in ſolutione dictæ decimæ in terminis ſupradictis, vel in collectione & exactione huiuſmodi fraudem forſitan vel malitiam adhibuerint, excommunicationis ſententiam auctoritate præſentium promulgamus: a qua poſt ſatisfactionem debitam per aliquem ex vicinioribus epiſcopis, excommunicationis ſententia non ligatum, gratiam & communionem apoſtolicæ ſedis habentem, facta ſibi fide de ſatisfactione huiuſmodi, poſſint abſolutionis beneficium obtinere. Datum Auinione Kalendis Iunii, pontificatus noſtri anno nono.

EPISTOLA VI.

IOANNIS PAPÆ XX.

AD EPISCOPVM PRAGENSEM.

De proceſſu Ioannis papæ contra Ludouicum regem Romanorum.

Ioannes epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, venerabili fratri epiſcopo Pragenſi, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

AD obuiandum damnandis Ludouici olim Bauariæ ducis, excommunicati hæretici & ſchiſmatici auſibus, & fidelium partium Alemanniæ periculis imminentibus occurrendum, pridem certum proceſſum de fratrum noſtrorum conſilio, præſente multitudine copioſa fidelium, habuimus; cuius tenor ſequitur in hæc verba. *Ioannes epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad certitudinem præſentium, & memoriam futurorum.* Dudum peruerſis & damnandis Ludouici olim Bauariæ ducis, & diſcorditer in regem Romanorum (ſicut dicebatur) electi, conatibus, quem adeo ambitio cæca ſuccenderat, quod eius electione per ſanctã Romanam eccleſiam (ad quam cuiuſcumque in regem Romanum electi, & electionis de ipſo factæ approbatio & admiſſio, vel reprobatio vel repulſio pertinere dinoſcitur) non admiſſa, nec eius approbata perſona, nomen & titulũ regium vſurpare præſumpſit temere, ſeque immiſcere adminiſtrationi regni & imperii, ac hæreticis & rebellibus fauorem, auxilium & conſilium contra ſanctam eccleſiam impertiri, volentes remediis ſalubribus obuiare, eumdem Ludouicum per noſtrum edictum publicum, cum

Bulla Ioannis papæ XX. contra Ludouicũ imperatorem.

ad ipsum tutus nequaquam pateret accessus, sub virtute obedientiæ, ac excommunicationis pœna, de fratrum nostrorum consilio monuimus, vt a præmissis intra certum sibi tunc præfixum terminum omnino desisteret, administrationem eamdem, quousque per ecclesiam ipsam approbatus & admissus existeret, nullatenus resumpturus, sed reuocaturus penitus (prout esset sibi possibile) cum effectu, quæcumque de facto fuerant per ipsum in contrarium attentata: vniuersis prælatis, & aliis quibuscumque personis ecclesiasticis & sæcularibus, nec non communitatibus & vniuersitatibus, sub magnis pœnis spiritualibus & temporalibus, districtius nihilo minus iniungendo, vt eidem Ludouico nullatenus circa præmissa parerent vel intenderent quoquo modo, nec eidem præstarent auxilium, consilium super his, vel fauorem: Non obstantibus fidelitatibus, aut aliis quibusuis iuramentis eidem præstitis, aut obligationibus, colligationibus, confœderationibus, societatibus, & pactionibus, sub quacumque forma, vel expressione verborum cum ipso initis, etiamsi essent iuramentis vel adiectione pœnarum vallatæ: quæ omnia nulla, cassa & irrita esse de fratrum eorumdem consilio declarauimus; quatenus de facto processerant, nulla, cassa, & irrita duximus declaranda. Et quia prædictus Ludouicus huiusmodi & aliis diuersis monitionibus, mandatis, & præceptis nostris parere contempsit, damnabiliter deteriora (tamquam datus in sensum reprobum) iugiter committendo, primo excommunicationis sententia innodatus extitit, ac subsequenter culpis ipsius excrescentibus, & contumaciis eius adauctis, iure priuatus, si quod sibi ex electione prædicta fuerat ad regnum vel imperium quomodolibet acquisitum. Deinde vero eo excessus excessibus cumulante, ducatu Bauariæ, ac omnibus priuilegiis, tam apostolicis, quam imperialibus, ac bonis & feudis omnibus, quæ ab eadem Romana vel quibusuis aliis ecclesiis, aut imperio obtinebat, per diuersos processus nostros diuersis temporibus habitos, de fratrum eorumdem consilio, iusto iudicio nudatus extitit & priuatus. Et demum, quia Pharaonis imitatus duritiam, & contemnens omnem sanctæ matris ecclesiæ disciplinam, nulla correctionis ostendit indicia, sed potius

hæreticis & hæreticalibus intendens dogmatibus, ac hæreticos quos in ſuum admiſit conſortium, eorumque hæreſes & errores defendendo, ſe oſtendit hæreticum manifeſte, debitis ſeruatis ſolennitatibus, primo fautor hæreticorum declaratus, & ſubſequenter de crimine hæreſis fuit ſententialiter & publice per nos de ipſorum fratrum conſilio condemnatus. Poſtmodum vero idem Ludouicus præmiſſis exceſſibus & criminibus deteſtabilibus non contentus, ſed tamquam obſtinatus in malum, & velut demerſus in deſperationis laqueum, cõtinue conatus ſuos dirigens ad peiora, imperialis ſolium dignitatis de facto, non ſine magna inſania & temeritate damnabili, vſurpare præſumpſit, ſe ad illud per illos quibus non competebat, faciens, ac ſi ius ſibi competeret, coronari, & ad offendendum eccleſiam ſanctam Dei, eiuſque fideles & deuotos, in Italiæ partibus, (in quibus auſu nefando contra prohibitionem remanſit eccleſiæ) nihilo minus ſe attingens, nonnullas ciuitates & loca partium prædictarum, quæ ſibi non adhæſerant, deuaſtauit horribiliter & immaniter, ac nonnulla ex ipſis ad tantam inopiæ & paupertatis egeſtatem deduxit, quod etiam per tractum longiſſimi temporis adiicere non potuerunt vt reſurgant. Iura inſuper & bona imperii dilacerando continue, deuotos & fideles eccleſiæ perſequendo crudeliter, & quantum in eo fuit, de illis partibus effugando; & demum nequitiæ ſuæ virus conceptum euomens, ad ſubuertendum prorſus fidem catholicam, & ſcindendum dominicam inconſutilem tunicam, in diuinæ maieſtatis opprobrium, totiuſque cœtus fidelium ſcandalum, periculum & contemptum, execrandis factionibus velut membrum ſatanæ ſe diſponens, aſſociatis ſibi quibuſdam ſuis nequam complicibus, Petrum de Coruaria, virum vtique ſcandaloſum & perfidum (qui olim dimiſſa vxore ſua legitima, cui pluribus annis tam in lecto, quam in menſa cohabitauerat, fratrum Minorum aſſumens præter vxoris eiuſdem conſenſum habitum, & pro fratre Minore ſe gerens; quique miniſtro ſuo prouinciali Romano inobediens, per ipſum fuit pronuntiatus in excommunicationis incidiſſe ſententiam, mancipandus carceri) in antipapam aſſumpſit, procurans quod idem Petrus ſic deluſorie & damnabiliter in anti-

papam assumptus, pseudocardinales & notarios, ac officiales alios iuxta morem quem seruat Romana curia, constitueret, aliaque nonnulla præsumeret cunctis catholicis detestanda; synagogam autem huiusmodi diebus congregatam aliquibus, virtutum Dominus misericorditer subito dissipauit. Nos qui omnia per eosdem Ludouicum & Petrum attentata circa præmissa, vel præmissorum occasionem, vel eorumdem aliqua de fratrum eorumdem consilio, nulla, cassa, & irrita merito duximus declaranda; præfatum Ludouicum tam ex prædictis, quam aliis diuersis capitulis, multis respersum hæresibus, tamquam hæreticum & schismaticum manifestum, de hæresi & schismate, de fratrum ipsorum consilio nihilo minus condemnantes, aduersus eum pœnas infligendo varias, & etiam declarando ipsum incurrisse inflictas, & comminata, sicut in diuersis processibus nostris supradictis de prædictorum fratrum consilio solenniter habitis, plenius continetur. Sane quod fide digna multorum relatio ad nostrum nouiter deduxit auditum, quod idem Ludouicus, nondum in eo igne auaritiæ & ambitionis extincto, sed potius flatu diabolico inflammatus, ad ciuitatem contulit Tridentinam, vbi suis complicibus conuocatis, satagit ordinare, quod sicut in partibus Italiæ supradictis iura vsurpauit imperii, fideles turbauit, eorumque deuorauit substantias, & consumpsit; sic & in Alemanniæ partibus damnandum suum in hac parte desiderium valeat adimplere, ac varios officiales vel ministros ad easdem partes Alemanniæ dispositi propter hoc destinare: Nos tantis malis & periculis iustis obuiare remediis cupientes, præfatum Ludouicum per hoc edictum nostrum publicum, cum ad eum pro faciendis sibi monitionibus & inhibitionibus huiusmodi non sit tutus accessus, moraque pericula varia comminetur, præsente hac multitudine copiosa fidelium monemus, & eidem sub excommunicationis pœna, nec non sub pœnis aliis tam spiritualibus, quam temporalibus in eumdem inflictis hactenus, (quas pro repetitis haberi volumus, quibusque ipsum subiacere decreuimus, si contrarium fecerit, ipso facto) inhibemus & mandamus expresse, ne vlterius de administratione regni Romani vel imperii se quomodolibet intromittat, nec se regem vel impera-

peratorem nominet, nec ab aliis faciat, quantum in eo fuerit, nominari; nec sub nomine huiusmodi vel alio quocumque, pro dictorum regni & imperii negotiis, ad Alemanniæ vel aliquas partes alias, aliquem vel alios destinare præsumat; nec vicariatus, vel alia quæcumque officia, quibusuis nominibus nuncupentur, concedat, seu committat alicui vel aliquibus, nec etiam in illis partibus vel aliis iura vel bona regni vel imperii quomodolibet occupet vel pertractet, fideleſque non turbet eccleſiæ & imperii, aut moleſtet. Vniuerſis nihilo minus & ſingulis prælatis & perſonis eccleſiaſticis, ſæcularibus & regularibus, cuiuſcumque præeminentiæ, dignitatis, ordinis, ſtatus vel conditionis exiſtant, etiamſi patriarchali, pontificali, aut maiori ſeu inferiori præfulgeant dignitate, nec non regibus, ducibus, principibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, poteſtatibus, capitaneis, rectoribus, & aliis dominis temporalibus, aliiſque perſonis ſingularibus quibuſcumque, ac communitatibus, vniuerſitatibus, ciuitatibus, caſtris, opidis, villis & locis, ſub excommunicationis in perſonas ſingulares, & interdicti in terras, ciuitates, caſtra, opida, & loca ipſorum, ac vniuerſitates, communitates & collegia, nec non priuationis dignitatum, perſonatuum, officiorum & beneficiorum eccleſiaſticorum dictorum prælatorum & perſonarum eccleſiaſticarum, ac tam illorum, quam aliquorum quorumcumque priuilegiorum apoſtolicorum & imperialium, feudorum, bonorum, honorum, officiorum, quæ a Romanis vel eccleſiis aliis, ſeu imperio obtinet, ac libertatum & immunitatum quarumlibet pœnis, inhibemus diſtrictius, & mandamus, ne vicariatus, vel quodcumque aliud officium, vel adminiſtrationem huiuſmodi, quocumque nomine nuncupetur, recipiant ab eodem, vel alio, ſeu aliis, eius auctoritate vel nomine, vel mandato; & ſi forſan officium vel adminiſtrationem huiuſmodi receperunt, ſtatim illud vel illam, poſtquam præſens proceſſus ad eorum notitiam peruenerit, vel per eos ſteterit, quo minus peruenire potuerit, dimittere non poſtponant, illud vel illam nullatenus vlterius reſumpturi: neve præfato Ludouico aut complicibus, fautoribus, vicariis, miniſtris vel officialibus eiuſdem quomodocum-

que nuncupentur, pareant in aliquo, vel intendant, nec eos, vel aliquem ipsorum recipiant vel admittant, aut de iuribus & prouentibus quibuscumque ad regnum Romanum vel imperium spectantibus respondere, vel alias eis impendere auxilium, consilium vel fauorem, directe vel indirecte, publice vel occulte, præsumant. Alioquin personas singulares quascumque ecclesiasticas & sæculares, cuiuscumque sint præeminentiæ, conditionis & status, ecclesiastici vel mundani, excommunicationis; terras vero, ciuitates, castra, opida, & loca, nec non vniuersitates, communitates & collegia, quæ contra inhibitionem & mandatum nostrum huiusmodi aliquid facere vel attentare temere præsumpserunt, interdicti sententias, quas exnunc proferimus; nec non personas ecclesiasticas, (præter patriarchas, archiepiscopos & episcopos) priuationis omnium dignitatum, personatuum, & aliorum beneficiorum suorum ecclesiasticorum, cum cura vel sine cura, & inhabilitationis pœnam ad ea & similia in posterum obtinenda, incurrere volumus ipso facto: ad priuationem dignitatum & prælaturarū dictorum patriarcharum, archiepiscoporum & episcoporum, ac inhibitionem ad ea & similia obtinenda, nec non [nec] priuilegiorum quorumcumque apostolicorum & imperialium, ac feudorum, bonorum, honorum, libertatum, quæ ipsi & quicumque alii clerici vel laici, a Romana, vel quibusuis aliis ecclesiis, seu imperio quomodolibet obtinent, ac libertatum & immunitatum, tam contra ipsas, quam alias quascumque personas ecclesiasticas & sæculares, cuiuscumque status vel conditionis existant, & alias spirituales & temporales pœnas & sententias, de quibus nobis videbitur, infligendas seu inflictas, declarandas iuxta delictum, contumaciam & excessum cuiuslibet, si quando, & quotiens opportunum cognouerimus, communiter vel diuisim, absque monitione & citatione alia nos processuros apertius prædicentes; non obstantibus fidelitatis, & quibusuis aliis iuramentis, per quæ ipsi, vel eorum aliqui, dicto Ludouico sese quomodolibet astrinxissent, ac confœderationibus, societatibus, & ligis cum eodem, seu alio vel aliis, nomine suo, vel mandato per quascumque personas singulares, ecclesiasticas vel sæculares, aut

communitates seu vniuersitates, collegia, contractis seu initis sub quacumque forma seu expressione verborum; etiamsi pœnarum adiectionibus, aut iuramentorum præstationibus, vel quacumque alia firmitate vallatæ fuissent; vtpote in Dei contumeliam, contra bonum pacis, ac in derogationem honoris & status sanctæ matris ecclesiæ, & in præiudicium reipublicæ, animarumque periculum, cum hæretico excommunicato præsumptas temere: quæ omnia per processus nostros alias nulla, cassa & irrita declarauimus, & adhuc etiam declaramus, & quatenus de facto processerunt, cassauimus, annullauimus & irritauimus, & nunc ex superabundanti cassamus, annullamus & irritamus; etiamsi post dictos processus aliqua talia fuerint attentata, iuramenta dissoluentes huiusmodi, & pœnas omnes & singulas super prædictis vel ea tangentibus adiectas quomodolibet relaxantes de plenitudine potestatis. Volumus autem, & auctoritate apostolica nihilo minus decernentes, quod processus noster huiusmodi præfatum Ludouicum, & alios quos tangere dinoscitur, apprehendat & artet, ac si eisdem personaliter & singulariter publicatus & intimatus solenniter extitisset, constitutione quacumque contraria per prædecessores nostros Romanos pontifices edita non obstante. Vt autem processus noster huiusmodi, & omnia in eodem contenta ad eiusdem Ludouici & aliorum quorum interest, communem notitiam deducantur, chartas siue membranas processum continentes eumdem, in eodem, Auinione appendi vel affigi ostiis seu superliminaribus faciemus, quæ processum ipsum suo quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt; vt idem Ludouicus, & alii quos processus ipse contingit, nullam possint excusationem prætẽdere, quod ad eos non peruenerit, vel quod ignorarint eumdem: cum non sit verisimile, remanere quoad ipsos incognitum vel occultum, quod tam patenter omnibus publicatur. Datum Auinione quinto Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno 14. Volentes itaque dictum processum & contenta in eo, vt plenius innotescant partium earumdem fidelibus; ac ipsi, ne per eumdem Ludouicum, suosque sequaces, complices & ministros infician-

tur, decipiantur, aut opprimantur, seu pœnis & sententiis per processum ipsum inflictis & comminatis inuoluantur, sibi prouidere valeant cautius, & ne prætendere super his valeant ignorantiam, in eisdem partibus solenniter publicari; fraternitati tuæ per apostolica scripta in virtute obedientiæ districtius iniungendo mandamus, quatenus per te vel alium, seu alios religiosos & sæculares, de quibus tibi videbitur, processum eumdem, & omnia, & singula quæ continentur in eo, in locis & ecclesiis tuarum ciuitatis & diœceseos, de quibus expedire videris, eis expositis in vulgari, nihilo minus vt clarius intelligantur, publicare solenniter, ipsumque Ludouicum excommunicatum, hæreticum & schismaticum, singulis diebus festiuis & dominicis publice studeas nuntiare: Nos de publicatione huiusmodi per instrumenta publica, principium & finem præsentium continentia, redditurus quantocius poteris nihilo minus certiores. Datum Auinione tertio Kalendas Februarii, pontificatus nostri anno XIV.

CONCILIVM RAVENNATE IV. ANNO CHRISTI 1317.

CELEBRATVM BONONIÆ,

Anno Domini MCCCXVII. tempore Ioannis papæ XX.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *Quod episcopus ponat œconomum ad custodiam rerum vacantium ecclesiarum.*

II. *Quod nullus præsumat in spiritualibus ministrare, nisi prius ab episcopo loci sibi fuerit animarum cura commissa.*

III. *Quod quilibet se faciat promoueri infra annum ad ordinem, quem requirit beneficium suum.*

IV. *De vita & honestate clericorum, & ornatu eorum.*

V. *Quod nullus de cetero recipiatur in canonicum cathedralis ecclesiæ, vel in monachum, seu fratrem alicuius monasterii, seu regularis ecclesiæ, sine licentia speciali sui ordinarii.*

VI. *Quod nullus recipiatur in aliquo monasterio, seu regulari loco, per potentiam laicorum.*

VII. *De denuntiatione fienda metropolitano de beneficiis vacantibus, ad eum deuolutis.*

VIII. *Quod certus canonicorum numerus statuatur in ecclesiis cathedralibus & collegiatis, vbi non est ab antiquo statutus.*

IX. *De clericis non residentibus.*

X. *De quotidianis distributionibus.*

XI. *De censibus & collectis imponendis.*

ANNO CHRISTI 1317.

XII. *De celebratione missarum.*

XIII. *Quod nullus archipresbyter, præpositus, vel prælatus inferior episcopo possit in ecclesiis sibi subiectis inquisitiones formare, accusationes admittere, vel ad priuationem procedere contra clericos earumdem ecclesiarum.*

XIV. *De Iudæis.*

XV. *De cautione recipienda ab vsurariis, & de pœnis recipientium vsurarios ad ecclesiastica sacramenta, seu sepulturam.*

XVI. *De pœna procurantium male ablata incerta legari sub alio nomine, seu modo.*

XVII. *Quod clerici & religiosi a venationibus se abstineant.*

XVIII. *De pœna iudicum sæcularium, qui clericos repertos cum armis, vel in aliis maleficiis deprehensos, detentos, retinent, vel ad suum iudicem opprobriose remittunt.*

XIX. *Quod nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri.*

XX. *De indulgentiis seu remissionibus.*

XXI. *De exequiis episcoporum nuntiandis per capitula ecclesiarum cathedralium archiepiscopo & suffraganeis, vt deuote ab omnibus celebrentur.*

XXII. *De beneficiis & indulgentiis concessis in Concilio, & de potestate dispensandi & interpretandi constitutiones Concilii.*

XXIII. *De monialibus.*

XXIV. *De salariis notariorum, & sigilliferorum.*

PRÆFATIO.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

QVANTA sint veneratione digna sacrorum Conciliorum statuta, maxime Nicæni, Constantinopolitani, Ephesini & Calchedonensis, quæ, sicut quatuor euangelia, suscipere & venerari tenemur, ac sanctorum patrum aliorum Concilia & statuta, qui Spiritu sancto illuminati fuerunt, nemo est qui ignoret. Cum igitur ab ipsis sanctis patribus, in ipsis sacris Conciliis, inter cetera fuerit præordinatum & salubriter constitutum, prouincialia Concilia fieri debere, vt ea quæ correctione & reformatione egent, nullatenus negligantur, ita quod nec præceptis euangelicis contrarium, nec decretis sanctorum patrum obseruaretur aduersũ: idcirco nos Rainaldus permissione diuina, & apostolicæ sedis gratia sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopus, considerantes quod quamplures maxime viri ecclesiastici, tum ex temporũ tempestate, tum ex morum corruptione & leuitate, tum ex elatione & vanitate, tum ex tenaci & auida cupiditate, tum ex crassa igno-

rantia & negligentia, tum ex ſuperbia & irreuerenti inobe- ANNO CHRISTI 1317.
dientia, viam coheredum Chriſti circa grauitatem & honeſtatem, habitum & inceſſum eccleſiaſticæ religioni condecentes, & quam fideles & catholici habere debent, exorbitabant, pro his, quantum Deus annuerit, reformandis, ad ſalutem animarum, quam vehementius zelamus pro diuina reuerentia, catholicæ fidei vnitate & honore, prouinciale Concilium circa hæc reformanda duximus conuocandum & congregandum apud Bononiam. In quo, primo conſtitutiones editas & promulgatas per bonæ memoriæ fratrem Latinum, tunc apoſtolicæ ſedis legatum in his partibus, & alias per fratrem Bonifacium prædeceſſorem noſtrum, Forliuii, & nos Rauennæ & Argentæ in prouincialibus Conciliis legi fecimus: ac deinde, ipſo ſacro approbante Concilio, conſtitutiones infra ſcriptas duximus ſtatuendas.

CAPITVLA.

RVBRICA I.

Cum eccleſiarum vacantium prouentuum & reddituum, ac bonorum ipſorum diſpoſitio ad eorum ordinarios de iure pertineat, proinde duximus ſtatuendum, quod vacanti eccleſiæ ſtatim per ipſius epiſcopum œconomus debeat deputari diligens & diſcretus, qui redditus & prouentus ac bona ipſius colligat & conſeruet, ad eiuſdem eccleſiæ & ſucceſſoris defuncti rectoris ipſius vtilitatem & ſtatum. Prohibentes diſtricte canonicis, clericis, ſeu patrono eccleſiæ ſic vacantis, quod de redditibus & prouentibus, ac bonis ipſius eccleſiæ, ſe intromittere, vel diſponere nullo modo præſumant, nec œconomum, vt prædiximus, ibidem per ipſum deputandum impediant vel moleſtent, quo minus ſibi iniunctum officium libere exequatur: nec aliter alicui eorum

Anno Christi 1317. competat de consuetudine approbata, vel priuilegio speciali. Quod si secus iidem canonici, vel clerici, seu patroni agere præsumpserint, eosdem canonicos, & clericos, ac patronos, præsentis auctoritate Concilii, priuamus illa vice iure eligendi, seu præsentandi: Decernentes electionem, seu præsentationem secus & aliter attentatam, ipso iure nullius esse momenti.

Rvbrica II.

Cum de iure nullus sacerdos alteri subditum, sine sui superioris commissione seu licentia, soluere valeat, vel ligare, nos quamdam consuetudinem, seu potius abusionem animarum plenam periculis (quod videlicet sacerdotes aliqui per nonnullos prælatos sæculares seu regulares, quibus in certis ecclesiis parochialibus rectorum institutio de consuetudine competit, in eisdem ecclesiis instituti, sine sui episcopi auctoritate, commissione, vel licentia parochialis ecclesiarum ipsarum, qui ipsius episcopi subditi esse noscuntur, præsumunt soluere & ligare, in suarum præiudicium animarum) cupientes penitus extirpare, hoc sacro approbante Concilio, sub priuationis & excommunicationis pœnis, inhibemus sacerdotibus memoratis, quod nullo modo præsumant in ecclesiis, in quibus modo prædicto, & per prædictos fuerint instituti, in spiritualibus ministrare, nisi prius ab episcopo loci, prout iura volunt, eis cura commissa fuerit animarum, de quibus idem episcopus tenetur Christo reddere rationem, tamquam de ouibus sibi commissis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

RVBRICA III.

Anno Christi 1317.

Solicite pensantes, quantum officii pastoralis debitum prælatos adstringat curis solicitis & continuis intendere, & per remedia salubria prouidere, in iis præcipue, per quæ saluti animarum consulitur & prouidetur: & quod parum est iura condere, nisi sit qui ea mandet executioni. Volentes igitur Pictauiense Concilium innouare, & debitæ executioni demandare, statuimus & ordinamus, hoc sacro approbante Concilio, & nihilo minus in virtute sanctæ obedientiæ monemus, & peremptorie, quod abbates, decani, archipresbyteri, præpositi, seu quocumque alio nomine censeantur, ad ordinem sacerdotalem se faciant promoueri; archidiaconi vero ad ordinem diaconatus: inferiores autem beneficiati in ecclesiis nostræ prouinciæ Rauennensis instituti, ad ordines sacros, secundum quod * vnus cuiuscumque beneficii requirit, infra annum se faciant promoueri. Si qui vero prædictorum animo indurato promotionem suam distulerint, & hanc nostram monitionem, statutum & ordinationem adimplere neglexerint, auctoritate præsentis Concilii ipso iure sint priuati omnibus beneficiis sacros ordines requirentibus, pro quibus promoueri tenebantur, quæ obtinent in nostra prouincia; nisi cum eis, vel aliquo eorum prædictorum fuerit dispensatum, vel in futurum dispensetur; vel nisi iusto impedimento detenti fuerint, quo minus promoueri potuerint: & tunc impedimento cessante, procurent,

* *f.* munus

Anno Christi 1317. rent, quam cito poterunt, se ad ordines, vt præmittitur, facere promoueri. Vt autem hoc salubre prouinciale statutum leuius & plenius debitum sortiatur effectum, & prætextu ignorantiæ, quantumcumque crassæ, non possint inobedientes, desides, & negligentes aliqualem prætendere excusationem, adiicientes, statuimus & ordinamus, quod quilibet episcopus sanctæ Rauennatis ecclesiæ suffraganeus teneatur infra sex menses Synodum celebrare, in qua quidem hoc salubre statutum legi faciat. Et denuo omnes, vt supra præmittitur, suæ ciuitatis & diœcesis moneat & inducat, cum prædicta pœna, ad ordines sacros recipiendos. Item quod in dicta Synodo declarent, omnes rectores præsentes & futuros parochialium ecclesiarum quæ curam animarum habent, nec sunt collegiatæ, non promotos ad ordinem sacerdotalem, infra annum a iure statutum in Concilio Lugdunensi, ipso iure fore priuatos, nisi cum eis fuerit dispensatum, vel in futurum dispensetur. Et si de nouo electi fuerint ad easdem ecclesias, cum hæc sint contra constitutionem bonæ memoriæ Bonifacii papæ octaui. Quos rectores & nos priuamus, seu priuatos declaramus auctoritate præsentis Concilii. Si qui vero in futurum dignitates vel beneficia similia adepti fuerint, teneantur se promoueri facere infra annum ad sacros ordines, secundum quod requirit onus suæ dignitatis vel beneficii: alioquin sint priuati ipso iure, auctoritate præsentis Concilii, beneficiis omnibus, pro quibus promoueri tenentur, quæ in nostra obti-

nent prouincia, nisi & cum talibus dispensetur per superiorem suum. ANNO CHRISTI 1317.

RVBRICA IV.

Quoniam sacerdotium ex indisciplinatione populi apparet non sanum, & propter lasciuas dissolutiones clericorum & religiosorum detrahitur diuino honori & ordini clericali, populique minus ex hoc fiunt deuoti, in tantum, vt etiam iura ecclesiarum retinere, & alii quandoque temerarie inuadere non vereantur, cum incessus, habitus & vestimenta clericorum & religiosorum in grauitate, forma ac colore distincta sæpius non videantur ab habitu laicorum, quemadmodum esse deberent: proinde statuimus & mandamus, sacro approbante Concilio, pro honestate ordinis clericalis, quod nullus religiosus, vel clericus portet arma, nec vestimentum alterius coloris, quam a iure permissi: quæ desuper clausa sint atque talaria. Coronam etiam condecentem portent, per quam designetur regalis esse generis, & sperare se debere assequi partem hereditatis diuinæ: quæ scilicet sit rotunda: & ita tonsi sint inferius, quod aures pateant, ita quod si in sacris fuerint, aut beneficiati in ecclesia cathedrali vel collegiata venerabili, secundum conditionem sui status portent latiorem: alii vero mediocrem vel minorem, suis statibus condecentem. Capita cooperiant pileo, vel bireto, vel armutia oblonga ad aures. Laicorum conuiuia non frequentent. In domibus ecclesiarum studeant habitare. Prælati, sacerdotes, & alii in dignitatibus vel personatibus

ANNO CHRISTI 1317. constituti, ac canonici cathedralium ecclesiarum in sacris ordinibus constituti, sacerdotes & rectores ecclesiarum ciuitatum & suburbiorum, per ciuitatem incedentes, decentem habitum portent, videlicet cappas, chlamydes, vel tabardos. Sacerdotes vero extra ciuitatem & suburbia, & alii in sacris ordinibus constituti, saltem tabardos talares, seu condecentes portent. In ecclesiis vero vtantur cappis, vel cottis albis. Loca turpia nullo modo ingrediantur, nec tabernas, nisi forte in necessitate in itinere constituti, pro cibo vel potu, vel hospitio compellantur intrare. Tabernas, merces illicitas, aut personas suspectas, in ecclesiis vel domibus ecclesiarum, quæ sint intra claustrum, vel ad vsum clericorum vel ministrorum deputatæ, seu in domibus contiguis ipsi ecclesiæ, nullo modo permittant tueri vel commorari. Si quis autem inuentus fuerit arma portare cuiuscumque generis, pœnam incurrat 40. solidorum Rauennatum. Si vero habitum vel tonsuram incongruentem portauerit, 40. solidorum pœnam incurrat. Si autem ingressus fuerit tabernas, nisi sit in itinere constitutus; vel merces illicitas contraxerit emendo vel vendendo, per se vel alium, præsertim si vinum vendiderit, vel vendi fecerit, vel passus fuerit, quod in dictis domibus quoquo modo vendantur, videlicet in domibus ecclesiarum, in quibus ministri ecclesiæ consueuerunt habitare, vel aliter ipsis ecclesiis contiguis, pœnam 10. librarum incurrat. Et eamdem pœnam incurrant tenentes mulieres suspectas in domibus prædictis

vel teneri facientes. Idem & ſi teneri, vel habitare patiantur. Si quis vero ſine cappa, vel ſaltem cotta alba, interfuerit diuinis officiis, pœnam quinque ſolidorum ſe nouerit incurriſſe: & eamdem pœnam incurrant non portantes chlamydem vel tabardum, incedendo per ciuitatem, niſi euidens paupertas rationabiliter aliquem vel aliquos excuſaret. Et ſimilem pœnam incurrant conuiuia laicorum frequentantes, & alii qui capitibus diſcoopertis incedunt, vel incedent. Quas pœnas declaramus clericos ſæculares tantum incurrere, & eas teneantur prælati eorum exigere, in vſus pauperum conuertendas: nec ipſis vllo modo remittere * poſſit, cum hoc ſtatuatur in fauorem eccleſiaſticæ honeſtatis. Si vero fuerit religioſus, qui in prædictis, vel in aliquo prædictorum delinquat, ieiunet bis in hebdomada in pane & aqua, publice cum fratribus comedendo, & ſedendo in terra. Quam pœnitentiam ſi non inchoauerit infra menſem, & inchoatam non perfecerit, eum exnunc capituli voce priuamus, & vltimum in choro volumus eum eſſe. Et hanc pœnam patiatur quouſque dictam pœnitentiam inchoauerit, & inchoatam perfeciſſe noſcatur. Et nihilo minus contra facientes priuati ſint ipſo iure priuilegiis & fauoribus Concilii huiuſmodi, & omnium aliorum Conciliorum prouincialium: quia fruſtra legis implorat auxilium, qui committit in legem. Omnes autem alias conſtitutiones noſtras & prædeceſſorum noſtrorum prouinciales, poſitas ſub titulo, *De vita & honeſtate clericorum*,

Anno Christi 1317.

* *f.* poſſint,

Anno Christi 1317. cassamus & irritamus, & eas nullius momenti esse volumus, & præsentem solummodo constitutionem remanere in sui roboris firmitate.

Rvbrica V.

Quoniam experientia docente, quæ rerum est efficax magistra, manifeste cognouimus, vt plurimum personas insufficientes, illiteratas, & alias indignas ad ecclesiastica beneficia obtinenda, institutas in ecclesiis & monasteriis nostræ prouinciæ Rauennatis: ad hæc necessitate quadam vrgente illos, ad quos spectat electio seu receptio canonicorum & monachorum in dictis ecclesiis & monasteriis, hoc sæpius inducente nimia laicorum importunitate, interdum affinitate aliqua seu consanguinitate, vel alias singulari & inordinata dilectione, quæ sæpius homines inducunt, vt omisso rationis iudicio, carnalitatis sequantur affectum, & dignis prætermissis, indignos ad honores ecclesiasticos assumant, ex quibus plurima damna proueniunt ecclesiis, & diuinus cultus minuitur, quem summopere desideramus augeri. Cupientes igitur huic pestifero morbo quantum possumus obuiare, & de salubri remedio ecclesiis & monasteriis prouidere, præsenti approbante Concilio, statuimus & ordinamus, quod de cetero nullus instituatur vel recipiatur in fratrem & canonicum alicuius cathedralis ecclesiæ vel collegiatæ, vel monachum alicuius monasterii, vel canonicum regularem, sine licentia speciali ordinarii loci ac metropolitani, si videatur opportunum ordinario loci, super quo conscientiam ipsius oneramus. De-

cernentes exnunc, prout extunc, irritum & inane, quidquid contra factum fuerit, seu attentatum. Hoc autem statutum durare volumus vsque ad triennium, seu sequens Concilium: infra quod æstimationes bonorum & reddituum fient, ita quod pro eorum facultatibus competens numerus ministrantium poterit taxari & statui, prout iura requirunt. ANNO CHRISTI 1317.

RVBRICA VI.

Plerumque contingit, quod propter minas & potentiam laicorum, nonnulli religiosi prælati nostræ prouinciæ coguntur indebite nonnullos in suorum locorum fratres recipere, vel conuersos, ex quo prælatis ipsis & eorum locis grauamina multa prouenire noscuntur. Cupientes igitur laicorum in hac parte temeritates excludere, prædictorum prælatorum ac ipsorum locorum indemnitatibus prouidere, hoc sacro approbante Concilio, prouide duximus statuendum seu declarandum, quod modo prædicto recepti in fratres seu conuersos quorumcumque locorum, ad eligendum tam actiue, quam passiue fiant inhabiles: nec ad tractatus quoslibet admittantur, nec eisdem in vestimentis per locorum prælatos modo aliquo debeat prouideri. Quod & in receptis in monialium monasteriis modo prædicto volumus habere vigorem.

RVBRICA VII.

Quoniam ex diutina vacatione damna plurima in spiritualibus & temporalibus ecclesiis solent prouenire, sicut iura testantur, & rerum experientia manifestat: volentes itaque iuxta debitum offi-

Anno Christi 1317. cii nostri ecclesiis in prouincia Rauennati constitutis, contra dispendiosas vacationes, de salubri remedio prouidere, hortamur in Domino omnes fratres coepiscopos nostros, præsentes & absentes, ac alios inferiores prælatos & clericos, cuiuscumque status & gradus vel conditionis existant, quatenus pro Dei honore & salute animarum suarum & populi salubriter & celeriter vacantibus ecclesiis de personis idoneis prouidere procurent, ne lupus rapax gregem dominicum inuaderet, & ne bona dilapidentur. Nihilo minus, sacro approbante Concilio, statuentes, quod si quando contingat propter desidiam seu negligentiam, ad nos collationem dignitatis alicuius vel beneficii seu præbendæ cum cura reuolui, teneantur prælatus & capitulum & clerici ecclesiæ, in qua dignitas, beneficium vel præbenda huiusmodi tanto tempore vacauerit, quod ad nos sit collatio deuoluta, infra mensem a tempore scientiæ deuolutionis huius, hoc nobis intimare, seu vicario nostro, nobis in remotis agentibus: ne, quod absit, ecclesiæ diu maneant desolatæ, & nos nostro defraudemur desiderio. Illud idem statuimus circa fratres coepiscopos omnes prouinciæ Rauennatis suffraganeos, quando de ipsis ad capitula collatio deuoluetur. Quod & de patronis auctoritate eadem volumus & statuimus intelligi debere. Negligentes & remissi hoc salubre statutum adimplere, & sequenti Concilio arguantur, & pœna debita castigentur.

Rvbrica VIII.

Etsi deceat, & satis consonet rationi & iuri, qui-

buſcumque clericis collegiatarum eccleſiarum certum & determinatum numerum habere clericorum, tanto magis canonicis cathedralium eccleſiarum hoc competit, quanto tamquam caput aliorum in ſeipſos debent oſtendere, qualiter inferiores in domo Dei conuerſari debeant: non plures in quibuſcumque eccleſiis debent inſtitui, quam ex bonis ipſarum viuere poſſint: hoc maxime in cathedralibus ſeruari debet, ne propter inordinatam conſtitutionem cogantur ipſorum canonici, in opprobrium totius cleri, miſerabiliter mendicare. Volentes ergo inordinatis receptionibus factis & fiendis in prouincia noſtra, quantum poſſumus, prouidere, hoc ſacro approbante Concilio, ſtatuimus & ordinamus, quod vbicumque in cathedralibus vel collegiatis eccleſiis determinatus eſt numerus canonicorum vel clericorum, ſtatuto vel conſuetudine, ille ſeruetur, nec augeatur quocumque quæſito colore, niſi iuſta de cauſa & de licentia ordinariorum ſuorum. Vbi autem numerus certus determinatus non eſt, præcipimus ſtatui & firmari iuxta facultatem eccleſiarum, & hoc infra ſex menſes a publicatione conſtitutionis præſentis numerandos. Sed quia non eſt reprehenſibile iudicandum, ſed laudandum, ſi ſecundum varietates temporum varientur etiam humana ſtatuta, & ſæpius ſit inueniri, quod eccleſiæ antiquo numero canonicorum ſtatuto grauantur, idcirco ſtatuimus, quod ſi aliquæ eccleſiæ collegiatæ vel cathedrales inueniantur antiquo ſtatuto numero in præſenti rationabiliter prægrauari, volumus, quod canonici ANNO CHRISTI 1317.

ipſa-

Anno Christi 1317. ipsarum ecclesiarum, de licentia suorum ordinariorum, seu ipsi ordinarii, vbi ad eos solos spectat, reducant seu statuant talem numerum iuxta facultatem ipsarum ecclesiarum: ita quod cedentibus vel decedentibus canonicis, nullus de nouo loco cedentis vel decedentis instituatur, quousque peruenerit ad numerum sic ab antiquo statutum, vel de nouo statuendum. Et quia nonnulli tam episcopi quam alii prouinciæ nostræ, præteriti & præsentes, vt fide dignorum relatione audiuimus, ecclesias cathedrales vel collegiatas, quarum institutio vel ordinatio ad eos spectabat, vel ad se spectare prætendebant de consuetudine vel priuilegio, aggrauant & aggrauarunt indebito & inordinato numero clericorum, & tali, quod nullo modo ecclesiæ prædictæ sic institutis & inordinatis in necessariis prouidere potuerunt, nec possunt: quod cedit in vituperium, nedum eorum, sed totius cleri: & cum tales clerici non possint ecclesiis deseruire, & cogantur quodammodo mendicare, idcirco volentes tali morbo debitam adhibere medelam, statuimus & ordinamus, quod nec episcopi, nec alii possint vel debeant in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, vel aliis, in quibus institutio vel ordinatio ad ipsos noscitur pertinere, aliquem vel aliquos vltra numerum præsentem de nouo instituere sine licentia sui superioris: & si contra fieret, sit irritum ipso iure. Volumus etiam, & eis præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, quod numerum sic ordinatum in prædictis ecclesiis sic institutum redigere debeant ad debitum congruentem

numerum. Et quia qui altari ſeruit, de altari viuere debet, & qui ad onus eligitur, a mercede repelli non debet; ſtatuimus & ordinamus, quod prædicti ordinatores, deficientibus propriis redditibus eccleſiarum, in quibus indebitam ordinationem fecerint, in futurum teneantur ſic inſtitutis per ipſos, reſidentibus in eccleſiis in quibus inſtituti ſunt, ipſis eccleſiis in diuinis & aliis deſeruientibus, neceſſaria procurare, & tam in victu, quam in veſtitu & aliis neceſſariis, iuxta earum exigentiam facultatum. ANNO CHRISTI 1317.

RVBRICA IX.

Quorumdam clericorum deſidiam & periculoſam negligentiam radicitus extirpare volentes, qui in eorum eccleſiis reſidere negligunt, in graue præiudicium animarum ipſorum, & ſcandalum plurimorum, propter quod eccleſiæ ſæpius diuinis defraudantur officiis, cultuſque diuinus minuitur, quem ſummo cordis deſiderio augeri deſideramus, hoc ſacro approbante Concilio, citamus & requirimus, & monemus omnes clericos noſtræ prouinciæ, cuiuſcumque ordinis, dignitatis & ſtatus & conditionis exiſtant, quatenus infra ſex menſes a die præſentis citationis, monitionis & requiſitionis numerandos, quorum duos pro primo, duos pro ſecundo, reliquos duos pro tertio peremptorio eis aſſignamus, redire debeant ad continuam reſidentiam faciendam in eorum eccleſiis: eodem ſacro approbante Concilio, ſtatuentes & ordinantes, quod ſi quis, vel ſi qui clerici abſentes hanc noſtram monitionem contempſerint, vel in futurum ſe abſentauerint ab eorum eccleſiis, vltra

Anno Christi 1317. quindecim dies, sine speciali petita licentia & obtenta ab ordinario loci vel eius vicario, ipso ordinario extra ciuitatem agente, ipso iure sint priuati beneficiis omnibus quæ in nostra prouincia obtinent, nisi per superiorem super iis fuerit cum eisdem misericorditer dispensatum.

RVBRICA X.

Quia parum est iura condere, nisi executioni debitæ demandentur, & per bonæ memoriæ fratrem Bonifacium prædecessorem nostrum, in Concilio per ipsum Forliuii celebrato, inter cetera statutum extiterit, quod vbi statutæ non essent in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis quotidianæ distributiones, in Synodis proxime faciendis per singulos suffraganeos Rauennatis ecclesiæ proinde statuerentur, vt per hoc ipsis ecclesiis singulis horis in diuinis melius seruiretur: & attendentes patres coepiscopos nostros in executione constitutionis prædictæ vt plurimum hucusque negligentes fuisse; volentes igitur dictam constitutionem tamquam rationabilem executioni debitæ demandare, hoc sacro approbante Concilio statuimus & ordinamus,quod quilibet suffraganeorum nostrorum sub pœna inobedientiæ teneatur sic prouidere,quod in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis dictæ quotidianæ distributiones fiant, & mensa communis deputetur: vel vbi dictæ distributiones seu mensa commode ordinari non possent, sic per eosdem ordinarios prouideatur, quod decenter & deuote in diuinis officiis ecclesiis ipsis deseruiatur:vt sic cultus diuinus non minuatur,sed

potius, vt cupimus, augeatur. Si quis autem suffraganeorum prædicta non obseruauerit, pœnam statutam contra transgressores Canonum poterit formidare, & nihilo minus in sequenti Concilio durius increpetur. ANNO CHRISTI 1317.

RVBRICA XI.

Cum imponendis & exigendis collectis talis modus & diuisio debeat obseruari, vt nulla ecclesia, seu ecclesiastica persona se indebite prægrauari ex iis rationabiliter conqueri possit; ac sæpe contingat dominos suffraganeos ecclesiæ Rauennatis debere Rauennatem ecclesiam visitare pro festiuitatibus sanctorum martyrum Apollinaris, Vitalis, vel aliis ex causis in prouincia emergentibus a nobis euocari; quos non oportet, pro factis prouinciæ, propriis stipendiis militare: volentes hoc adhibere remedium opportunum, statuimus & ordinamus, hoc sacro approbante Concilio, quod quilibet episcopus nostræ prouinciæ in ciuitate & diœcesi sua, & de consensu cleri ad hoc specialiter conuocati, personas sufficientes & idoneas deputet & ordinet infra tres menses a publicatione præsentis constitutionis, quo omnes redditus & prouentus ecclesiarum omnium, monasteriorum & aliorum locorum religiosorum, cuiuscumque status vel conditionis existant, discutiant & examinent diligenter, & describant seu describi faciant per publicum notarium, iustam æstimationem & debitam vnicuique ecclesiæ imponentes: & hoc in monasteriis, prioratibus, ecclesiis seu locis ecclesiasticis aliis, vbi a decem annis citra non est fa-

Anno Christi 1317. cta æstimatio ante dicta. De qua quidem taxatione & æstimatione teneatur quilibet episcopus, ad expensas cleri sui, per scripturam publicam archiepiscopali curiæ facere fidem infra tres menses, ex quo dicta æstimatio facta fuit: secundum quam æstimationem & taxationem statuimus & ordinamus, omnia onera nostræ Rauennatis ecclesiæ prouinciæ imminentia ad præsens, vel in futurum, debere diuidi & partiri inter prælatos & clerum Rauennatis prouinciæ. Idem modus etiam & diuisio per ipsos obseruetur in diuidendis & distribuendis oneribus specialiter impositis clero suæ ciuitatis & diœcesis. Circa venerandos quoque patres & coepiscopos nostros ducimus statuendum, volentes parcere grauaminibus subditorum, quod si quando eos laborare contingat, pro factis prouinciæ Rauennatis quindecim equitaturis seu euectionibus ad plus sint contenti, & minus: vt minores non doleant, & iuste conqueri possint, se indebite prægrauari: & ipsorum procurationibus 12. solidos Bononienses pro quolibet equo: pro palafreno vero domini, vnum florenum auri pro qualibet legali dieta, seu die quo laborauerit, taxamus. Si vero pro præfatis causis contingeret abbates & prælatos aliquos, seu canonicos cathedralis ecclesiæ, aut clericos, laborare, abbatibus & prælatis quatuor equos, canonicis ecclesiæ cathedralis, tres; clerico vero, vnum taxamus. Et pro vnoquoque equo 10. solidos Bononienses habere debeant a clero, & non vltra: & in hoc sint taciti & contenti. Clericus vero siue laicus, qui sine equo

mitteretur a clero, seu iret occasione cleri, sex solidos Bononienses pro qualibet competenti eis dieta taxamus. ANNO CHRISTI 1317.

RVBRICA XII.

Etsi, Propheta testante, doceamur psallere Deo, & singulis horis psallere sapienter, multo fortius hoc debemus attendere, quando missa præsertim solenniter celebratur, vbi angelicæ hierarchiæ inuocantur, & in tali tanto mysterio, vt sancti testantur, assistunt, debemus voce, spiritu, & mente psallere humiliter & deuote. Cum igitur missa in aliqua ecclesia nostræ prouinciæ in nota celebratur, debent omnes maxime sacerdotes & clerici in ecclesia ipsa, quantum possunt, assistere celebranti, ac omnis clamor, strepitus & tumultus in eadem ecclesia conquiescere. Quidam vero non debito modo considerantes, prædictam missam quæ in nota cantatur, irreuerenter prætereunt, de sacris induere, missas vno concursu cum sacerdote celebrare volentes, ex quo populorum concursus ac pedum strepitus per ecclesiam fit cum quodam sonoroso clamore: & sic missa quæ celebratur in nota, per indirectum quodammodo impeditur, seu minus deuote attenditur. Volentes igitur huic indiscreto actui necessariam adhibere medelam, sacro approbante Concilio, monemus omnes sacerdotes tam sæculares, quam regulares nostræ prouinciæ, atque statuimus, quatenus cum missa celebratur in nota in aliqua ecclesia, nullus alius sacerdos missam celebret in eadem, donec missa præfata fuerit plene completa. Qui

Anno Christi 1317. autem contra fecerit, ſui ordinarii arbitrio puniatur, ac durius increpetur: pœnas etiam contra inobedientes latas merito poterit formidare.

Rvbrica XIII.

Quia nonnulli abbates, priores, præpoſiti, archipresbyteri, & alii eccleſiarum inferiores prælati, prout eſt huic ſacro Concilio intimatum, contra rectores & clericos eccleſiarum ſubiectarum prælatis eiſdem, ordinario iure, inquiſitiones formant, accuſationes admittunt, ac ad priuationem & pœnas alias procedere non verentur; & per hoc, tam iuri communi, quam pontificali dignitati plurimum detrahunt; ſtatuimus præſentis auctoritate Concilii, quod nullus abbas, prior, præpoſitus, archipresbyter, ſeu alius prælatus inferior epiſcopo, contra rectores ſeu clericos eccleſiarum ſubiectarum eiſdem inquiſitionem formare, accuſationem admittere, vel ad priuationem procedere quoquo modo præſumant. Decernentes irritum & inane quidquid contra hoc ſtatutum per talem fuerit attentatum, niſi de ſpeciali priuilegio, vel conſuetudine legitime præſcripta, eis hoc competere dignoſcatur. Ordo namque eccleſiaſticus confuſioni pateret, ſi pontificalis iuriſdictio non ſeruaretur.

Rvbrica XIV.

Quamquam Iudæi per eccleſiam tolerentur, non tamen debent in fidelium detrimentum, ſeu graue diſpendium, tolerari: quod ſæpius Chriſtianis accidit, pro gratia contumeliam, & pro familiaritate contemptum reddendo. Ideoque olim

prouinciale Concilium Rauennæ celebratum, Anno Christi 1317. conſiderans ex ipſorum cum Chriſtianis permixta conuerſatione multa ſcandala proueniſſe, ſtatuit, ac perpetua ſtabilitate firmauit, quod ipſi rotam panni crocei coloris in veſtibus ſuperioribus, ac mulieres ipſorum conſimilem rotam in capite deberent portare, vt ſic a Chriſtianis poſſent diſcerni: & quod ad habitandum alicubi vltra menſem recipi non deberent, niſi in locis, in quibus obtinent ſynagogas. Sed quia nonnulli neſcientes a vetitis abſtinere, ſtatutum ſalubre præfati Concilii vilipendunt, ignorantia affectata, pœna docente, poterunt cognoſcere, quam ſit graue conſtitutiones eccleſiaſticas præterire: ideoque ſacro approbante Concilio, volentes huic morbo ſalubriter prouidere, monemus omnes tam clericos, quam laicos noſtræ prouinciæ, atque ſtatuimus, quatenus nullus de cetero locet domos ipſis Iudæis, nec locatas dimittat, aut vendat, ſeu quocumque colore concedat, vel inhabitare permittat vltra duos menſes a publicatione præſentis conſtitutionis. Qui vero contra fecerit, ipſo facto excommunicationis incurrat ſententiam, a qua abſolui non poſſit, niſi plene ſatisfecerit in prædictis.

RVBRICA XV.

Vſurarum voraginem vtriuſque teſtamenti pagina reprobatam, in noſtra prouincia reprimere cupientes, denuntiamus, ſeu declaramus, hoc ſacro approbante Concilio, omnes vſurarios manifeſtos, donec de vſuris, prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo,

Anno Christi 1317. ciendo pro suarum viribus facultatum idoneam præstent cautionem, fore communione altaris & ecclesiastica sepultura priuatos; eorumque oblationes recipi non debere, nec ipsos absolui posse: testamenta quoque ipsorum non valere, sed esse irrita ipso iure. Omnes etiam, qui huiusmodi vsurariis communionem altaris, ac corpus Christi tradiderint, aut eos ad ecclesiasticam admiserint sepulturam, donec ad arbitrium ordinarii loci satisfecerint, ab officii sui executione decernimus seu declaramus esse suspensos. Adiicientes, vt pœnæ huiusmodi subiaceant omnes, qui tales vsurarios absoluerint, aut ad communionem altaris admiserint, siue testamentis aut sepulturæ interfuerint eorumdem. Tabelliones quoque de mutuis & contractibus vsurariis, vel in fraudem vsurarum initis, instrumenta conficientes, vel recipientes scienter, quibus vsurarii pœnis subiaceant ipso facto. Ceterum in recipienda ab vsurariis pœnitentibus, de vsuris restituendis, cautione prædicta, hanc haberi volumus & obseruari cautelam, vt ante omnia per confessionem vsurarii, vel per librum, vel libros rationum eius, aut per testes siue instrumentum, vel aliquo alio modo fiat certa & manifesta, si poterit, receptarum quantitas vsurarum, non earum tantum, quæ ab incertis, verum etiam quæ sunt a certis vniuersitatibus & personis extortæ. Si vero id non sit possibile, arbitretur & moderetur quantitatem huiusmodi is, qui ex vigore præsentis constitutionis recepturus fuerit cautionem huiusmodi, secundum rectam

conſcientiam, ex fama, ſeu vicinorum teſtimoniis, aut ex coniecturis aliis veriſimilibus informandam. ANNO CHRISTI 1317.

Vbi vero per poſtas libri vſurarii non apparuerit, per petentem ſibi vſuras reſtitui de vſuris ſolutis, ſi petens habuerit inſtrumenta originalia, vel exemplaria ſumpta de originalibus communis ciuitatis, vel loci illius, in quo contractum fuerit debitum mutui recepti ab vſurario, aut alterius obligationis cum illo contractæ, vel cum alio pro eodem, & inſtrumentum ſolutionis, ſeu liberationis, vel confeſſionis, ſolutio vſurarum præſumatur & iudicetur: & ipſo mutuo, vel obligatione a die contracti debiti ſeu obligationis, vſque ad diem inſtrumenti confecti ſolutionis: & ab illo extorſiſſe vſuras, tot denarios pro libra ſingulis menſibus, quot declarare voluerit diœceſanus epiſcopus, aut eius vicarius, vel pœnitentiarius, ſi ipſe vſurarius in dicta cautione non declarauit, & dixit quot denarios accipiebat pro libra menſibus ſingulis. Quando autem ſolutionis inſtrumentum aut ſcriptura non apparuerit, tunc iudicetur, vſuras per ſex menſes vſurarium extorſiſſe ab illo, ex illo mutuo, ſeu obligatione ſecundum rationem & taxationem prædictam, pro menſe quolibet: dummodo appareat per poſtas libri, vel alio modo legitimo mutuum, vel obligationem fuiſſe contractam. Quo facto, promittat ſolenniter, & iuret vſurarius ei qui, vt * permittitur, hanc receperit cautionem curiæ ordinarii loci, vbi vſurarius fuerit, omnium quorum intereſt vel intererit, nomine, quod ipſe, ſi poterit, per ſeipſum,

* f. præmittitur,

Anno Christi 1317. vel alium, seu alios, & in præsentia vicarii ordinarii prædicti, vel eius pœnitentiarii, vel alterius de curiæ licentia, sine difficultate qualibet, de vsuris a se receptis, & a patre suo, ceterisque personis, quorum hereditas ad ipsum peruenerit, & de aliis male ablatis, & illicite acquisitis per vsurariam prauitatem, vsque in quantitatem æstimatam, & etiam maiorem, si de maiore constiterit, satisfaciet eis, a quibus eas ipse, vel illi receperunt, aut eorum heredibus, si potuerint reperiri: & residuum, de quo, cui restitui debeat, non constabit, ordinario, vel vicario, seu pœnitentiario ipsius ordinarii libere assignabit, pauperibus erogandum, iuxta ordinarii arbitrium, sine strepitu iudicii, & figura. Et quod nihil dicet, vel allegabit, vel faciet per se, siue per alium, propter quod ipsius curiæ processus, sententiæ, vel præcepta impediantur, aut quomodolibet retardentur circa ipsarum vsurarum & illicite acquisitorum modo prædicto restitutionem: speciali pacto se, & suos heredes, & bona obligans ad prædicta, & renuntians expresse, specialiter & generaliter omnibus exceptionibus, iuribus & defensionibus, secundum libitum, & expressionem recipientis huiusmodi cautionem. Sed pro his attendendis, & restitutione, & assignatione, vt præmittitur, faciendis, obliget omnia bona sua, illa se constituens precario nomine dictæ curiæ possidere: omnimodam licentiam concedens, & liberam potestatem ipsi curiæ, & recipienti cautionem prædictam, pro ea, apprehendendi, distrahendi, & alienandi de ipsius bonis

libere ac impune, auctoritate propria, & contradictione non obstante cuiusquam, quidquid & quantum, & vbi voluerit ipsa curia, vsque ad integram restitutionem & satisfactionem prædictorum. Et eorum occasione renuntiet etiam vsuris, & sibi promissas remittat, ac iuramenta sibi pro eis soluendis, vel non recipiendis, seu repetendis præstita, relaxet, reddat, aut saltem reddere promittat: & iuret, quod libros & quaternos rationum suarum, & instrumenta vsuraria quæ habebit, vel habere poterit, absque dolo vel fraude, diminutione siue subtractione, ordinario, vel eius vicario, seu certo nuntio dabit & consignabit per se vel alios, pro eodem. Assignet etiam pecuniam quam habet, vel faciat depositum, si poterit, ad arbitrium ordinarii, seu vicarii, vel pœnitentiarii ipsius: quod quidem in cautione ipsa venire censemus. Damnet etiam heredes suos futuros, sub pœna hereditatis amittendæ, ad eadem facienda: ipsi heredes, si præsentes fuerint, eadem se facturos sub pœna & sub religione promittant & iurent. Det præterea, si poterit, pignora, vel saltem fideiussores idoneos, qui ad prædicta eodem modo, & sub eisdem pœnis & tenoribus obligent principaliter se & sua, constituentes se principales debitores in prædictis, renuntiantes epistolæ diui Hadriani, beneficio nouarum constitutionum de fideiussoribus, & omni alii defensioni & iuri, ad arbitrium recipientis cautionem eamdem, ex pacto speciali, præstantes simile iuramentum. Hæc autem præcipimus fieri coram sacerdote parochiali, & testi- ANNO CHRISTI 1317.

Anno Christi 1317. bus fide dignis ac notario publico, de ordinarii, vel vicarii, aut pœnitentiarii ipſius mandato, qui recipiat prædictas promiſſionem & obligationem, renuntiationem & cautionem, & cetera ſupradicta, de his conficiens inſtrumentum. Denique cautionem ipſam per ſingulas ordinariorum diœceſes, vbi ordinarius vel eius vicarius præſens non adeſſet, recipiat rector parochialis eccleſiæ, in qua vſurarius habitabat, vel notarius publicus in ſacerdotis defectum, qui infra menſem teneatur hoc denuntiare loci ordinario vel eius vicario. In ciuitate vero nullus omnino abſque ordinarii vel vicarii, ſeu pœnitentiarii ipſius licentia ſpeciali, niſi forte parochialis ſacerdos, vbi non poterit requiri ad hæc cura ordinarii, ſuperueniente ſubito caſu mortis, de illa recipienda ſe intromittere præſumat: alioquin pœnam 10. librarum Rauennatum incurrat abſque ſatisfactione debita minime relaxandam. Illos namque, quoad prædicta, declaramus vſurarios manifeſtos, de quibus per parochiam quam inhabitauerint, vel vbi morerentur, fama fuerit extorſiſſe vſuras, vel ipſorum confeſſione, aut per idonea argumenta ſeu alio modo legitimo apparebit. Conſtitutionem quoque præſentem omnes parochialium eccleſiarum rectores, etiam ſi collegiatæ fuerint, habeant, legant & intelligant: vſurariorum pœnas prædictas frequentius in ſuis eccleſiis publicantes, & ſuas cautius euitantes, ſi diuinam & noſtram effugere cupiunt vltionem.

RVBRICA XVI.

Quorumdam fraudibus legis præuaricatorum

occurrere intendentes, qui dum male ablata habent, de quibus ignoratur cui sit restitutio facienda, quæ essent per locorum episcopos aut ipsorum auctoritate inter pauperes prouide dispensanda; legant vel legare procurant, male ablatorum prætextu, de illis non facta mentione, aliquam pecuniæ quantitatem per executores seu alios, excluso fraudulenter ordinario episcopo, dispensandam; hoc sacro approbante Concilio statuimus, quod de cetero quælibet persona, quæ restituere seu restitui voluerit aliqua male ablata incerta, siue de quibus, cui facienda sit restitutio, ignoretur, in suo testamento, codicillo vel vltima voluntate expresse dicat & clare, *Relinquo istud vel illud, seu tantum de male ablatis incertis, seu restitutione ipsorum:* nec dicat, *relinquo pro remedio animæ meæ, seu parentum meorum*: neque aliquid aliud inseratur, propter quod quæ sunt ipsius male ablata incerta, non plenarie cognoscatur, sub pœna 10. librarum Rauennatum, quas in vsus pauperum conuertendas decernimus. Rectoribus, capellanis ecclesiarum mandantes sub excommunicationis pœna, quod aliquorum vltimis voluntatibus non interfint, seu ordinationibus eorumdem, quos sciuerint vel crediderint contra mentem attentare constitutionis huiusmodi, vel in fraudem: & quod exponant infirmis & ipsorum heredibus, vt nisi nominatim & expresse legauerint male ablata incerta restituenda, non habebunt ecclesiasticam sepulturam. Quoslibet vero clericos, religiosos, vel sæculares, qui circa hoc fraudem aliquam procurauerint ob-

ANNO CHRISTI 1317.

Anno Christi 1317. seruari, ab ingressu ecclesiæ & participatione sacramentorum suspendimus in his scriptis.

Rvbrica XVII.

Licet ex dictis sanctorum & ex scriptis Conciliorum, omnibus seruis Dei venationes cum canibus & auibus sint interdictæ, nonnulli tamen religiosi, sicut fide dignorum relatione accepimus, hoc minus pensantes, honestatis laxatis habenis, monachali modestia prorsus abiecta, monasterii claustrum abhorrentes, sine quo monachus vita carere describitur, sicut pisces vita carent sine aqua, more laicorum ipsis intendunt in grauem religionis offensam, opprobrium & scandalum plurimorum. Volentes igitur prædictorum statui periculoso & detestabili salubriter occurrere, hoc sacro approbante Concilio, districtius inhibemus religiosis omnibus, cuiuscumque status, conditionis, religionis, vel ordinationis existant, ne de cetero venari, seu ad venandum exire præsumant. Si quidem abbates, priores vel præpositi, seu alias administrationes habentes fuerint, per annum ipso facto sint suspensi ab omni administratione, donec ad mandatum ordinarii plene satisfecerint. Inferiores vero sint ineligibiles, & vltimi semper in choro habeantur, donec ad mandatum abbatis, prioris vel præpositi sufficienter pœnitentiam egerint de commissis.

Rvbrica XVIII.

Sæculares potestates, seu rectores vel iudices quorumcumque locorum prouinciæ Rauennatis, qui clericos per ipsos, seu ipsorum familias cum ar-

mis, vel alias exceſſiſſe, & maxime in habitu cleri- ANNO CHRISTI 1317.
cali repertos, detentos retinent, & ad diœceſanum epiſcopum remittere denegant, requiſiti, ſeu qui clericos ipſos, ſi eoſdem remitti per eos forte contigerit, in ſcandalum & opprobrium ordinis clericalis, tubis præcedentibus & tubantibus, armis apud ipſos inuentis, ad eorum collum appenſis, & cum multitudine armatorum, ſeu alias inhoneſte ad eumdem tranſmittunt epiſcopum: declaramus præſentis auctoritate Concilii, excommunicationis vinculo innodatos, & eorum ſententias & proceſſus per ipſos ſeu auctoritate ipſorum latos & factos, extunc fore cenſemus inualidos, donec ſatisfactione præſtita, a prædicta excommunicationis ſententia per ſedem apoſtolicam dumtaxat abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

RVBRICA XIX.

Cum nullus pro eodem delicto debeat duplici pœna puniri, ſtatuimus & ordinamus, hoc ſacro approbante Concilio, quod ſi qua alia pœna ſtatuta eſſet in conſtitutionibus ſynodalibus noſtris, vel ſuffraganeorum noſtrorum, quam in noſtris conſtitutionibus prouincialibus, vel prædeceſſorum noſtrorum, ſtatutum circa idem factum reperiatur, quod altera ipſarum ſit contentus loci ordinarius, & vna electa & impoſita per ipſum, ſeu eius vicarium, alteram infligere, ſeu inflictam exigere non poſſit.

RVBRICA XX.

Cum inferior ſuperioris legem habeat obſeruare, nec eam poſſit infringere, ſeu etiam abolere, &

in

Anno Christi 1317. in iure contineatur, quod episcopi plures, vel vnus, non possint concedere indulgentiam vltra numerum quadraginta dierum, excepto in sola ecclesiarum consecratione : quod de vno anno statutum fuit in Concilio Forliuii celebrato per bonæ memoriæ fratrem Bonifacium prædecessorem nostrum, circa prælatos eleemosynarios, sub rubrica de pauperibus alendis, limitamus & reducimus ad numerum 40. dierum, hoc sacro approbante Concilio. Ad hoc diligenter considerantes, quod qui aliis præsunt, lenitatem cum seueritate miscere debent, & cum subditis misericorditer agere : ita tamen quod honestas & disciplina clericalis non destituatur, aliam nostram constitutionem prouincialem editam & promulgatam per nos in Concilio Argentæ celebrato, positam sub titulo, de ætate & qualitate ordinandorum, duximus moderandam, eodem sacro approbante Concilio statuentes, quod non obstante constitutione prædicta, nos & quilibet episcopus cum suis subditis dispensare possimus, qui contra tenorem & formam dictæ constitutionis ad ordines sunt promoti, vel in futurum promouerentur. Hortamur tamen pro reuerentia Dei dictos dominos episcopos, quod constitutionem ipsam sic salubriter statutam obseruent, & mandent a subditis obseruari, ne per proprias vel alias personas indignas & minus sufficientes ad ordines promoueri contingat : quod solum mens dictæ constitutionis requirit.

RVBRICA XXI.

Item cum negligentia seu contumacia indeuo-

torum pœna condecenti debeat puniri, & in Concilio Rauennæ per nos celebrato inter alia fuerit ſtatutum, quod capitula eccleſiarum cathedralium quam citius commode poſſent, obitum ſuorum epiſcoporum ſingulis comprouincialibus epiſcopis deberent nuntiare: & ſi ſuper hoc fuerint negligentes vel remiſſi, hoc ſacro approbante Concilio ſtatuimus, quod capitula ipſa infra 10. dies poſtquam ſciuerint ſuum epiſcopum defunctum fore, archiepiſcopo & ſingulis ſuffraganeis teneantur nuntiare: alioquin pœnam 10. librarum Rauennatum ipſo facto incurrant, diſtribuendarum in vſus pios metropolitani arbitrio. ANNO CHRISTI 1317.

RVBRICA XXII.

Deſiderabiliter affectantes in iis per quæ ſaluti conſulitur animarum, humanæ fragilitati, quæ facile declinat ad malum, via ſalutifera prouidere, auctoritate Dei omnipotentis & beatorum apoſtolorum Petri & Pauli, ac approbatione huius ſacri Concilii, abſoluimus, ſeu abſoluendos decernimus omnes & ſingulos ſubditos noſtros & ſuffraganeorum noſtrorum, & eccleſiæ Rauennatis, qui pœnas aliquas ſeu pœnam, contentas vel contentam in ſacris conſtitutionibus noſtris, ſeu prædeceſſorum noſtrorum, prouincialibus ſeu ſynodalibus noſtris, vel ſuffraganeorum noſtrorum, vel qui notam inobedientiæ incurriſſent, mandatis noſtris ſeu ordinarii vel vicarii noſtri, ſeu ordinarii eiuſdem, non parendo, ſi contriti confiteantur infra vnius menſis ſpatium a notitia præſentis, & ad mandata ordinarii, læſo ſecundum formam eccle-

ANNO CHRISTI 1317. siæ satisfaciant, seu eius vicarii, eo in remotis agente, vel vicarii capituli vbi ecclesia vacat: super hoc nobis reseruantes auctoritatem plenariam absoluendi & dispensandi, etiam si in constitutione specialiter reseruatur absolutio & dispensatio Concilio prouinciali: eamdem auctoritatem concedentes, & specialiter committentes, præsentis auctoritate Concilii, locorum ordinariis, seu eorum vicariis, ipsis in remotis agentibus, & vicariis capituli vbi ecclesia vacat. Hortamur etiam & in Domino obsecramus venerabiles patres & coepiscopos nostros præsentes & absentes, vt pro diuina pietate & reuerentia huius sacri Concilii relaxari faciant quos episcopi vel alii de eorum mandato seu auctoritate detinent carceratos; dummodo scandalum inde non oriatur, ac orationes frequentent seu frequentari mandent in Missis pro pace & contra persecutores ecclesiæ, videlicet orationem, *Ecclesiæ tuæ*, vbi non dicitur oratio, *A cunctis*. Relaxamus quoque eadem auctoritate omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, qui ad hoc sacrum Concilium accesserunt, vel pro eo laborauerunt, de iniunctis pœnitentiis 40. dies, pro singulis diebus quibus laborauerunt vel laborabunt, vsque ad festum omnium sanctorum inclusiue. Reseruamus insuper nobis, hoc sacro approbante Concilio, arbitrium puniendi & absoluendi, quos de iure possumus, contemptores & transgressores sacrorum Canonum, cuiuscumque ordinis, præeminentiæ, dignitatis vel status existant. Ad hæc, eodem sacro approbante Concilio no-

bis ſpecialiter reſeruamus auctoritatem & poteſtatem declarandi, interpretandi, temperandi, ſeu minuendi dictas prouinciales conſtitutiones ſeu pœnas in eis contentas, & ſuper dictis pœnis miſericorditer diſpenſandi cum omnibus & ſingulis ſubditis noſtris, & ſuffraganeorum noſtrorum, prout qualitas negotiorum & conditio perſonarum requireret. ANNO CHRISTI 1317.

Lectæ & publicatæ fuerunt prædictæ conſtitutiones per reuerendiſſimum patrem, dominum R. permiſſione diuina ſanctæ Rauennatis eccleſiæ archiepiſcopum, in eccleſia cathedrali Bononiæ, aſſidentibus venerabilibus patribus & dominis, dominis Huberto Bononienſi, fratre Petro Comaclenſi, Petro Foropompilienſi, Ioanne Cæſenate, Guidone Regino, pro ſe & eccleſia ſua, & pro fratre Simone Parmenſi epiſcopo, qui poſt ſecundam ſeſſionem, ex rationabili cauſa ſe abſentans, in omnibus & per omnia commiſit vices ſuas eidem, & conſenſit omnibus quæ terminantur in ipſo Concilio: Rimbaldo Imolenſi, Guidone Ceruienſi, epiſcopis, ac procuratoribus fratris Huguizonis Saſſenatis, fratris Hugolini Fauentini, Salionis Adrienſis, epiſcoporum abſentium: Mutinenſi propter infirmitatem ſe canonice excuſante, ſeu ordinandis & ſtatuendis pro ſe & ſuo clero reuerenter conſentiente: procuratoribus archidiaconi & capituli Forliuienſis, cum eccleſia ipſa ad præſens paſtore vacet; & capitulorum cathedralium eccleſiarum prouinciæ Rauennatis. Præſentibus etiam religioſis & venerabilibus viris, abbatibus, priori-

Anno Christi 1317. bus, præpositis, archipresbyteris, & aliis quampluribus ad Concilium ipsum conuocatis: Huguizone præposito, Catia presbytero, Gerardino subdiacono cardinale, Boninsegna presbytero, & Albertino subdiacono, cantoribus sanctæ Rauennatis ecclesiæ: Guidone sanctorum Fabiani & Sebastiani, Petro sancti Petri in curte, Ioanne sanctæ Euphemiæ, ecclesiarum rectoribus, conuentus clericorum Rauennæ: fratre Andrea priore sanctæ Pelagiæ de Cremona, vicario ipsius domini archiepiscopi; Conrado archipresbytero Paduano, & quampluribus aliis: sub annis Domini MCCCXVII. indictione XV. die XXVII. Octobris.

Rvbrica XXIII.

Nos Rainaldus permissione diuina, & apostolicæ sedis gratia, sanctæ Rauennatis ecclesiæ archiepiscopus, dudum volentes executioni debitæ demandare constitutionem piæ memoriæ Bonifacii papæ VIII. quam edidit & promulgauit super clausura monialium, & in qua expresse statuit, omnes & singulas moniales, cuiuscumque religionis, status vel conditionis existerent, sub perpetua clausura debere manere, nullique personæ ad eas ingressum patere, inobedientiæ notam ac maledictionem æternam effugere cupientes, easdem moniales, vbi ad nos spectat, mandauimus & fecimus includi, ac quasdam constitutiones addidimus synodales & prouinciales, in quibus omnibus indistincte tam clericis, quam laicis prohibuimus ingressum monasteriorum, & ad easdem accessum,

Anno Christi 1317.

sine nostra seu vicarii nostri, vel alias ordinarii loci seu eius vicarii, nobis seu ordinario loci in remotis agentibus, licentia speciali, pœnas pecuniarias, & sententias excommunicationis certo modo in contra facientes promulgantes. Verum quia a pluribus personis fide dignis, maturis & honestate præditis sæpius audiuimus, quod dictæ nostræ constitutiones, quas pro salubri remedio animarum intentionis nostræ erat edidisse, ad ruinam & periculum animarum multorum tenderent, cupientes, quantum nobis ex alto concessum est, semper auctore Deo, de salubri remedio animarum saluti consulere: super hæc etiam solicitati sæpius & requisiti, constitutiones ipsas, auctoritate nobis concessa in Concilio Bononiæ per nos celebrato, declarandi, interpretandi, minuendi, moderandi & mitigandi constitutiones prouinciales nostras & prædecessorum nostrorum, & pœnas in eis insertas, moderamus & declaramus, ac declarando ac mitigando statuimus, quod nullus de cetero pœnas in dictis constitutionibus contentas incurrat pro ingressu monasterii; dummodo locum monialibus pro clausura deputatum per locorum ordinarios non ingrediantur, in quo casu firmæ & illibatæ dictæ constitutiones permaneant. Concedimus etiam, quod quælibet persona, quæ non sit notabiliter suspecta, possit loqui monialibus memoratis, sine metu pœnæ, ad cratem seu fenestram ferream, de licentia abbatissæ, seu prioressæ, vel eius locum tenentis: præsentibus tamen semper duabus ex monialibus ab abbatissa vel

ANNO CHRISTI 1317. prioriſſa, vel earum vicem tenente, vt præmittitur, ſpecialiter deputatis, quæ ſemper videre poſſint & audire ſororem, ſeu monialem, ad feneſtram vocatam.

RVBRICA XXIV.

Cum ad præſidentis officium pertineat, exactiones illicitas prohibere, & operantibus de præmio ſeu mercede condigna iuxta qualitates laborum facere prouideri, & in Concilio dudum per nos Rauennæ celebrato contineatur, vt ſalaria notariorum & ſigilliferorum dominorum epiſcoporum taxarentur & moderarentur, & quam plures querelæ ad nos deuenerint ſuper indebitis extorſionibus & oneribus exactis ab eiſdem, ſuper hocque in ſacro Concilio per nos nuper Bononiæ celebrato, collatio inter nos & ſuffraganeos noſtros, qui in dicto Concilio interfuerunt, habita fuerit: & cum dictum fuerit debere ſuper hoc prouideri de remedio opportuno; ſed quia multitudine negotiorum in dicto Concilio terminandorum occupati, non potuimus plene tunc temporis circa hoc intendere ſicut deſiderabamus, per præſentem paginam duximus ordinandum, & hortandum dominos epiſcopos, ſuffraganeos eccleſiæ Rauennatis, quatenus quilibet eorum in ſua curia limitare, taxare, & moderari debeat, ad omne ſcandalum tollendum, quantum notarii ſeu ſcriptores eorum vel officialium ipſorum percipere debeant pro quolibet inſtrumento ſeu ſcriptura publica vel priuata, & quantum ſigillifer pro ſigillo: Noſque ex poteſtate nobis in dicto Concilio tra-

dita declarandi constitutiones prouinciales nostras, & prædecessorum nostrorum, & omni modo, quo melius possumus, volentes quantum in nobis est, dictam constitutionem obseruare, & executioni debitæ demandare, ordinamus & taxamus, quod in solutione facienda notariis pro scripturis, & sigilliferis pro sigillo, modus infrascriptus debeat obseruari. ANNO CHRISTI 1317.

In primis recipere possit notarius de literis citationis simplicibus, seu breuibus, cum registratione 12. denarios Rauennates vel Bononienses, & sigillifer pro sigillo 6. denarios. De literis citatoriis, cum narratione prolixa 2. solidos; & pro sigillo 6. denarios. De citatione per nuntios, sine literis, videlicet pro commissione & relatione 12. denarios. Si vero citarentur duo aut plures, recipere possit duos denarios pro quolibet, vltra dictos 12. denarios. De comparatione seu præsentatione 4. denarios. De consignatione termini, seu prorogatione, 2. denarios pro parte. De licentia, parte absente, 4. denarios. De accusatione contumaciæ, cum protestatione expensarum 6. denarios. De protestatione sine scriptis 6. denarios. De protestatione in scriptis, si fuerit prolixa, soluatur ad modum folii registri, sicut infra continetur, in simplici copia. De oblatione libelli 3. denarios. De exceptionibus in scriptis 3. denarios pro qualibet, vel aliter ad modum registri. De replicationibus recipiat idem. De litis contestatione & iuramento, a qualibet parte 12. denarios. De registratione libelli recipiat ab actore tantum, quantum pro registro, in simplici copia, vt

supra.

Anno Christi 1317. supra. De petitionibus, pro vnaquaque recipiat a ponente 3. denarios, & a respondente 1. denarium. De articulis recipiat ab exhibente, ad modum registri, vt supra. De copia articulorum, recipiat tantumdem. De testibus, pro examinatione & scriptura, de quibus folio continente ad minus 25. lineas pro pagina, & 12. dictiones pro linea, quæ est forma registri, 2. solidos. De copia in publica forma, tantumdem. De simplici copia 16. denarios. De registratione instrumentorum, & aliorum productorum, recipiat ad modum folii registri. De simplici copia, vt supra continetur, 16. denarios. Si instrumenta & alia producta registrari non contingat ex causa, tunc de scriptura, seu annotatione, sicut sunt producta, pro quolibet instrumento 4. denarios. De conclusione in causa a qualibet parte 16. denarios. De exhibitione suspectorum & confidentium, & assumptione sapientium ad consulendū, a qualibet parte 6. denarios. De articulo quæstionis, super quo debeat consuli, si formabitur, pro parte qualibet 12. denarios, & pro sigillo 10. denarios. De sententia definitiua lata ex causa pecuniaria, vel more ciuili, quæ æstimationem recipiat, recipiat pro prima libra 2. solidos, & pro singulis libris, vsque ad 10. libras, 12. denarios, pro libris & abinde supra, vsque ad quinquaginta libras, vltra dictam taxationem, 3. denarios pro libris. Vltra vero dictas quantitates, vsque ad centum, 2. denarios, pro libris, & abinde supra 1. denarium, pro libra qualibet, vltra omnes prædictas taxationes, & pro sigillo pendente, si fuerit pendens, 6. solidos ad plus: si non fuerit pendens, 2.

ANNO CHRISTI 1317.

ſolidos Bononiæ. De interlocutoria, 2. ſolidos, vel plus, vel minus, arbitrio iudicantis: pro ſigillo pendente, 2. ſolidos; & pro non pendente 12. denarios. Item ſi appelletur ab ea, tantumdem recipiat: ſi detur in forma publica, & idem de ſigillo, vt in proximo. De appellatione viua voce a diffinitiua ſententia 6. denarios. De appellatione in ſcriptis oblata recipiat ad modum regiſtri, in ſimplici copia: & ſi fiat in publica, recipiat tantum, quantum habuerit de ſententia. De ſigillo ſoluatur vt pro ſententia definitiua. Pro ſententia ſuper iure decimarum, vel patronatus, ſi ſuper eo conſilium habeatur, recipiat notarius quartam partem eius quod conſultori. Si autem ſuper cauſa matrimoniali etiam requiratur conſilium, vel ſuper præmiſſis, vel conſimilibus, conſilium non haberetur, iudex arbitretur, penſatis ſtatu, conditionibus & facultatibus perſonarum, & qualitate cauſarum, prout æquum & iuſtum videbitur, religioni & pauperibus compatiendo.

De ſolutionibus quæ occurrunt circa collationes beneficiorum in primis, ſi ponatur edictum de rectoria capellæ ruralis vel vrbanæ, pro ſcriptura, commiſſione & relatione, 3. ſolidos, pro ſigillo 12. denarios. Pro inſtrumento, confirmatione, collatione, ſeu inueſtitura eiuſdem 30. ſolidos: conſiderata tamen qualitate ipſius beneficii, & pro ſigillo 2. ſolidos. Si edictum ponatur pro archipresbyteratu, vel alia dignitate ſeu perſonatu ſæculari, 4. ſolidos, pro ſigillo 12. denarios, pro inſtrumento confirmationis eiuſdem 3. libras, pro ſigillo 6. ſolidos. Si

Anno Christi 1317. ponatur edictum de prioratu, seu de abbatia 5. solidos, pro sigillo 2. solidos. Pro instrumento confirmationis eiusdem 8. libras: pro sigillo 10. solidos. Si de episcopatu ponatur edictum, 10. solidos, & pro sigillo 3. solidos. Pro instrumento confirmationis eiusdem 25. libras, pro sigillo 20. solidos. Si autem collationes, confirmationes vel inuestituras huiusmodi, seu causæ eorum alteri committere contingat, ad petitionem partis, vel partium, tunc soluatur notario de commissione tertia pars eius quod taxatum est: vt nihilo minus taxatio prædicta soluatur notario pro confirmatione. Si autem sponte, seu ex arbitrio committentis fiat commissio, tunc tertia pars, quæ dabitur notario pro commissione, computetur in salario supra taxato notario scribenti dictam commissionem: & detur pro sigillo id quod supra taxatum est. Si autem solam audientiam & comminationem causæ committi contingat, soluatur pro commissione duplum eius quod datum fuerit pro edicto. Si autem certum, vel certos articulos committi contingat, soluetur quod taxatum est pro edicto, & tantumdem pro sigillo. De commissione appellationis 10. solidos, pro sigillo pendente 2. solidos, vel 12. denarios. De literis quæstorum 20. solidos, pro sigillo pendente 3. solidos, alias 2. solidos. De dispensationibus beneficiorum, ætatis vel ordinum, 15. solidos, pro sigillo pendente 4. solidos, alias 12. denarios. De licentia absentandi, seu non residendi, 10. solidos, pro sigillo 12. denarios. Pro litera præsentatoria & testificatoria ad ordines 8. solidos, pro sigil-

lo 6. denarios. De literis seu instrumentis ordinum 3. solidos, pro sigillo 12. denarios. Et si aliquis casus contingeret, qui non videretur in præmissis expressus, fiat taxatio eius & reductio, seu restrictio ad arbitrium boni viri secundum formam registri, vt præmittitur, vel alias, prout æquitati & *moderatori dominorum episcoporum, vel eorumdem vicariis videbitur conuenire, omnium semper æquitate librata: & quicumque hoc directe & fideliter obseruauerit, tamquam fidelis seruus Domini, mereatur præmium vitæ æternæ: cogitans quod quidquid recipiet cum taxatione, moderatione & restrictione prædictis, iuste recipiet, & licite poterit retinere, & sine aliquo conscientiæ remorsu. Contra vero facientes nouerint se plecti debere, etiam pœna in constitutionibus comprehensa. Et vt hæc omnibus nota fiant, in albo fistilo describantur, seu clarius in membrana, in loco vbi ius redditur, affigantur, in singulis prætoriis, vbi ius redditur in curiis episcoporum.

ANNO CHRISTI 1317.

*f. moderationi

Et ego Rainaldus permissione diuina & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus, subscripsi.

LECTÆ & publicatæ fuerunt supradictæ constitutiones & statuta dicti domini archiepiscopi Rauennatis in clero ciuitatis Mutinensis conuocato in episcopali palatio Mutinæ per discretum & sapientem virum dominum Floriamontem generalem vicarium venerabilis patris domini Bonincotri episcopi Mutinensis, de præcepto & mandato dicti domini episcopi, de verbo ad verbum, in millesimo trecentesimo decimo octauo a natiuitate, indictione prima, die Iouis 29. Decembris, in præsentia domini Iacobi Saraceni, domini Bernabei de Boschettis, domini Bei de Luca, canonicorum ecclesiæ Mutinensis; domini Ioannis præpositi de Limiole, domini

ANNO CHRISTI 1317. Matthæi archipresbyteri de Campogagliano, domini Lamfranchi de Saliceto, priorum fratrum Humiliatorum, presbyteri Petri de Malclauelis, presbyteri Ioannis de Buralibus beneficiati, presbyteri Petri Boni beneficiati, presbyteri Martini beneficiati, domini Alexandri de porta, presbyteri Ioannis capellani domini episcopi prædicti, presbyteri Biachini capellani ecclesiæ Mutinensis, domini Adam, domini Pauli, monachorum sancti Petri Mutinensis, Ottonelli mansionarii dictæ ecclesiæ Mutinensis, & præsentibus testibus Guidone de Querieto notario, Rainerio de Salsbegnano nuntio curiæ episcopalis, Nicolao Beroardo, & aliis pluribus.

Et ego Franciscus de Aspett. notarius curiæ episcopalis Mutinensis, publicationi prædictæ interfui rogatus, & subscripsi.

ANNO CHRISTI 1322.

CONCILIVM APVD VALLEMOLETI PALENTINÆ DIOECESIS, AVCTORITATE GVILLERMI SABINENSIS

episcopi & sedis apostolicæ legati celebratum in Hispania anno Domini MCCCXXII. tempore Ioannis papæ XX.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De constitutionibus.*
II. *De officio ordinarii.*
III. *De foro competenti.*
IV. *De feriis.*
V. *De testibus.*
VI. *De vita & honestate clericorum.*
VII. *De cohabitatione clericorum & mulierum.*
VIII. *De clericis non residentibus.*
IX. *De præbendis.*
X. *De parochiis.*
XI. *De decimis.*
XII. *De statu monachorum.*
XIII. *De religiosis domibus.*
XIV. *De iure patronatus.*
XV. *De baptismo.*
XVI. *De obseruatione ieiuniorum.*
XVII. *De immunitate ecclesiarū.*
XVIII. *De consanguinitate & affinitate.*
XIX. *De simonia.*
XX. *De magistris.*
XXI. *De Iudæis & Sarracenis.*
XXII. *De adulteris.*
XXIII. *De raptoribus.*
XXIV. *De sortilegiis.*
XXV. *De purgatione canonica.*
XXVI. *De purgatione vulgari.*
XXVII. *De pœnitentiis.*

In nomine Domini nostri Iesu Christi. Amen. ANNO CHRISTI 1322.

ISTÆ SVNT CONSTITVTIONES PER NOS fratrem Guillermum Dei permissione episcopum Sabinensem, apostolicæ sedis legatum, factæ ac editæ in Concilio celebrato per nos apud Vallemoleti Palentinæ diœcesis, prælatis omnibus nostræ legationis ad celebrandum dictum Concilium conuocatis, anno a natiuitate Domini millesimo trecentesimo vigesimo secundo, quarto Nonas Augusti, qua die præfatum Concilium extitit terminatum.

PRÆFATIO.

INIVNCTVM nobis legationis exposcit officium, vt attentis studiis & cura peruigili ad reformandos in clero & populo legationis prædictæ mores & actus deuios, prout ex alto præmittitur, intendamus, & in his præcipue apponamus remedium, in quibus maius periculum conspicimus imminere. Hæc est quippe Dei patris ordinatio, hæc lex existit ecclesiæ almæ matris, vt qui obsequiis ecclesiasticis mancipati existunt, solerti cura & prouidentia præsulis sincere & pure in domo Domini conuersentur, & vt cordis oculus nube erroris obductus, illustrationis lumine sit serenus. Ad ista igitur, ad quæ feruentius aspirat nostra intentio, conuertentes aciem nostræ mentis, vniuersorum nostræ legationis prælatorum apud Vallemoleti Palentinæ diœcesis ad præmissa agenda Concilium duximus conuocandum, cum quibus habita discussione solerti & deliberatione matura super his quæ correctione & reformatione indigebant, sacro approbante Concilio constitutiones infrascriptas edidimus, easque in maiori ecclesia loci prædicti die secunda Augusti anni præsentis millesimi trecentesimi vigesimi secundi, pontificatus summi patris domini, domini Ioannis papæ XX. anno sexto, in præsentia dicti Concilii, & clericorum aliorum astante multitudine, fecimus publicari. Sed quamquam singulorum auribus iuxta canonicas sanctiones non esset post publicationem huiusmodi constitutiones prædictas necessarium inculcare, tamen ne aliquis ab ipsarum obseruantia possit se per ignorantiam aliquatenus excusare, prædictis nostræ legationis prælatis iniungimus, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo man-

Anno Christi 1312. dantes eisdem, quod ipsas constitutiones omnes & singulas in suis cathedralibus ecclesiis infra octo dierum spatium postquam illuc delatæ fuerint, clero non exempto, qui de ordinaria, exempto vero, nec non religiosis exemptis, tam militaribus, quam non militaribus, auctoritate nostra, & populo conuocatis, & deinde in primis eorum Synodis solenniter & integraliter faciant publicari. In aliis vero summarie legi procurent, vt crebra huiusmodi lectio harum constitutionum præsentibus præseruet, & posteris notitiam largiatur. Mandamus etiam quod prælati prædicti ad harum constitutionum obseruantiam dent, quantum in ipsis fuerit, operam diligentem. Volumus insuper, quod constitutiones prædictæ ad obseruantiam sui ligent omnes nostræ legationis, & singulos, post duos menses a publicatione prædicta facienda in prædictis ecclesiis cathedralibus numerandos.

CAPITVLA.

I.

Alma mater ecclesia ab vnigenito Dei filio primitus instituta, & a sanctis patribus succedentibus temporum curriculis ordinata constituit, vt metropolitani cum suffraganeis suis annis singulis prouincialia celebrare Concilia non omittant, in quibus super obseruantia Canonum, releuatione ecclesiarum, corrigendis excessibus, & moribus reformandis diligens cum eis habeant consilium & tractatum, & faciant ac statuant quæ circa hæc viderint expedire. Et quia nonnulli prælatorum per plures annos hoc negligenter facere omiserunt, ex quo plura peruenerunt ecclesiarum dispendia, & etiam pericula animarum, monemus archiepiscopos omnes & singulos, vt statutum generalis Concilii super hoc editum diligenter obseruent, sacro approbante Concilio statuentes, vt si archiepisco-

pi saltem in biennio semel loco & tempore oppor- Anno Christi 1322.
tunis, per se vel per alios, quatenus de iure conce-
ditur, ipsis legitime impeditis, celebrare prouin-
cialia Concilia omiserint, eo ipso tamdiu ab in-
gressu ecclesiæ sint suspensi, donec negligentiam
suam purgauerint prouincialia Concilia celebran-
do. Episcopi etiam Synodos in suis diœcesibus su-
per prædictis, prout iura volunt, celebrent annua-
tim. Quod si forte hoc negligenter omiserint, eo
ipso ab ingressu ecclesiæ sint suspensi, donec ne-
gligentiam suam purgauerint synodalia Concilia
celebrando.

Quia vero contingit venientes ad dicta Concilia & Synodos, & redeuntes, aliquoties impediri, & in personis & rebus indebite molestari, statuimus, vt quicumque venientes ad dicta Concilia & Synodos, vel in eis morando, aut etiam redeundo ab ipsis, cœperint, aut in personis vel rebus, eis damna notabilia intulerint, in sententiam excommunicationis incidant ipso facto.

Inter cetera quæ officio prælatorum incumbunt, hoc præcipue desideratur & requiritur, vt in subditis vitæ sanctitas & morum honestas præceptis & prohibitionibus obseruetur. Volentes igitur vt hæc per prælatorum diligentiam impleantur, vniuersos ecclesiarum prælatos, archiepiscopos & episcopos monemus & hortamur in Domino Iesu Christo, vt ipsi in suis Conciliis prouincialibus & episcopalibus Synodis statuant & ordinent ea quæ ad clericorum vitam, reformationem morum, conuersationis & habitus honestatem viderint expedi-

re,

Anno Christi 1322. re, iniungentes his qui sub eis iurisdictionem obtinent, vt de obseruantia statutorum & Canonum in suis visitationibus inquisitionem faciant diligentem : quam inquisitionem referre suis prælatis in proximis Synodis teneantur.

II.

Quia notitia catholicæ fidei cuilibet orthodoxo est necessaria ad salutem, & eius ignorantia periculosa quam plurimum & nociua; statuimus vt quilibet rector parochialis ecclesiæ in scriptis habeat in Latina & vulgari lingua articulos fidei, præcepta decalogi, sacramenta ecclesiæ, species vitiorum & virtutum, & quater in anno ipsa publicet populo, in festis videlicet natiuitatis Domini, resurrectionis, pentecostes, & in assumptione Virginis glorioſæ, & in diebus dominicis quadragesimæ. Quod si rectores in hoc negligentes fuerint, per prælatum suum acriter puniantur.

III.

Ecclesiastica iurisdictio a sæculari distincta dignoscitur, & vna per alteram impediri non debet, sed potius adiuuari. Quia vero nonnulli sæculares iudices statuta Canonum circa hoc edita contemnentes, clericos & alias personas ecclesiasticas super rebus suis & causis presbyteralibus iniurioſe compellunt coram se in iudicio litigare : statuimus, & vniuersis prælatis in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, vt statutum felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. quod incipit : Quoniam, vt intelleximus : in suis Conciliis & episcopalibus Synodis, & in ecclesiis etiam suarum diœce-

ANNO CHRISTI 1322.

ſum, vbi expedire viderint, faciant publicari, prædictoſque iudices excommunicatos publice nuntiari.

IV.

Quamuis diuinæ legis præcepto ſancitum ſit, diebus dominicis & feſtiuis ab omni opere ſeruili abſtinere: nonnulli tamen huiuſmodi tranſgredientes præceptum, & ruſticalia opera & artificia manualia diebus prædictis exercere præſumunt. Ne igitur ex tranſgreſſione huiuſmodi fidelis populus indignationem Dei omnipotentis incurrat, ſtatuimus, vt nullus in diebus dominicis & feſtiuis agros colere audeat, aut artificia manualia exercere præſumat, niſi vrgente neceſſitate vel euidenti pietatis cauſa, & tunc de ſpeciali licentia ſacerdotis. Tranſgreſſores autem præſentis conſtitutionis per excommunicationis ſententiam a ſuis ordinariis puniantur.

V.

Cauſarum & litium diſpendioſa protractio, quæ plerumque per falſorum teſtium dicta & aduocatorum malitiam procuratur, quatenus fieri poterit, iuris eſt auxilio reſtringenda. Ideoque ſtatuimus vt falſi teſtes, aduocati, mediatores, & aliter eos inducentes ad falſa teſtimonia perhibenda, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrant, a qua, niſi poſtquam eis ſatisfecerint, quibus damna per depoſitiones & inductiones huiuſmodi illata ſint, nullatenus abſoluantur: præſentem vero conſtitutionem prælati faciant in ſuis eccleſiis cathedralibus & parochialibus diebus ſolennibus & in Synodis publicari.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Anno Christi 1322.

VI.

Quamuis honestas morum & habitus decentia omnibus clericis per sacros ordines sint indictæ, in prælatis tamen, archiepiscopis videlicet & episcopis eo desiderantur amplius, quo ex susceptæ dignitatis debito in seipsis debent ostendere, qualiter alios fideles deceat in domo Domini conuersari. Volentes igitur vt prælati prædicti in conuersatione, habitu & vestitu aliis exemplum præbeant honestatis; statuimus vt episcopi & superiores prælati succas lineas in publico, & cum eos equitare contigerit, nullatenus tabardos, sed cappas & capellos suæ dignitati deferant congruentes, cappis aut vestibus sericis non vtantur: Missas in solennitatibus maioribus in suis ecclesiis, iuxta sanctorum patrum statuta, & nunquam secrete in capellis suis celebrent, nisi causa legitima & necessaria fuerint impediti. Altaria viatica secum portari faciant, in quibus singulis diebus coram se honeste & deuote Missam faciant celebrari. Horas canonicas cum suis clericis attente recitent, & in ecclesiis suis cathedralibus diuina officia solenniter celebrent, nisi legitime fuerint impediti.

Cum non solum a malo, sed etiam a mali specie, & præcipue quæ scandali occasionem ministrant, sit secundum Apostolum abstinendum, statuimus sacro approbante Concilio, vt nullus clericus sæcularis vel religiosus in quacumque dignitate vel officio constitutus, exemptus vel non exemptus, etiam si pontificali præfulgeat dignitate, sponsalibus, baptismo, aut nuptiis filiorum suorum aut

filiarum, aut nepotum recte descendentium, siue legitimi, siue illegitimi fuerint, audeat interesse: alioquin si clericus beneficiatus fuerit, ipso facto medietate fructuum beneficii vel beneficiorum suorum, illo anno quo talibus sponsalibus, baptismo aut nuptiis interfuerit, sit priuatus, prædicta medietate fructuum in vsum fabricæ ecclesiæ conuertenda. Si vero clericus non beneficiatus fuerit, vsque ad annum eo ipso sit inhabilis ad beneficium obtinendum. Qui vero de bonis ecclesiasticis, filiis aut nepotibus supradictis dotem aut donationem propter nuptias assignauerit, assignatio ipso iure non valeat, & nihilo minus assignans ipso facto in pœnam subtractionis beneficii incidat supradictam. Idem in religiosis, in militaribus exemptis penitus obseruetur. Prælati vero prædicti, qui præmissa vel aliquod præmissorum commiserint, per sex menses a collatione beneficiorum suspensi sint, & beneficia quæ medio tempore vacauerint, per eum ad quem collatio de iure vel consuetudine deuoluitur, conferantur. Anno Christi 1322.

VII.

Quia clericorum nonnulli famæ suæ prodigi & salutis, in concubinatu publico vitam ducunt enormiter dissolutam: Nos talium vitam corrigere, eorumque abolere infamiam cupientes, monemus omnes & singulos clericos, etiam si sint in dignitatibus, personatibus, aut officiis constituti, vt ipsorum nullus concubinam publice in domo propria vel aliena audeat detinere, sacro approbante Concilio statuentes, quod quicumque clerici post

Anno Christi 1322. duos menſes a publicatione conſtitutionis & monitione huiuſmodi in ſuis eccleſiis per archiepiſcopos & epiſcopos, vel eorum vicarios in Synodis faciendis, concubinam ſeu concubinas modo prædicto detinuerint, vel dimiſſam ſeu dimiſſas, aut aliam ſeu alias admiſerint, ſi beneficiati exiſtant, tertia parte fructuum beneficiorum omnium quæ pro illo obtinuerint tempore, ipſo facto penitus ſint priuati. Si vero per alios duos menſes, duos immediate prædictos ſequentes, in eodem crimine continuauerint vitam fœdam, alia tertia parte fructuum nouerint ſe priuatos. Quod ſi forſan Dei timore contempto, per alios duos menſes quatuor prædictos immediate ſequentes in peccato perſtiterint memorato, reliqua tertia parte fructuum ipſos priuamus, omnino ſub pœna excommunicationis præcipientes eiſdem, quod ad aliquam partem dictorum fructuum, poſtquam ipſa vel ipſis, vt prædicitur, priuati fuerint, manus temerarias aliquatenus non extendant. Et ſi forſan contrarium tentarent, ſub interminatione extremi iudicii, prælatis eorum tam diœceſanis quam aliis diſtricte præcipimus, quod ad reſtituendum totum quod de prædictis tertiis fructuum, ſeu ipſarum aliqua, poſtquam modo præfato priuati exiſterent, occupauerint, ſeu detinuerint vel conſumpſerint, per cenſuram eccleſiaſticam ipſos compellere non omittant. Antedictæ vero partes fructuum, & ipſarum quælibet, in cathedralibus & collegiatis eccleſiis, quod ad bona quæ de communi menſa fuerint, ad communem menſam capituli; alia vero re-

demptioni captiuorum communiter applicentur. In parochialibus vero medietatem fabricæ ecclesiæ ipsius, aliam vero redemptioni captiuorum detentorum ab infidelibus applicamus, volentes & mandantes, quod per manus prælatorum suorum, quibus, quod prædictas partes fructuum recipiant & exigant, committimus & præcipimus, quidquid ex dictis fructibus prouenerit, in prædictis vsibus fideliter expendatur. Quod si forte nec adhuc ad cor redierint, sed præsens nostrum contemnentes mandatum, se ostenderint tam execrandæ turpitudinis amatores, suis prælatis prædictis, & ipsorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub animarum suarum periculo districte præcipimus & mandamus, quod infra quatuor menses a supradictis sex mensibus numerandos, transgressores prædictos qui concubinas præfatas non omnino dimiserint, easdem non admissuri vlterius, nec aliam aliquam, seu aliquas amplius recepturi, omnino beneficiis suis priuent, ipsosque in limo peccatorum tam fixos, donec se correxerint, & postea per quinque menses inhabiles esse denuntient ad superiores ordines, & ad quæcumque beneficia ecclesiastica obtinenda. Volumus etiam quod si quis de prædictis, postquam beneficio seu beneficiis priuatus fuerit modo prædicto, manus rapaces extenderit ad dictorum beneficiorum fructus, seu ad aliquam eorum partem, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, a qua non possit absolui, nisi de sic occupatis restitutione integra, & beneficiorum quibus priuati essent, vt

Anno Christi 1322. prædicitur, dimissione plenaria prius factis. Verum quia peccata inulta non vult dimitti Dominus vltionum : statuimus, dicto approbante Concilio, quod clerici non beneficiati tam sacerdotes quam diaconi vel subdiaconi, aut inferiores clerici non promoti, qui non erubescunt concubinas publice detinere, si sacerdos fuerit, capellaniam perpetuam aut temporalem tenere vel habere non possit, & vsque ad vnum annum postquam se a prædicto peccato plene correxerit, ad obtinendum ecclesiasticum beneficium sit inhabilis & indignus. Diaconi & subdiaconi, ac inferiores clerici vsque ad annum post correctionem iam dictam sint ad superiores ordines inhabiles, & ad quæcumque ecclesiastica beneficia obtinenda. Si vero adhuc incorrigibiles perstiterint, procedatur per alia iuris remedia contra ipsos. Et quia maiori culpæ iusto Dei iudicio maior debetur & pœna, statuimus quod quicumque in tam profundum peccatorum deuenerit, quod publice concubinam seu concubinas detineat infideles, si beneficiati fuerint, post duos menses memoratos a die publicationis prædictæ in ecclesiis, vt prædicitur, faciendæ, ipso facto priuati sint beneficiis obtentis, cuiuscumque conditionis beneficia ipsa existant, & ipso facto reddantur inhabiles ad quæcumque beneficia obtinenda. Si vero beneficiati non fuerint, ad suscipiendos sacros ordines, & ad obtinenda beneficia penitus sint inhabiles & indigni, ac tam beneficiati quam non beneficiati, qui eas sic detinere præsumpserint, per suos prælatos per biennium ad mi-

nus in carcere detrudantur: quibus etiam per diœ- Anno Christi 1322.
ceſanos, ſeu alios dictorum clericorum prælatos pœnæ graues aliæ, prout eorum diſcretioni videbitur, imponantur. Si tamen hi clerici ad cor redeuntes vere pœnituerint de peccato, & ad vitam honeſtam continuauerint, concedimus quod ipſorum diœceſani cum eis poſt quinquennium numerandum a ſua correctione dumtaxat poſſint, quo ad ordines & ſimplicia beneficia obtinenda, miſericorditer diſpenſare. Volumus inſuper & mandamus, quatenus prælati omnes & ſinguli in ſuis diœceſibus per viros probos & timentes Deum diligentem inquiſitionem, quoties expedire viderint, facere non omittant, qui, quot, quales, & vbi fuerint præmiſſa crimina tam contagioſa & deteſtabilia committentes, atque ad pœnas ſuprapoſitas in ipſos exequendas inſurgant viriliter, vt domus Dei ſtrenui zelatores: concubinæ vero publicæ clericorum careant eccleſiaſtica ſepultura.

Sicut iure diuino & humano iuſtum dignoſcitur, quod iuxta menſuram delicti culpabiles puniantur: ita pium & ſanctum eſt, quod rigori detrahatur iuſtitiæ, vt occurratur inſurgentibus periculis animarum. Hoc ſane felicis recordationis Alexander papa IV. pii more patris conſiderans ſuſpenſionis & excommunicationis pœnas, quas recolendæ memoriæ dominus Ioannes epiſcopus Sabinenſis apoſtolicæ ſedis legatus contra clericos concubinarios publicos, ac concubinas eorum per ſuum ſtatutum vel conſtitutiones tulerat, voluit & commiſit prælatis aliquibus, quod pœnas prædi-

ctas

Anno Christi 1322.

ctas, maxime propter irregularitatum quæ ex hoc sæpius sequebantur periculum, in pœnas alias rationabiles permutarent. Quia igitur per aliam constitutionem nostram, sacro approbante Concilio, per condignam inflictionem pœnarum contra delinquentes huiusmodi prouidimus, congruenter dicto approbante Concilio statuimus, quod antedicti legati constitutiones prædictas, quod ad suspensionis & excommunicationis pœnas, non ligent de cetero, nec habeant quo ad istud alicuius roboris firmitatem. Prælatis & omnibus nostræ legationis, quod absoluere possint a prædictis suspensionis & excommunicationis sententiis omnes & singulos suæ iurisdictioni subiectos, quas propter præmissa incurrerent, eisdem præsentis virtute statuti plenam concedimus potestatem.

Non solum hi qui peccant, sed qui ad peccandum inducunt, pœna debita plectendi sunt, diuinæ legis iudicio pariter & humanæ. Quia vero nonnulli laicorum clericos compellunt in sacris præcipue ordinibus constitutos, vt aliquas mulieres concubinas recipiant, & cum eis in contubernio publice viuant contra decorem ordinis clericalis, & sacrorum Canonum instituta: nos iniquitatem huiusmodi detestantes, excommunicationis sententiæ ipso facto decernimus subiacere quemlibet, cuiuscumque status aut conditionis existat, nec non vniuersitatem, seu communitatem quamlibet sententiæ interdicti, quæ personam quamuis ecclesiasticam duxerit compellendam ad recipiendum in concubinam mulierem quamcumque,

Sententias vero prædictas in Synodis epiſcopalibus & frequenter in eccleſiis parochialibus volumus & præcipimus publicari. ANNO CHRISTI 1322.

VIII.

Canonici & eccleſiarum ſocii ſuis epiſcopis perſonaliter aſſiſtentes, non debent abſentes ab eccleſia reputari: ideoque iure prouiſum eſt ne eis, dum in ſeruitio epiſcoporum fuerint, beneficiorum ſacrorum redditus ſubtrahantur. Propterea ſtatuimus, vt nullus a præbendarum ſuarum perceptione eos audeat impedire. Capitula vero quæ hoc adimplere renuerint, ad obſeruantiam iuris illius per ſuos prælatos diſtrictius compellantur.

IX.

Cum ſecundum ſtatuta Canonum vna eccleſia vnius debeat eſſe rectoris, nec beneficia eccleſiarum debeant diuidi in plures partes, niſi adeo ipſarum eccleſiarum facultates abundent, quod de eis ſufficienter poſſit pluribus ſeruitoribus prouideri: volentes diuiſiones beneficiorum, quæ plerumque ſine rationabili cauſa fiunt, iuris auxilio refrenare, ſtatuimus vt in qualibet eccleſia vni cura ipſius eccleſiæ principaliter per eum, ad quem de iure pertinet, committatur, cui per prouidentiam prælati taliter prouideatur, quod redditibus eccleſiæ poſſit honeſte viuere, & onera curæ & alia incumbentia ſupportare. In eccleſiis autem, in quibus beneficia indebite ſunt diuiſa, cum pluribus clericis ipſarum eccleſiarum nec ſufficiant facultates, quando portiones huiuſmodi

ANNO CHRISTI 1322. vacare contigerit, vniantur & assignentur curato, donec, vt præmissum est, prouisionem habeat competentem.

Cum in personis ecclesiasticis ad sacros ordines & beneficia curam animarum habentia promouendis id honestas maior requirat, & amplius desideretur peritia literarum; statuimus vt nullus deinceps clericus ad sacros ordines promoueatur, nisi saltem literaliter sciat loqui. Quod si forte secus actum fuerit, prælatus a collatione sacrorum ordinum, quos tali contulit, & promotus ab executione suscepti ordinis per annum nouerint se suspensos, nisi ex causa rationabili & multum necessaria, quatenus de iure conceditur, prælatus super hoc viderit dispensandum.

In ecclesiis tot secundum Canones instituendi sunt clerici, quot possint de earum redditibus commode sustentari. Ideoque statuimus, vt episcopi, eorumque superiores diligenter attendant, vt tot clericos in ecclesiis ordinent, quot sustentari possint de prouentibus earumdem, ne clerici sua numerositate vilescant, & propter facultatum insufficientiam mendicare cogantur in opprobrium ordinis clericalis. Et vt hoc efficacius obseruetur, volumus & mandamus vt prælati infra annum, aut saltem infra biennium, cum consilio discretorum ordinent & prouideant, ipsamque prouisionem in scriptis redactam apud se conseruent, quot clerici ad titulum cuiuslibet ecclesiæ iuxta ipsarum redditus poterunt ordinari. Prælatus vero quicumque, qui prædicta obseruare neglexerit, pluresque quam

vt præmittitur, ad ordines promouendo, vel promoueri per alium faciendo, per annum a collatione illius ordinis, quem contra hoc noſtrum prohibitionis ſtatutum contulit, in archidiaconatu illo vel abbatia, vnde clerici taliter ordinati fuerint, eo ipſo nouerit ſe ſuſpenſum. Anno Christi 1322.

Religioſos decet ab omni calliditate & fraude ſeipſos retrahere, & omnimodam puritatem in ſuis actibus obſeruare. Quia tamen nonnulli religioſi non ſolum clerici, ſed etiam laici militares, vt quorumdam aſſertione percepimus, habitum ſui ordinis ſæcularibus clericis fraudulenter conferunt, & clericis per epiſcopos inſtitutis in eccleſiis locorum, vbi dicti religioſi temporale dominium obtinent, vel partem aliquam recipiunt decimarum, exinde violenter expulſis, clericos illos quibus huiuſmodi habitum contulerunt, propria temeritate inſtituunt, & miniſtrare faciunt in eiſdem; quidam etiam eorumdem religioſorum clericos ſæculares per epiſcopos in eccleſiis parochialibus ad ipſos epiſcopos pertinentibus inſtitutos habitum ſui ordinis induunt, & ibidem eos miniſtrare faciunt, vt ſic in locis ipſis eccleſias, earumque redditus ſuis vſibus valeant applicare: nos has fraudes & violentias deteſtantes, ſtatuimus vt quicumque religioſi fraudes aut violentias attentare præſumpſerint, in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto, a qua nullatenus abſoluantur, donec prælatis & eccleſiis, quos per prædictos exceſſus læſerant, ſatisfecerint competenter.

Clandeſtinæ & occultæ beneficiorum collatio-

Anno Christi 1322. nes, quas nonnulli prælatorum & aliorum ad quos beneficiorum suorum spectat collatio, faciunt, magnam in ipsis beneficiis varietatem & sic in sinistram suspicionem inducunt, dum beneficia ipsa quorum collationes probari non possunt, per eosdem prælatos plerumque aliis conferuntur, & ob hoc super ipsis beneficiis inter eos, quibus taliter collata fuerant, quæstiones & litigia oriuntur. Vt igitur circa hoc fraudis & varietatis materia amputetur, statuimus vt cum ecclesiasticorum beneficiorum collatio fieri debeat, fiat in capitulo, si consuetudo id obtinet, vel coram notario publico, aut testibus fide dignis, vel cum patenti ipsius prælati litera, vel alterius, seu aliorum quorumcumque ad quos beneficiorum spectat vel spectare debet dicta collatio, præsentibus testibus in litera ipsa collationis insertis, per quæ probari possit collatio, & de ea nullatenus dubitari : alias volumus quod collatio ipsa nullius obtineat roboris firmitatem, seu nullius penitus sit momenti.

X.

Parochiarum diuisio a sanctis patribus instituta certitudinem parochianorum & decimarum debitam solutionem inducit. Cum vero libertas mutandi parochiam per abusum, qui in quibusdam partibus inoleuit, parochianis indifferenter conceditur, parochianis ipsis subtrahendi decimas præstatur occasio, & ecclesiis iniuria in decimarum, primitiarum, oblationum & aliorum iurium subtractione damnabile irrogatur : sed quia in plerisque locis nostræ legationis talis, vt accepimus, inoleuit

abusus, quod si parochianus vnius ecclesiæ die resurrectionis, seu alio solenni in alia parochia sacram communionem accipiat, vel quia alterius ecclesiæ parochianum velle se esse asserat, extunc, quoad decimas reales & personales & alia iura parochialia, parochianus illius in qua communicauerit, vel parochianum se velle esse dixerit, censeatur: volentes abusus prædictos iuris remediis extirpare, statuimus vt in ciuitatibus, castris, municipiis, in quibus parochiæ limitatæ non sunt, per episcopos vel alios prudentes viros, quibus hoc episcopi commiserint, infra annum a die publicationis constitutionis huiusmodi per certos terminos limitentur. Postquam vero sic parochiæ fuerint limitatæ, nec parochianis de vna parochia modis præmissis ad aliam se mutare, nec alteri parochiali rectori ipsos sic recipere liceat: alioquin & sic se transferens & recipiens in sententiam excommunicationis incurrant, & nihilo minus prima ecclesia decimis & aliis obuentionibus sibi debitis non priuetur. Si vero inter diuisas diœceses fuerit limitatio huiusmodi facienda, quilibet prælatorum aliquas certas personas assignet, per quas parochiæ quæ confusæ esse non debent rationabiliter limitentur. Quod si personæ istæ conuenire non potuerint, tertius prælatus vicinior ad limitationem faciendam communiter inuocetur, per quem vna cum prædictis termini parochiarum & fines diœcesum limitentur. ANNO CHRISTI 1522.

XI.

Vt fraudes, quas diuersis modis religiosi in dandis decimis animalium & noualium adhibent, a

ANNO CHRISTI 1322. prælatis & eccleſiarum rectoribus cautius euitentur, ſtatuimus vt poſtquam religioſi per diœceſanos requiſiti fuerint ſuper fraudibus huiuſmodi nullatenus adhibendis, religioſi ipſi qui huiuſmodi fraudes commiſerint, in Synodis epiſcopalibus, & in maioribus locis ipſarum diœceſum excommunicati publice nuntientur, & nihilo minus prælati conſtitutionem ſuper hoc editam cum diligentia exequantur.

XII.

Monaſteriorum damna quæ per alienationes ab ipſorum abbatibus & conuentibus, prioribus aliis adminiſtratoribus quibuſcumque indebite fiunt, refrenare volentes, ſtatuimus vt prælati in Synodis ſuis pœnas in conſtitutione felicis recordationis domini Clementis papæ V. contentas denuntiare, & eas in ſubditis ſuis exequi non omittant. In exemptis vero ſi alienationes huiuſmodi fecerint, hoc ſuperiori ipſorum locorum ordinarii denuntient, vt per eos reuocentur alienationes huiuſmodi, & puniantur talia facientes.

Regularis obſeruantia a ſanctis patribus inſtituta commode obſeruari non poteſt, niſi circa eiuſdem cuſtodiam inter profeſſores ordinum congregatos ad iſtud frequens diſcuſſio & tractatus diligens habeatur. Quia vero per negligentiam abbatum & priorum ſignanter ordinis ſancti Auguſtini, qui canonici regulares vocantur, ac ſancti Benedicti, videlicet monachorum nigrorum, pro vt accepimus, præfatæ conſtitutionis obſeruantia totaliter eſt omiſſa: in virtute ſanctæ obedientiæ præ-

cipimus & mandamus, vt iuxta Lateranenſis Concilii prouiſionem circa hoc factam, religioſi prædicti, exempti & non exempti, infra legationis noſtræ terminos conſtituti, de triennio in triennium loco & tempore opportunis Concilia celebrent, & faciant omnia quæ in ſtatuto præfati Concilii continentur. Qui autem implere præmiſſa neglexerint, præter pœnas graues infligendas eiſdem, maledictionem omnipotentis Dei, velut tam ſalubris tranſgreſſores præcepti, ſe nouerint incurſuros. ANNO CHRISTI 1312.

Spretionibus monaſteriorum & aliorum religioſorum locorum, quæ plerumque per milites & potentes contra ſtatuta canonica hoſtiliter deuaſtantur, remediis opportunis occurrere cupientes, inhibemus, ne quæuis eccleſiaſticæ vel ſæculares perſonæ monaſteria ſeu grangias, vel quælibet alia ipſorum loca grauent, aut opprimendo deuaſtent, bona ipſorum ſiue victualia diripiendo, aut ad exactiones eis in pecunia perſoluendas per pignorationes rerum ſuarum, aut etiam vaſſallorum, ſeu aliis modis illicitis indebite compellendo: alioquin per prælatos ad requiſitionem religioſorum ipſorum per ſententiam excommunicationis in perſonas, ac interdicti in loca & vaſſallos eorum, ab inſolentiis huiuſmodi compeſcantur. Prælati vero per religioſos huiuſmodi requiſiti, circa ſententias proferendas & etiam publicandas ſe reddant in omnibus promptos, ſolicitos & attentos.

Vt monaſteria in quibus mulieres religionis ordinem profitentur, cautela debita & ſufficienti diligentia valeant cuſtodiri; ſtatuimus vt prælati, in quo-

Anno Christi 1322. quorum diœceſibus monaſteria ipſa conſiſtunt, vel prælati ſui ordinis, qui iuriſdictionem in eis exercent, de priuilegio vel de iure, certos viros antiquos, probatos & honeſtos, omni ſuſpicione carentes, & maxime ſui ordinis, ſi haberi potuerint, deputent, qui circa ipſarum cuſtodiam inuigilent diligenter, curam adhibentes ſolicitam, ne quiuis ſæculares vel religioſi ſuſpecti ad eas intrent, vel ipſæ exeant ad eoſdem. Si vero ex aliqua rationabili cauſa aliquæ bonæ & non ſuſpectæ perſonæ ad eas intrare debuerint, vel ipſæ exire ad eas, hoc fiat de voluntate expreſſa illius, qui, vt præmiſſum eſt, ad cuſtodiam earum fuerit deputatus, de licentia illius qui monaſterio illi præeſt. Eis etiam cum dictis perſonis confabulari non liceat, niſi ſub teſtimonio duarum vel trium ſororum loco conuenienti & hora congrua: nec in confabulatione abſque cauſa neceſſaria contrahant magnam moram. Contrarium vero facientes in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto.

XIII.

Hoſpitalitatem quam ex pietatis officio de iure a clericis, & maxime eccleſiarum rectoribus impertiri conuenit tranſeuntibus, ſeruari volentes, ſtatuimus vt parochialium eccleſiarum rectores & curati, ſecundum facultatem bonorum ſuorum, religioſos, pauperes & peregrinos tranſeuntes caritatiue recipiant & pertractent in locis, niſi vbi ad hoc ſit domus aliqua ſpecialiter deputata. Rectores & curati prædicti diligenter inuigilent, vt domus huiuſmodi ſic conuenienter paratæ ſint, quod hoſpitalitas ipſa, ad quam deputatæ fuerint, in eis de-

bite obseruetur, & ad hoc rectores ipsi per ordinarios compellantur. ANNO CHRISTI 1322.

XIV.

Ambitionis improbæ & cupiditatis peruersæ studium, per quod ad beneficia nondum vacantia via damnabiliter aperitur, resecare & præcludere affectantes, statuimus vt nulli ecclesiarum patroni ad ecclesias, in quibus ius patronatus obtinent, antequam vacent, cuiquam præsentationes concedant: quas si forte concesserint, eo ipso irritæ sint penitus & inanes. Clerici vero qui huiusmodi literas præsentationis impetrant, vel pro quibus ipsis scientibus vel consentientibus ab alio impetrantur, ad ecclesias ipsas obtinendas in ipsa vacatione reddantur inhabiles ipso facto.

Nonnulli ecclesiarum patroni pueros infantes, & alios in ecclesiis, in quibus ius patronatus obtinent, & in aliis violenter intrudunt contra Canonum instituta, ecclesiarum ipsarum redditus sæpius vsurpantes. Cum igitur intrusiones & detentiones prædictæ sacris sint Canonibus inimicæ, statuimus vt nullus deinceps excessus tam damnabiles attentare præsumat: alioquin contrarium facientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, & quousque ecclesiæ & prælato satisfecerint, nullatenus absoluantur. Prælati vero in suis ecclesiis denuntiari excommunicatos nominatim faciant talia committentes. Si autem prælati in denuntiatione huiusmodi post duos menses, postquam ad eorum notitiam peruenerit, negligentes fuerint, aut tales intrusos in eisdem ecclesiis instituerint, a col-

ANNO CHRISTI 1322. latione beneficiorum per sex menses nouerint se suspensos : intrusi & minores quidem si postquam ad ætatem discretionis peruenerint, maiores autem ex quo dictæ intrusioni consenserint, tale beneficium scienter detinere præsumpserint, eo ipso per biennium reddantur inhabiles ad ecclesiasticum beneficium obtinendum.

Cum ad ecclesias, in quibus diuersi tale ius obtinent patronatus, plures clerici ab eisdem patronis in discordia præsentantur, sæpe contigit, quod aliqui ex clericis præsentatis cessiones sibi fieri procurant ab aliis ad eamdem ecclesiam taliter præsentatis, credentes ex huiusmodi cessionibus ius sibi accrescere ad ipsam ecclesiam obtinendam. Nos itaque cessiones huiusmodi fieri prohibentes, decernimus ex eis nihil iuris accrescere ipsis clericis procurantibus sibi fieri huiusmodi cessiones, & nihilo minus ea vacatione & vice ipso facto reddantur inhabiles ad id beneficium obtinendum.

Filiis ac nepotibus eorum qui in ecclesiis ius obtinent patronatus, de iure non licet rectores ecclesiarum ipsarum indebitis prandiis & exactionibus aggrauare. Quia vero quamplures patronorum, vt relatione certa didicimus, [dictos rectores] plura & immoderata prandia ab ipsis rectoribus extorquent ; Nos talium excessus reprimere volentes, statuimus vt patroni ecclesiarum exactiones huiusmodi deinceps facere non præsumant. Vbi autem dicti patroni prandium se habere asserunt de consuetudine, non possit sine scandalo remoueri, statuimus vt eo casu descendentes ab vno patrono, vel

pluribus, seu omnibus, si ad hoc omnes simul conuenire voluerint, cum moderata familia, cum quanta vnus pater eorum recipere consueuit, vnum prandium a rectore ecclesiæ recipiant, iuxta facultates ecclesiæ moderatum: alioquin prandium ipsum per episcopum in certa quantitate pecuniæ æstimetur, quæ pecunia inter patronos omnes prædictos per episcopum vel alium de eius mandato diuidatur. Si quis vero patronorum contra statutum huiusmodi venire præsumpserit, tamdiu iure præsentandi careat, donec rectori ipsi, aut successori eiusdem satisfecerit competenter, apud alios remanente, qui in obseruantia statuti huiusmodi minime deliquerit. ANNO CHRISTI 1322.

XV.

Sacri confectio chrismatis solis episcopis eorumque superioribus est concessa, & ab eis est annis singulis celebranda, a quibus etiam omnes ecclesiarum rectores in suis diœcesibus constituti nouum chrisma, iuxta præcepta Canonum, debent recipere, & concremato veteri, nouo vti. Quia vero in obseruantia dictorum Canonum plerique se exhibent negligentes, statuimus vt clerici religiosi, & alii exempti & non exempti annis singulis chrisma nouum a suo diœcesano episcopo, vel ab eo qui ex officio suo tenetur illud distribuere, postulent & requirant: alioquin vtentes veteri chrismate in baptismo, ipso facto per sex menses a perceptione beneficii; negligentes vero in petendo, per tres menses, ab officio sint suspensi, exemptorum priuilegiis quæ circa hoc obtinent, * super saluis.

* *f.* semper

Anno Christi 1322.

XVI.

Vt quadrageſimæ & quatuor temporum ieiunia a ſanctis patribus inſtituta, quæ multorum effrenata infringit guloſitas, diligentius obſeruentur, ſtatuimus vt nullus fidelis in ætate legitima conſtitutus, carnes in quadrageſima vel in quatuor temporibus comedere audeat * nullo modo: alioquin tranſgreſſores prohibitionis huiuſmodi in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto. Hæc vero ſententia in Synodis epiſcopalibus, & in parochialibus eccleſiis ſingulis diebus dominicis & feſtiuis a ſeptuageſima vſque ad paſcha ſolenniter publicetur: vendentes etiam carnes publice in ſupradictis temporibus eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrant. Circa infirmos vero, quos vrgens cogit neceſſitas, ſeruetur quod ſuper hoc Canones decreuerunt.

XVII.

Reuerentia ſpecialis quam cuncti fideles eccleſiæ Dei exhibere tenentur, merito nos inducit vt eos qui per illicitos actus diuina officia quæ in eccleſiis celebrantur, perturbare præſumunt, adiectione pœnæ debitæ compeſcamus. Ideoque vniuerſis eccleſiarum prælatis præcipiendo mandamus, vt conſtitutionem felicis recordationis Gregorii papæ V. quæ incipit; Decet domum Domini; contra ſæculares iudices, qui cauſas in eccleſiis audiunt, in eccleſiis ſuarum dioceſum faciant publicari, & iudices ipſos nihilo minus moneant, & inducant vt ab huiuſmodi diuinorum officiorum perturbatione deſiſtant: alioquin contra eos pro-

cedere per cenſuram eccleſiaſticam non omittant, ſententias inſuper per eoſdem prolatas denuntient virtute dictæ conſtitutionis nullius obtinere roboris firmitatem. ANNO CHRISTI 1312.

Cum negotiationis nundinæ & fori cuiuſcumque tumultus a iure in eccleſiis fieri ſint penitus interdicti, eo quod per hoc diuina poſſunt impediri officia, & euidens præbeatur occaſio ad multa enormia in eccleſiis committenda: ſtatuimus vt quicumque talia vel aliquid prædictorum in eis exercere præſumpſerint, ipſo facto excommunicationis ſententia ſint ligati.

Macellum vero in cœmeteriis ſub eadem pœna fieri prohibemus. Sacriſtæ autem * ſiue theſaurii cathedralium & collegiatarum, ac rectores parochialium eccleſiarum, diligenter attendant vt negotiatores huiuſmodi ab eccleſiis ſuis abiiciant, & negotiationes quæ earum dehoneſtant decorem, in eis fieri non permittant. Qui circa hoc negligentes extiterint, per ſuos ordinarios puniantur. * f. thesaurarii

Nonnulli temporalem iuriſdictionem indebite exercentes, & alii immunitatem eccleſiaſticam, confugientes ad ipſam defenſare tenentur exquiſitis fraudibus infringere moliuntur. Quoſdam enim confugientium huiuſmodi, vt habet fide digna relatio, intra ipſam eccleſiam conſtringunt compedibus & catenis; quoſdam vero ſic arcte cuſtodiunt, vt eis victualia non poſſint aliqualiter miniſtrari: alios etiam dormire vel quieſcere non permittunt, & quandoque eos vulnerant, mutilant, comburunt & occidunt, & aliis modis affligunt contra

Locus obſcurus.

Anno Christi 1322. eccleſiaſticam libertatem. Volentes igitur horum auſus temerarios iuris remedio refrenare, ſtatuimus ne aliquis ſeu aliqui præfatis modis vel aliquo ipſorum infringere eccleſiaſticam audeant libertatem: alioquin officiales, epiſcopi, & alii, atque eis præſtantes in his ſcienter conſilium, auxilium & fauorem, in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto. Si vero communitas hæc fecerit, vel fieri præceperit, eo ipſo eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto, pœnis & aliis in iure ſtatutis in ſuo robore duraturis.

Domus Dei quæ ad eius laudem ſpecialiter deputantur, per nonnullos nobiles & potentes prælatorum licentia incaſtellantur, vallantur, & fortalitiis contra ſanctorum patrum ſtatuta muniuntur, & in ſeruitutem indebite rediguntur. Ideoque ſtatuimus, vt nullus prædictorum temeritate propria quaſcumque eccleſias aut cœmeteria incaſtellare, ſeu vallare audeat, niſi ex magna & ineuitabili cauſa: alioquin ſi perſonæ ſingulares extiterint, in excommunicationis, terræque eorum interdicti ſententias incidant ipſo facto. Si vero communitas hoc definierit, vel fieri præceperit, eccleſiaſtico ſubiaceat interdicto. Sententiæ vero prædictæ in Synodis per epiſcopos ſolenniter publicentur.

Quia cæleſtis illa Ieruſalem mater noſtra libera eſt libertate quam contulit ei Chriſtus, iuſtum & dignum dignoſcitur, quod quæ ipſius ſunt, libertate gaudeant vniuerſa. Sed proh dolor, draco ille antiquus ſerpens inimicus naturalis Chriſti ſponſæ,

a timore Dei corda mundanorum hominum sic auertit, & contra libertatem ecclesiasticam sic permouit, quod personas ipsius lædere, ac capere decimas, & alia bona eius capere, & vastare illius loca, & interdum, proh pudor, ecclesias ipsas ac monasteria inuadere, destruere, ac cremare, ac iura ecclesiæ violare diuersimode ausu sacrilego non verentur. Nos igitur præmissa tam grauia, tam horrenda, tamquam sacris Canonibus inimica, de medio tollere cupientes, sacro approbante Concilio duximus statuendum, quod quicumque, cuiuscumque status, religionis aut conditionis existant, prædicta vel aliquod prædictorum commiserint, seu committentibus præbuerint scienter consilium, auxilium, vel fauorem, præter alias pœnas a iure positas contra tales, viuentes quidem ab ingressu arceantur ecclesiæ, morientes vero, quoad vsque plene satisfactum fuerit damna passis, careant ecclesiastica sepultura. Volumus insuper, quod nisi facta satisfactione prædicta nullus possit ipsos absoluere ab his pœnis. Verum quia plerumque humanus pudor a peccando cohibet, quos ab hoc non retrahit timor Dei; statuimus quod in ciuitatibus seu locis aliis quibuscumque, in quibus principales malefactores prædicti fuerint, seu personæ prædictæ ecclesiasticæ, aut antedicta bona ex certa scientia recepta & detenta extiterint, quamdiu dicti malefactores, aut bona ecclesiæ præmissa in ipsis fuerint, cessetur inibi totaliter a diuinis. Mandamus nihilo minus prælatis omnibus, quod ipsi in suis ecclesiis cathedralibus & parochialibus suarum diœcesum

ANNO CHRISTI 1322.

præsen-

Anno Christi 1322. præsentem constitutionem frequenter faciant publicari.

XVIII.

Cum generalis Concilii Viennensis statutum eos qui in gradu prohibito nuptias contrahunt, excommunicationis decernat sententiæ subiacere, & prælati circa eius publicationem fuerint hactenus negligentes: statuimus, & in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, vt ipsi ecclesiarum prælati in cathedralibus & parochialibus ecclesiis, quatuor anni festis præcipuis, & in diebus dominicis quadragesimæ, dictam generalis Concilii constitutionem faciant publicari.

XIX.

Detestandam prælatorum auaritiam, ac aliorum qui iurisdictionem ecclesiasticam in ecclesiis obtinent, quæ labem simoniæ continet, extirpare volentes, sacro approbante Concilio statuimus, vt nullus archiepiscopus, vel episcopus, abbas, archidiaconus, archipresbyter, aut quiuis alius, ad quem spectat clericorum præsentatio, officiales eorum seu portarii, pro ordinibus collatis seu conferendis, vel quocumque actu vel * licentia ipsos ordines præcedente, quidquam recipere audeat: alioquin si laicus fuerit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat: si vero clericus, qui nondum ecclesiasticum beneficium obtinet, vsque ad biennium eo ipso reddatur inhabilis ad ecclesiasticum beneficium obtinendum: si autem beneficiatus extiterit, vt decanus, archidiaconus, abbas sæcularis, archipresbyter, vel quiuis alius

* litera

iurisdictionem habens, ipso facto a perceptione beneficii sit suspensus, donec duplum eius quod receperit restituat, cuius medietas clerico, a quo recepta fuit pecunia, alia vero medietas fabricæ cathedralis ecclesiæ applicetur. Prælatus vero, si de eius conscientia vel mandato quidquam receptum fuerit, eo ipso a collatione ordinum sit suspensus, quousque duplum eius quod receptum est restituat, vel restitui faciat, dicto modo inter fabricam ecclesiæ diuidendum. ANNO CHRISTI 1322.

Ordinati vero, si post receptionis ordines pro scripturæ labore, charta & cera aliquid offerre voluerint, hoc accipi minime prohibetur: ita tamen, quod hæc gratuita oblatio summam quinque morobetinorum vsualis monetæ aliquatenus non excedat: a pauperibus autem aut nihil, aut minus recipiat pro prædictis. Archiepiscopi autem vel episcopi seu vicarii eorum, & ipsis in remotis agentibus vel sede vacante, vicarii per capitulum deputati nihil omnino recipiant pro præsentatione ad ordines, vel præsentationis literis, alteri episcopo facienda: alioquin eo ipso * in incidant supradictas. *f. in pœnas incid. sup.

Quorumdam clericorum & laicorum abusum, qui clericos de nouo promotos non permittunt in suis ordinibus ministrare, priusquam eis adhibeant per vnum aut plures dies prandia & conuiuia sumptuosa, vel certam præparent quantitatem pecuniæ, extirpare volentes, statuimus, vt cum clerici qui ad titulum alicuius ecclesiæ ad subdiaconatus, diaconatus, aut presbyteratus ordines sint pro-

Anno Christi 1322. moti, nouiter celebrare voluerint, alii clerici illius ecclesiæ eos libere admittant, & eis ad celebrandum ministrent ecclesiæ paramenta, celebrationi ipsorum caritatiue & amicabiliter assistentes; eisdem etiam secundum quod ordo ipsorum exegerit, portionem integraliter conferant & assignent. Quod si contra hoc nostræ constitutionis edictum clerici quidquam malitiose commiserint, exegerint, aut perceperint, quarta parte fructuum & prouentuum beneficii quod in dicta ecclesia obtinent, sint priuati, exigenda per eum cui diœcesanus commiserit, & fabricæ illius ecclesiæ applicanda. Laici vero, si clericis nouiter promotis contra hoc quidquam molestiæ aut contradictionis obiecerint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto, consuetudine quauis contraria non obstante.

Vt simoniaca labes, quæ vacantibus ecclesiis a patronis & clericis damnabili cupiditate & ambitione frequenter committitur, pœnarum formidine refrenetur, statuimus vt nullus patronus pro præsentatione ad ecclesiam in qua ius obtinet patronatus, pecuniam aut quodcumque munus recipiat, siue donum; nec clericus audeat per se aut per alium pro præsentatione præmissa munera promittere vel donare: alioquin & præsentans illa vice iure præsentandi sit ipso facto priuatus, & præsentato clerico nihil iuris ex præsentatione huiusmodi acquiratur, nec etiam ab aliis patronis ea vice ad ecclesiam illam valeat præsentari. Vt autem circa hoc omnis siniſtra suspicio conquiescat, præ-

cipimus, quod prælatus, ad quem inſtitutio pertinet, a præſentato clerico antequam in beneficio ipſum inſtituat, corporale recipiat iuramentum, quod pecuniam vel aliud munus quodcumque patrono aut alii pro eodem pro præſentatione huiuſmodi nec promiſit, nec dedit per ſe vel per alium quoquo modo. Anno Christi 1312.

Gratia ſi non gratis datur & recipitur, gratia non eſt. Nonnulli vero prælatorum, vt accepimus, cum beneficia conferunt, occaſione collationis factæ fructus eorumdem beneficiorum, aut aliquam ipſorum partem, ſeu ſummam aliquam pecuniæ exigere ac retinere præſumunt. Cum igitur corruptelam huiuſmodi ſacri Canones deteſtentur, iubemus ne epiſcopi, vel quiuis alius ad quem beneficii collatio pertinet, ratione collationis huiuſmodi beneficii aut * chanriæ, ſeu alio quocumque quæſito colore, aliquid præſumant per ſe vel per alium exigere, ſeu etiam retinere: nec notarius ſeu ſcriptor quidquam niſi moderatum exigat pro collationis litera & ſigillo; ſed ille libere fructus ipſos percipiat, cui beneficium eſt collatum. Quod ſi aliquis ad quem collatio beneficii ſpectat, contra præmiſſa fecerit, eo ipſo a collatione beneficiorum per ſex menſes nouerit ſe ſuſpenſum, & beneficia ad collationem ſuam ſpectantia, quæ medio tempore vacauerint, per eum ad quem collatio ipſorum de iure vel de conſuetudine deuoluitur, conferantur.

XX.

Ignorantia quæ mater cunctorum errorum eſſe

ANNO CHRISTI 1322.

dignoſcitur, in clericis qui ad animarum curam & docendi officium aſſumendi ſunt, eſt diligentius euitanda. Ideoque ab eis ſtudioſe vigilandum eſt, vt per ſolicitudinem ſtudii eam a ſe abiiciant, quaſi peſtem. Volentes igitur vt clerici ad eccleſiaſticos ordines promouendi vtilius in ſcientia valeant informari, optantes etiam, vt conſtitutio Lateranenſis Concilii effectum debitum ſortiatur, ſtatuimus vt in qualibet ciuitate & in aliis locis inſignibus, duobus vel tribus in vnaquaque diœceſi, vbi & prout prælatis conſiderata diœceſis qualitate & latitudine videbitur expedire, ponantur magiſtri in grammatica, qui ſcholares in dicta ſcientia inſtruant & informent. In ciuitatibus vero ſolennibus magiſtri in logicalibus deputentur, & eis ſalaria de circumadiacentibus eccleſiis ipſis prælatis ſubiectis aſſignentur ſecundum ordinationem & prouidentiam eorumdem. In locis quoque maioribus, vbi opulenta monaſteria ſunt conſtituta, vel collegiatæ eccleſiæ ſæculares conſiſtunt, magiſtri in grammatica ſtatuantur, quibus per abbates & conuentus de eccleſiarum redditibus eis pleno iure ſubiectarum, in quibuſcumque exiſtant diœceſibus, prouideatur de ſalario competenti.

Vt autem clerici ad proficiendum in ſcientia facilius inducantur, ſtatuimus quod volentes ſtudio literarũ inſiſtere, pro tempore quo inſiſtent, eidem fructus beneficiorum ſuorum vſque ad triennium percipiant, aut etiam maiori tempore, ſi hoc prælatis & ſuis capitulis expediens videatur. Negligentes vero in ſcientia proficere, ſi ad hoc apti fuerint,

per ſubtractionem beneficiorum ſuorum ab ordinariis compellantur. Et vt hoc ſalubre ſtatutum efficacius valeat obſeruari, volumus & mandamus, quod quilibet prælatus aliquem de eccleſia ſua ſpecialiter deputet, qui de magiſtris & eorum ſalariis curam habeat, ac eis prouideri faciat, prout ſuperius eſt expreſſum. Qui ſi negligens fuerit, per epiſcopum pro negligentia puniatur. Nos vero prælatis in virtute obedientiæ diſtricte præcipimus, vt in proximis Synodis in ſuis diœceſibus celebrandis hanc noſtræ conſtitutionis ordinationem diligentius exequantur. Per hoc autem circa dignitates, quibus onus annexum eſt prouidendi de ſalario magiſtro in grammatica, nihil intendimus immutare. Anno Christi 1322.

Cathedrales eccleſiæ perſonis literatis, prouidis & diſcretis indigent, per quos verbum Dei recte prædicari valeat, & cauſarum ambiguitates & ſtrepitus commodius expediri. Volentes igitur, vt beneficiati in ipſis eccleſiis opportunitatem habeant proficiendi in ſcientia, & poſſint bonis moribus informari, ſtatuimus vt in qualibet cathedrali & collegiata eccleſia aliqui etiam ex beneficiatis apti & docibiles, iudicio epiſcopi vel prælati ſui & capituli, ſaltem vnus ex decem de reſidentibus, aſſumantur, qui ad ſtudia generalia theologiæ, iuris canonici ac liberalium artium accedere compellantur, & ibidem vtiliter perſeuerare tempore debito, donec ad ſtatum ſcientiæ competentem perueniant, & medicinæ quo ad illos quibus ipſas audire a iure non eſt prohibitum, idem volumus obſeruari. Si

Anno Christi 1322. autem electis & approbatis tempore quo episcopo & capitulo expedire videbitur, fructus beneficiorum, distributionibus quotidianis dumtaxat exceptis, integraliter assignentur, consuetudinis vel constitutionis statuti illius ecclesiæ obstaculo non obstante. Prælatis vero sub interminatione diuini iudicii præcipimus & mandamus, vt præsentem constitutionem in proximis Synodis diligenter exequi non omittant.

XXI.

Ecclesia Dei, in qua celebrantur diuina officia & sacramentum eucharistiæ consecratur, purgari debet, ne * communicatione infidelium cum fidelibus profanetur. Volentes igitur abusum euellere, qui in quibusdam partibus inoleuit, quo infideles fidelibus se immiscent cum diuina officia in ecclesia celebrantur, ex quo scandalum frequenter oritur, & fidelium deuotio impeditur; præsenti prohibemus edicto, ne quiuis infideles in ecclesiis interesse præsumant dum diuina celebrantur officia. Quod si forte ex aliqua necessitate vel rationabili causa in ecclesia dum celebrantur diuina, & Missa specialiter, eos interesse contigerit, postquam præfationem Missæ sacerdos inceperit, ab ecclesia per sacristam in secretiori loco, vel alio apto, iuxta ecclesiam recludantur: defendentes vero ipsos, vt prædicitur, & impedientes ne ab ecclesia expellantur, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant.

* commissione

Nouit hostis Dei calliditas sub ouina pelle lupum inducere, ac sub mellis similitudine fel inferre,

contra quod a Christum colentibus, ne fallantur, est cautela diligens adhibenda. Quia igitur in nocturnis vigiliis, quas in ecclesiis fieri aliquorum simplicium deuotio introduxit, nefanda sæpe ac enormia sub hac boni specie committuntur, ipsas fieri de cetero firmiter prohibemus. Infideles vero quoscumque ad vigilias istas adducere seu tenere, aut procurare quod tumultum ibi faciant suis vocibus, vel quibuslibet instrumentis, execrabile reputantes, statuimus quod quicumque circa infideles dumtaxat contra præmissa fecerit, seu aliquod præmissorum, viuens quidem ab ingressu arceatur ecclesiæ, ac moriens ecclesiastica careat sepultura. ANNO CHRISTI 1322.

Sicut fidelis populus ab infideli est fidei professione diuisus, sic eum decet conuersatione & moribus ab infidelium ritibus segregari. Ne igitur Christianæ fidei professores Iudæorum & Sarracenorum superstitionibus polluantur, & simplicium animi ad eorum perfidiam inclinentur, sub excommunicationis pœna, quam ipso facto incurrant, firmiter inhibemus, ne Christiani Iudæorum aut Sarracenorum nuptiis vel sepulturis interfint, nec eorum ritus in his signanter aliqualiter imitentur.

Absurdam & irrationabilem corruptelam quæ in Christianæ fidei vergit opprobrium & iacturam, qua contra sanctiones canonicas Iudæi & Sarraceni Christianis in publicis præficiuntur officiis, sub quorum prætextu Christianis plurimum sunt infesti, extirpare volentes, vniuersis ecclesiarum prælatis sub interminatione diuini iudicii præcipimus & mandamus, vt sanctorum patrum statuta super

ANNO CHRISTI 1322. hoc edita per excommunicationis ſententiam & aliarum pœnarum appoſitionem faciant inuiolabiliter obſeruari.

*ſ. Ad dilatationē f. C. & conuerſionē fid. * Ad dilationem fidei Chriſtianæ & conuerſationem fidelium debita ſolicitudine intendentes, ſtatuimus, vt conuerſis Iudæorum & Sarracenorum, qui plerumque poſt ſuſceptionem baptiſmi mendicare propter rerum inopiam compelluntur, & ob hoc nōnulli eorum a receptione fidei retrahuntur, in hoſpitalibus & piis locis prouideatur in neceſſariis, ſecundum facultatem & ſufficientiam reddituum eorumdem, cuius ordinationem in locis non exemptis diſcretioni & arbitrio diœceſanorum ducimus committendam: alii tamen qui apti fuerint ad proficiendum in artificiis aliquibus, per rectores hoſpitalium prædictorum ponantur & deputentur ad ſcientias, vel ipſa artificia addiſcenda, quibus prouideatur in neceſſariis, quouſque in tantum in eis profecerint, quod de ſcientia vel de artificio commode valeant ſuſtentari. Illis vero non teneantur dicta hoſpitalia prouidere, qui ante conuerſionem aliqua artificia ſciuerint, de quibus viuere valeant competenter: fiat tamen talibus in principio de hoſpitalium bonis aliqua moderata ſubuentio, ad habendum inſtrumenta neceſſaria pro ſuo artificio exercendo.

De bonis autem talium conuerſorum fiat quod circa hoc Canones decreuerunt. Vt vero prædicta hoſpitalia ad ſuſtentationem ipſorum ſufficere valeant, & etiam aliorum, prælati indulgentias concedant eis qui talibus conuerſis benefecerint: de-

putantes aliquos probos viros, qui eleemosynas huiusmodi colligant, & eis pro suis necessitatibus administrent. Vniuersos etiam ecclesiarum prælatos monemus & hortamur in Domino Iesu Christo, vt conuersis huiusmodi, qui ad clericatum apti fuerint, & clericatum ipsum recipere voluerint, de beneficiis ecclesiasticis suæ conditioni & merito competentibus studeant prouidere. ANNO CHRISTI 1322.

Prædicationis officium, quod exerceri non debet nisi ab idoneis & literatis personis, & eis dumtaxat, quibus per prælatos seu de iure aut priuilegio specialiter est commissum, Iudæis & Sarracenis conuersis penitus interdicimus, nisi eis qui examinati & approbati fuerint per prælatos, & tales inuenti, quod sine errore & scandalo fidei infideles conuincere possint & sciant per scripturas, & maxime ex codicibus eorumdem. Prælatis etiam interdicimus, ne ipsis conuersis literas concedant super licentia prædicandi dictis infidelibus, nisi probati & examinati fuerint, vt superius est expressum.

Aduersus Iudæorum & Sarracenorum induratam malitiam, (qui sub velamine medicinæ, chirurgiæ & apothecariæ callide insidiantur & nocent populo Christiano, dum eis medicamenta *proponant, ex quibus nonnunquam pericula mortis incurrunt) sanctorum patrum Canones salubriter prouiderunt, prohibentes, ne Christiani eos in infirmitatibus suis vocent, aut ab eis recipiant medicinam. Quia vero prædicti Canones propter prælatorum negligentiam non seruantur, in virtute

* f. propinant,

Anno Christi 1322. sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, vt prælati ipsi præcepta Canonum tam circa prædicta, quam circa eorumdem euitanda cibaria, per censuram ecclesiasticam faciant inuiolabiliter obseruari.

Damnandæ cupiditatis iniquitas, qua mercatores Christiani victualia deferunt Sarracenis, notabile damnum *afferunt Christianis, dum ex hoc & Sarracenorum releuatur inopia, & terra Christianorum victualibus sibi necessariis vacuatur. Cum igitur præmissa fieri tempore guerræ sint a iure prohibita, prælatis omnibus & singulis præcipimus & mandamus, vt committentes præmissa excommunicatos in suis ecclesiis faciant publicari. Sententia autem huiusmodi in cathedralibus & parochialibus ecclesiis, & specialiter partibus Sarracenorum vicinis, saltem quater in anno solenniter publicetur.

*f. affert

XXII.

Lex continentiæ, & tori coniugalis fidelitas quandoque per concubinarium abusum, quandoque per secundas nuptias, quas plerique de facto, cum de iure non possint, contrahunt contra legis diuinæ præcepta, indebite violatur. Ideoque statuimus, vt quicumque coniugatus concubinam publice detinere præsumpserit, vel coniugatus, aut non coniugatus concubinam infidelem præsumpserit detinere, tam ipsi quam ipsæ eo ipso sententiam excommunicationis incurrant. Prælati vero sententiam huiusmodi in ecclesiis faciant sæpius publicari.

XXIII.

Execrabilem quorumdam Christianorum abu-

Anno Christi 1322.

ſum, quo nonnulli Chriſtianos rapiunt vel furantur, & eos Sarracenis vendunt, aut aliter quomodocumque trahunt, abhorrentes, ſtatuimus, vt nullus Chriſtianus prædicta vel aliquid prædictorum exercere audeat: alioquin in ſententiam excommunicationis incidat ipſo facto; & quod poſtquam a dicta ſententia abſolutus fuerit, niſi prius ſatisfecerit, careat eccleſiaſtica ſepultura. Prælatis ſub interminatione diuini iudicii præcipimus & mandamus, vt filios eorum, videlicet qui prædictis modis ſubtractos Sarracenis tradunt, cum affectu vſque ad tertiam generationem ad ſacros ordines & eccleſiaſtica beneficia non admittant. Sententia vero huiuſmodi in cathedralibus eccleſiis maxime partibus Sarracenorum vicinis, ſaltem quater in anno ſolenniter publicetur.

Ex frequentibus prælatorum querelis percipimus, quod nonnullæ religioſæ perſonæ exemptæ & non exemptæ, eccleſias, decimas & alia eccleſiarum & prælatorum bona mobilia & immobilia tam notabili læſione violenter vſurpant & iniuſte detinent occupata. Vt igitur tales iniuriatores pœna puniantur canonica, & eccleſiæ ab iniuriis ac moleſtiis releuentur, præcipimus, vt prælati conſtitutionem felicis recordationis domini Clementis papæ V. quæ incipit: Religioſi: contra tales in eccleſiis ſuis publicari faciant diebus dominicis & feſtiuis, & incidentes in eiuſdem conſtitutionis pœnas, excommunicatos & ſuſpenſos nominatim faciant publice nuntiari.

Anno Christi 1322.

XXIV.

Cum sortilegorum, maleficorum, incantatorum superstitiosa pernicies sit reprobata a iure canonico & ciuili, & in his a pluribus excedatur, præsenti constitutione firmiter inhibemus, ne aliqui ad huiusmodi sortilegos, maleficos, incantatores, diuinatores accedere, aut ab eis super suis vel aliorum actibus consilium petere præsumant: alioquin tam ipsi, quam ab eis consilia requirentes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Inhibemus insuper sub excommunicationis pœna, ne aliquis attendat auguriis, aut in agendis secundum augurium consilia dirigantur. Prælati vero & prædicatores verbi Dei in suis sermonibus auguria dissuadeant omnibus Christianis.

XXV.

Cum per sanctorum patrum statuta præcipiatur, vt ecclesiæ in suis actibus materiæ mature procedatur, statuimus, vt purgatio canonica in causis sacrilegiorum vel aliis quibuscumque nullatenus indicatur, nisi tali casu, pro quo de iure sit purgatio indicenda.

XXVI.

Vulgaris purgationis abusum per Canones interdictum, quo suspecti de criminibus ad se purgandum ferrum candens, aut aquam feruentem accipiunt, detestantes, statuimus, vt mandantes talem purgationem fieri, tenentes, exhibentes, custodientes, accipientes ad hoc ferrum vel aquam huiusmodi, cum his Deus tentari videatur, & innocentes in huiusmodi purgationibus sine demeri-

to puniantur, in ſententiam excommunicationis incidant ipſo facto, & nihilo minus ſæpius excommunicati publice nuntientur. ANNO CHRISTI 1322.

XXVII.

Pœnitentiæ ſacramentum, quod omni fideli, poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, eſt neceſſarium ad ſalutem, a nullo eſt aliqualiter negligendum. Ideoque vniuerſis eccleſiarum rectoribus ſub pœna excommunicationis diſtricte præcipiendo mandamus, vt conſtitutionem generalis Concilii, quæ incipit: Omnis vtriuſque ſexus: maxime quo ad pœnas non confitentium, aut non communicantium, quæ ſunt, vt viuentes ab ingreſſu eccleſiæ arceantur, & morientes careant eccleſiaſtica ſepultura, ſingulis dominicis diebus a ſeptuageſima ſaltem vſque ad paſcha in ſuis eccleſiis publicent, & in aliis locis, vbi hoc viderint expedire.

Et ego Roman. quondam magiſtri Oddonis de Laude publicus apoſtolica & imperiali auctoritate notarius, prædictas conſtitutiones, prout in ipſarum originali correcto vidi & legi de mandato, auctoritate & commiſſione reuerendi in Chriſto patris & domini, domini Guillermi epiſcopi Sabinenſis, apoſtolicæ ſedis legati ſupradicti, in præſentia diſcretorum virorum domini Raimundi Flori canonici Compoſtellani capellani, & Stephani de Lilio archipresbyteri de Gomera Oxonienſis diœceſis, clerici ipſius domini legati, teſtium ad hoc vocatorum & rogatorum die ſecunda menſis Septembris anni & pontificatus prædictorum,

ANNO CHRISTI 1322. mihi & Bertrando notario publico infrascripto factis, cum eodem Bertrando fideliter auscultaui. Et quia ipsas cum prædicto originali concordare inueni, in testimonium præmissorum me subscripsi, signumque meum hic & in fine cuiuslibet folii præsentium constitutionum vsque ad medietatem apposui consuetum. Et in vberiorem certitudinem præmissorum, dictus dominus legatus duxit sigillum suum præsentibus foliis in filo colligatis appendi.

Et ego Bertrandus Vanchi Dechanensis Castro, clericus Treuirensis diœcesis, publicus apostolica & imperiali auctoritate notarius, prædictas constitutiones, prout in ipsarum originali correcto vidi & legi de mandato, auctoritate, &c.

ANNO CHRISTI 1324.

CONCILIVM TOLETANVM

AVCTORITATE IOANNIS ARCHIEPISCOPI & primatis Toletani celebratum anno Domini MCCCXXIV. tempore Ioannis papæ XX.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

ISTÆ SVNT CONSTITVTIONES PER reuerendum patrem & dominum, dominum Ioannem miseratione diuina Toletanum archiepiscopum, primatem Hispaniarum ac regni Castellæ cancellarium, factæ ac editæ in Concilio per eum apud Toletum celebrato anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo quarto, vigesimo primo die mensis Nouembris, qua die dictum Concilium extitit terminatum.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *Vt episcopi vocati ad Concilium veniant.*
II. *De vestibus clericorum.*
III. *Vt clerici fructibus capellaniarum non abutantur.*
IV. *Vt nullus curatum beneficium administret, nisi ante legitime per episcopum diœcesanum in-*

ſtructus fuerit.

V. *Vt clerici bona eccleſiæ filiis ſuis non conferant.*

VI. *Vt presbyteri pro Miſsis celebrandis pecuniam non exigant.*

VII. *Vt presbyteri nonniſi vnam Miſſam in die celebrare præſumant.*

VIII. *Illos qui Sarracenis ſubſidia impendunt, excommunicatos eſſe.*

ANNO CHRISTI 1324.

PRÆFATIO.

AD fructus vberes, quos in Dei eccleſia epiſcoporum Concilia hactenus produxerunt, conditores Canonum conſiderationis aciem * intendentes, prouide conſtituerunt eadem Concilia pro puniendis exceſſibus, & reformandis moribus, per metropolitanum cum ſuis ſuffraganeis annis ſingulis celebranda. Quod & reuerendus pater dominus frater Guillermus Sabinenſis epiſcopus, in his partibus apoſtolicæ ſedis legatus, quolibet anno, vel ad minus biennio, ſub certa forma fieri præcepit, vt quos ad declinandum a malo, & faciendum bonum virtutum præmia non inducunt, quadam ad hæc facienda nēceſſitate per epiſcoporum diligentem ſolicitudinem & ſuppoſitam vigilantiam compellantur. Nos igitur, qui deſideranter in vos gerimus ipſos Canones & præceptum eiuſdem domini legati pro viribus obſeruare, conuocauimus prouinciale Concilium in noſtra eccleſia Toletana: & intendentes potius ad obſeruationem conſtitutionum, quam ad multiplicationem earum, ſacro approbante Concilio præcipimus, conſtitutiones per dictum dominum legatum editas in Concilio per eum apud Vallemoleti celebrato, cum infraſcriptis per nos in præſenti Concilio edictis, obſeruari.

* *al.* conuertentes,

CAPITVLA.

I.

Epiſcoporum negligentiæ, qui vocati ad Concilium venire negligunt, ex quo eccleſiaſtica contemnitur auctoritas, exceſſus remanent impuniti, & correctio morum ceſſat, ipſas impunitates auferre volentes, cum nos ſimus ſub certa pœna ad celebrandum Concilium obligati, quod celebrare non poſſumus decenter vel vtiliter ſine ipſis, præſen-

ti

ANNO CHRISTI 1314. ti constitutione iubemus, vt episcopi vocati ad Concilium personaliter veniant, nisi fuerint impedimento legitimo, de quo nobis fidem facere teneantur, præpediti, * secturi. Quod nisi fecerint, pœnas contra eos statutas a iure publicari & seruari faciemus, ad alias nihilo minus, sicut expedire viderimus, processuri. Et vt plenior informatio habeatur, episcopi in casu in quo sint legitime impediti, & cathedralium ecclesiarum capitula mittant ad dictum Concilium procuratores idoneos de statu propriarum ecclesiarum & diœcesum informatos.

II.

Antiquos Canones, qui in clericis superflua & inhonesta prohibent, ad memoriam reducentes, statuimus, quod nullus clericus supertunicale vel tabardum post mensem a tempore publicationis præsentis constitutionis deferat ita longum, quod si ad pedes contingat, nullatenus tamen per terram trahatur, cum hæc non honestas, sed superfluitas & indecentia censeatur. Clericus vero qui contra fecerit, supertunicale ipsum seu tabardum ipso facto amittat, per proprium, seu eius vicarium, seu officialem, pauperibus erogandum. Caueant & clerici, ne mantellos seu chlamydes nimia longitudine vocandos, nec cum chordis, & nimis longis, nec tunicarum manicas nobiliter nimis breues, ita quod brachia nuda appareant, si pœnam consimilem voluerint euitare. Quilibet etiam clericus barbam faciat sibi radi quolibet saltem mense, nec crines deferat nobiliter infra aures. Ceterum quia in partibus istis morbus detestandæ inhonestatis irre-

pſit, quod mulieres quæ ſoldaderas vulgariter nuncupantur, intrant publice domos prælatorum & magnatum ad comedendum & alia, loquentes praua & inhoneſta colloquia plerumque corrumpentia bonos mores, facientes ſpectaculum de ſeipſis: præcipimus omnibus, & maxime prælatis, ſub obteſtatione diuini iudicii diſtrictius iniungentes, ne huiuſmodi mulieres permittant intrare vel eſſe in domibus eorumdem, nec aliquid dent eiſdem. ANNO CHRISTI 1324.

III.

Quorumdam clericorum abuſum, qui fructus capellaniarum perpetuarum, ſeu beneficiorum, quæ ex deuotione fidelium in eorum inſtituuntur eccleſiis, auctoritate propria ſibi appropriant, inter ſe diuidunt ſub prætextu, quod ipſi volunt dictis capellaniis ſeu beneficiis deſeruire, vel alias, cum de ambitionis radice procedat, & per ipſum cultus diuinus minuatur, quem deſideramus augere, & ab inſtitutione capellaniarum ſeu beneficiorum plurimi retrahantur, penitus reprobamus & prohibemus, expreſſe præcipiendo, quod huiuſmodi capellaniæ, ſeu beneficia inſtituta, & de cetero inſtituenda, habeant iuxta ordinationem ſtatuentium proprios ſeruitores. Qui vero ſine licentia diœceſani epiſcopi contra fecerint, a beneficiis quæ habent in eccleſiis in quibus hæc commiſerint, donec plene reſtituerint quidquid contra præſentem prohibitionem perceperint, ſint ſuſpenſi.

IV.

Inter epiſcopales ſolicitudines illa debet eſſe præcipua, quæ verſatur circa curam ſeu regimen anima-

Anno Christi 1324. rum, quæ in episcoporum potestate consistunt. Propterea ne astutia satanæ eos decipiat, propter rectorum ignorantiam vel defectum, & sanguis subditorum de eorum manibus requiratur, statuimus sacro Concilio approbante, quod nullus in curato beneficio administret, donec in eo per diœcesanum episcopum institutione auctorizabili fuerit institutus, seu sibi cura commissa fuerit animarum: alioquin iure quod habebat in prædicto beneficio, non obstante contraria consuetudine, sit priuatus, priuilegiis & gratiis sedis apostolicæ semper saluis.

V.

Vt substantia ecclesiarum quæ solet per clericorum sobolem deperire, ad vsus debitos conseruetur, statuimus quod nullus clericorum bona intuitu ecclesiæ acquisita filiis vel filiabus suis det, vel conferat inter viuos, vel in testamento contra Canonum instituta dimittat; præcipientes omnibus episcopis in virtute sanctæ obedientiæ, quod iura super hoc edita diligenter obseruent.

VI.

Multa mentis amaritudine concitamur, grauisque doloris aculeus perfodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui presbyteri detestanda & abominabili ambitione cæcati pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc ac si vellent vendere rem profanam, impudenter mercantur: quandoque etiam publice qui eas faciunt celebrari, æstimantes, vt ex eorum facto pernicioso vendunt gratiam Dei quæ in sacramento Missæ confertur, vel verius ipsum Deum qui nobis sub specie

dicti ſacramenti ſe exhibet, pecunia poſſe vendi. Verum cum dictum ſacramentum ſuper omnia precioſum, ſit liberaliter ſicut cetera ſacramenta celebrandum, diſtrictius prohibemus, ne aliquis presbyter pro Miſſis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; ſed grate accipiat, ſi aliquid per facientem Miſſas celebrari oblatum ſibi caritatiue fuerit, abſque pacto & conuentione quacumque. Qui vero contrarium fecerit, a celebratione Miſſæ per annum nouerit ſe ſuſpenſum, & alias pro tam graui exceſſu ad arbitrium proprii epiſcopi puniendum. ANNO CHRISTI 1324.

VII.

Nullus inſuper abſque cauſa neceſſitatis, excepto die natiuitatis Domini, præſumat niſi vnam Miſſam celebrare in die: quia valde felix eſt, qui celebrat digne vnam. Præcipimus etiam in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus presbyteris, quod Miſſam celebrent vt frequentius poterunt, & ad minus quater in anno; niſi ex cauſa rationabili, quam propriis epiſcopis notificare habeant, eos ceſſare contingat. Et ne præter criminis conſcientiam a celebratione Miſſarum habeant abſtinere, concedimus eis licentiam in hoc caſu, ſi non poſſint commode copiam ſui curati habere, quod poſſint alii presbytero confiteri, qui ipſos tam a minore excommunicatione, quam aliis omnibus quæ ſibi confitebuntur, poſſit abſoluere; exceptis dumtaxat caſibus ſedi apoſtolicæ & epiſcopo reſeruatis: alii vero clerici vt oſtendant ſe ad plus teneri quam laici, ad minus communicent ter in anno; niſi de

ANNO CHRISTI 1324. consilio proprii confessoris duxerint abstinendum.

VIII.

Quamuis contra illos qui cum Sarracenis mercimonium habuerint, vel eis aliqua rerum subsidia seu consilia per se vel alios quocumque ingenio, quamdiu inter nos & ipsos guerra durauerit, impendenda duxerint, sint a Canone excommunicationis * sententia promulgata. Quidam tamen Christiani peruerse verba dicti Canonis intelligentes, & quærentes in eis folia & non fructus, non verentur tempore dictæ guerræ ipsis Sarracenis ad terram eorumdem Christianorum venientibus vel mittentibus victualia vendere, & alia rerum subsidia impendere, credentes ex quo non vadunt, nec mittunt ad dictos Sarracenos, a sententia ipsius Canonis excusari. Nos vero peruersum intellectum & crudelitatem eorum penitus reprobantes, declaramus & volumus ipsos qui prædicta faciunt vel committunt, incurrere sententiam Canonis supradicti, quem Canonem simul cum hac nostra constitutione specialiter in cathedralibus & parochialibus ecclesiis eisdem Sarracenis vicinis frequenter præcipimus publicari.

CIRCA ANNVM CHRISTI 1327.

[a] CONCILIVM AVENIONENSE,

CONTRA NICOLAVM V. ANTIPAPAM eiusque errorem celebratum tempore Ioannis papæ XX.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Nicolaus V. Petrus Corbariensis antea nominatus, ordinis Minorum, contra Ioannem XX. (quem Ludouicus IV. acerrime oderat) studio & opera eiusdem Ludouici antipapa creatus

fuerat. Qui cum præter schisma ecclesiæ illatum, publice doceret Iesum eiusque discipulos adeo pauperes semper fuisse, vt nihil vnquam neque in commune, neque priuatim habuissent, indictum est hoc Concilium, quo antipapam iure meritoque condemnauit, errorem-que eiusdem sacræ scripturæ contrarium refutauit. *Tempore vigesimi primi schismatis,* inquit Marius capite vigesimo primo lib. de schismatibus & Concil. *per Ioannem XXII. Auenione Concilium est institutum contra Petrum Corbariensem ordinis Minorum, antipapam creatum a Ludouico Bauaro. Is vero alio Concilio in Italia indicto, Ioannem XXII. hæreticum declarauerat, defendens Iesum eiusque discipulos adeo pauperes fuisse, vt nihil neque in commune, neque priuatim habuissent. Id quod in prædicto Concilio Auenionensi etiam refutatum est.* Hæc ex Ioanne Mario. CIRCA ANNVM CHRISTI 1327.

Consule quæ supra dixi in Benedicto X.

VITA ET EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ XI. VVLGO XII.

ANNO CHRISTI 1334.

BENEDICTVS XI. qui nomine pristino dictus erat Iacobus Tolosanus, ex ordinis Cisterciensis cardinale, die post obitum Ioannis decimo sexto ad pontificatum euectus est, decimo tertio Kalendas Ianuarii, anno 1334. regnante Ludouico IV. imperatore. Initio sedis suæ censuras contra eumdem Ludouicum Bauarum a prædecessore latas non tantum confirmauit, verum etiam imperialem dignitatem tamquam vacantem, & ad se velut ad Christi vicarium deuolutam, eidem abstulit. Interim ne Italia externo hosti pateret, multos proceres Italiæ in vrbibus quas possidebant, sedis apostolicæ vicarios creauit. Romanis per legatum persuasit, vt senatoriam dignitatem, quam diu regio nomine gesserant, suis tandem & ecclesiæ auspiciis administrarent. Sanctorum animas a peccatis suis sufficienter expiatas ante diem iudicii beatas esse, Deique clara visione frui definiuit. Vnica ordinatione sex cardinales, viros virtutibus ornatissimos, creauit. Omnibus modis regem Franciæ cum Anglo conciliare studuit; sed frustra. In rebus honestis & iustis constantissimus perstitit; bonos amore complexus, improborum voluntati & conatibus, quantum fieri potuit, repugnauit. Septem annis, tribus mensibus & septemdecim diebus pontificatu functus, obiit Auenione septimo Kalen-

das Maii, anno Domini 1342. Eius mors grauem animi dolorem omnibus inflixit. Eius tempore Petrarcha lauro coronatus est.

EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ XI.

Definit animas sufficienter purgatas clara Dei visione frui.

Benedictus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

BENEDICTVS Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui sacrosanctam Romanam, catholicam & apostolicam ecclesiam (quam vt vineam plantauit dextera sua, quamque vt præcipuam in ecclesiarum omnium caput erexit, & victricem, dicente Domino ad Petrum: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.*) sua miseratione non deserit, sed per beatos apostolos suos, præcipue Petrum & Paulum, singulares eiusdem ecclesiæ defensores, pia benignitate & continua pietate custodit, quatenus eisdem rectoribus gubernata, in se stabilis maneat fundata super firmam petram, omnesque Christianæ fidei cultores illi obediant, illi pareant, illi intendant, sub illius magisterio degant, sub eius disciplina & correctione consistant. Matth. 16.

Et paulo post: Sane dudum tempore felicis recordationis Ioannis vigesimi secundi prædecessoris nostri, inter nonnullos etiam theologicæ facultatis magistros, super visione animarum iustorum hominum post mortem suam, in quibus nihil erat purgabile, cum de hoc sæculo decesserunt; vel si fuerat, iam purgatum fuerat ex toto; an diuinam essentiam videant ante corporum suorum resumptionem ac iudicium generale, & super nonnullis aliis orta materia quæstionis, ipsorum aliqui negatiuam, aliqui affirmatiuam, alii vero secundum suas imaginationes de visione diuinæ essentiæ ab animabus huiusmodi diuersa & diuersimode ostendere nitebantur, prout ex dictis & scriptis eorum noscitur apparere: super reiectis suis vero concertationibus, quas hic causa breuitatis omittimus, quia ita ex nostris etiam determinationibus

inter se decidebant : cumque idem prædecessor noster, ad quem prædictorum determinatio pertinebat, ad decisionem concertationum huiusmodi se pararet, in suo consistorio publico tam fratribus suis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, quam prælatis & magistris in theologia, qui multi aderant præsentes, iniungendo districtius & mandando, vt super materia de visione prædicta, quando requirerentur ab eo, deliberate vnusquisque diceret quod sentiret: tamen morte præuentus, sicut Domino placuit, perficere nequiuit. Defuncto itaque prædecessore præfato, nos diuina dignatione ad apicem summi apostolatus assumpti, diligentius attendentes, quanta ex præmissis eorum concertationibus non solutis animarum imminent pericula, quanta exinde possunt scandala suboriri, vt ipsorum varietas pereat, & veritatis soliditas innotescat, habita prius super prædictis solicita examinatione & diligenti deliberatione cum fratribus nostris dictæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, de ipsorum fratrum consilio hac in perpetuum valitura constitutione, auctoritate apostolica definimus, quod secundum communem Dei ordinationem, animæ sanctorum omnium, qui de hoc mundo ante Domini nostri Iesu Christi passionem decesserunt, nec non sanctorum apostolorum, martyrum, confessorum, virginum, vt aliorum fidelium defunctorum, post sacramentum baptismi ab eis susceptum, in quibus nihil purgabile fuit quando decesserunt, nec erit quando decedent etiam in futurum, vel si tunc erit aliquid purgabile in eisdem, tamen post mortem suam purgabunt, atque animæ puerorum eodem Christi baptismate renatorum, & baptizandorum, cum fuerint baptizati, ante vsum liberi arbitrii decedentium, mox post mortem suam & purgationem præfatam in illis qui purgatione huiusmodi indigebant, etiam ante resumptionem suorum corporum & iudicium generale, post ascensionem Domini nostri Iesu Christi in cælum, fuerunt, sunt, & erunt in cælo, cælorum regno & paradiso cæleſti, cum Christo sanctorum angelorum consortio aggregatæ, ac post Christi Iesu passionem & mortem viderunt & vident & videbunt diuinam essentiam immediate, se bene & clare & aperte

aperte illis ostendentem ; quodque sic videntes , eadem diuina essentia perfruuntur : nec non quod tali visione & fruitione eorum animæ qui iam decesserunt , sunt veræ beatæ,& habent vitam æternam & requiem.

ANNO CHRISTI 1339.

CONCILIVM TOLETANVM AVCTORITATE ÆGIDII TOLETANI

archiepiscopi , ad reformandos mores ecclesiæ celebratum anno Domini MCCCXXXIX. tempore Benedicti papæ XI.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De non alienando ecclesiæ dominio.*
II. *Vt nullus , nisi literatus , ad clericatum promoueatur.*
III. *Vt ex qualibet cathedrali vel collegiata ecclesia saltem vnus ex decem clericis assumatur , qui ad studia theologiæ & iuris canonici accedere compellatur.*
IV. *De procuratoribus episcoporum ad Concilium mittendis.*
V. *Vt rectores ecclesiarum nomina suorum parochianorum annuatim in scriptis redigant.*

PRÆFATIO.

Aegidius miseratione diuina archiepiscopus Toletanus , Hispaniarum primas & regni Castellæ cancellarius, venerabilibus in Christo fratribus Dei gratia episcopis, suffraganeis nostris, & aliis ciuitatis & diœcesis ac prouinciæ Toletanæ prælatis , ac eorum capitulis , salutem in Christo salutis auctore.

OFFICII nostri debitum exposcit, vt solicitudinis studium , & indefessas operationes, prout possibilitati nostræ permittitur ,adhibeamus, ac cautela nostra custodiat, ne in his quæ venerabilium sunt ecclesiarum , aliquid inuastabile inualescat , quod quietem impediat earumdem : vtque sint in ecclesia Dei viri literati , qui iura ipsius tueantur, & in eorum nitore Altissimus delectetur, ad cuius laudem & gloriam , & felicem statum ac reuelationem ecclesiarum , quæ ad præmissa pertinent , salubriter ordinentur. Igitur ad editarum constitutionum obseruationem potius quam ad earum multiplicationem summopere intendentes , præsentibus venerabilibus in Christo fratribus nostris Petro Segobiensi, fratre Alphonso Se-

guntinensi & Ioanne Giennensi, episcopis suffraganeis nostris,&Palentinensis,Oxomensis,Cordubensis & Conchensis episcoporum & cathedralium ecclesiarum prouinciæ Toletanæ procuratoribus in Concilio congregatis, has edidimus constitutiones, quas iubemus in Synodis in nostra prouincia proxime celebrandis publicari & inuiolabiliter obseruari. Anno Christi 1339.

CAPITVLA.

I.

Dispendia ecclesiarum, tamquam nostris molesta visceribus, inferunt nobis doloris acerbi puncturas: nec illa dissimulare possumus, cum ea conspicimus & sentimus. Proinde quia experientia docente vassallos ecclesiarum nouimus enormibus collidi iacturis, & ecclesias ipsas in suis iuribus defraudari, cum in ipsarum ecclesiarum locis per eos qui non sunt ecclesiæ vassalli, possessiones acquiri contingat, vestigiis prædecessorum nostrorum archiepiscoporum Toletanorum inhærentes, sacro approbante Concilio, statuimus ne quiuis, cuiuscumque status aut conditionis existat, possessiones in locis, in quibus ecclesia dominium obtinet temporale, consistentes, eis qui eiusdem ecclesiæ vassalli tunc non sint, vendere, aut quouis alio titulo in eos transferre præsumat: alioquin tam vendentes, aut alias transferentes, quam ementes, & alias ipsas possessiones recipientes, excõmunicationis sententiæ ipso facto volumus subiacere, & venditiones,& emptiones, & alienationes ipsas cassamus, & cassas & irritas nuntiamus, ac decernimus nullius prorsus existere firmitatis, & nihilo minus possessiones sic alienatæ ipso facto loci domino applicentur. Per

ANNO CHRISTI 1339. hanc tamen constitutionem non intendimus prohibere, quin personæ, canonici & alii cathedralium & collegiatarum ecclesiarum, quarum dominium est temporale, beneficiati ac clerici in locis ipsis ecclesiæ commorantes, possint possessiones ipsas emere, & quouis alio titulo acquirere, easque ecclesiis cathedralibus, collegiatis & parochialibus suæ diœcesis, aut vassallis ecclesiæ tantum in vita vendere, & in morte donare, relinquere, seu legare. Absolutio excommunicationis huiusmodi cõstitutionis, post satisfactionem condignam huius constitutionis, cuilibet episcopo in sua diœcesi sit commissa.

II.

Quia in constitutione recolendæ memoriæ domini fratris Guillelmi quondam episcopi Sabinensis in Castellæ & Legionensibus partibus apostolicæ sedis legati, quæ incipit, *Cum in personis*, continetur quod in personis ecclesiasticis ad sacros ordines & beneficia curam animarum habentia promouendis, idoneitas maior requiritur, & amplior desideratur peritia literarum; sitque ibi salubriter statutum, quod nullus clericus ad sacros ordines promoueatur, nisi saltem literaliter sciat loqui: pari ratione sacro approbante Concilio statuimus, quod quam diu inueniatur, quod clericus qui literate sciat loqui, vel promotus ad sacerdotium, qui possit & velit in beneficio, cui cura imminet animarum, instituti, episcopis dispensandi, vt is promoueatur ad sacros ordines & ad beneficium cum cura, qui literaliter nescit loqui, & illud eidem conferendi facultas, præterquam circa beneficiatos in ecclesiis cathedra-

libus & collegiatis, sit penitus interdicta. Quod si secus factum fuerit, sit irritum & inane. Insuper volumus, & districte præcipiendo mandamus, quod quilibet episcopus quotiescumque ordines habeat celebrare, * tunc omnia promouendis coram se vocatis constitutionem dicti domini legati, quæ incipit, *Detestandam prælatorum auaritiam*, in Latino & vulgari faciat publicari. ANNO CHRISTI 1319.

* f. ante omnia

III.

In alia etiam constitutione eiusdem legati, quæ incipit, *Cathedrales ecclesiæ*, statutum est vt in qualibet cathedrali vel collegiata ecclesia aliqui clerici ex *beneficiis apti & docibiles, iudicio episcopi vel prælati & capituli, saltem vnus ex decem de residētibus assumatur, qui ad studia generalia theologiæ & iuris canonici ac liberalium artium accedere compellatur. Quia nonnulli in executione huiusmodi constitutionis sunt remissi; volentes eorum negligentiam iuris executione suppleri, sacro approbante Concilio statuimus, vt si infra sex mensium spatium, iuxta constitutionem ipsam ad studia literarum mittere distulerint, extunc ea vice potestas eligendi & mittendi ad nos & successores nostros totaliter deuoluatur, consuetudinis vel statuti illius ecclesiæ obstaculo non obstante.

* f. beneficiatis

IV.

Cum vero in cōstitutione domini Ioannis quondam archiepiscopi Toletani prædecessoris nostri, quæ incipit, *Episcoporum negligentiæ*, contineatur, quod episcopi in casu, in quo fuerint legitime impediti, & cathedralium ecclesiarum capitula mittant ad Concilium procuratores idoneos de statu pro-

ANNO CHRISTI 1339. priarum ecclesiarum & diœcesum informatos, statuimus quod episcopi taliter impediti procuratores alios ab illis qui per eorum capitula fuerint constituti, mittere teneantur. Quod si secus actum fuerit, contra eos perinde procedatur, ac si neminem transmisissent.

V.

Cum nonnulli rectores ecclesiarum & eorum vicarii in obseruando constitutionem generalis Concilii, quæ incipit, *Omnis vtriusque sexus*, inueniantur hactenus negligentes plurimum & remissi; ideoque vniuersis & singulis ecclesiarum rectoribus, eorum vicariis, sub pœna excommunicationis præcipiendo mandamus, quatenus dictam constitutionem diligenter obseruent, & nihilo minus quilibet eorum in sua parochia nomina suorum parochianorum, qui ad annos discretionis peruenerint, annuatim in scriptis redigant: & illos qui sibi vel alteri potestatem habenti, de quo constet ei, confessi fuerint, consignet, eosque ad recipiendum eucharistiam excitet. Quod si eam non receperint, nisi de consilio proprii sacerdotis abstineant: nec non & reliqui non confessi post lapsum anni ab ecclesia, donec confessi fuerint, expellantur, & si sic decesserint, ecclesiastica careant sepultura.

Datum in ecclesia Toletana XIV. Kalendas Iunii anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo nono, indictione septima, pontificatus sancti patris & domini nostri, domini Benedicti diuina prouidentia papæ XII. anno V. quo dictum Concilium extitit terminatum, sub sigilli nostri appensione, præsentibus Blasio Eximini archidiacono

de Talauera, & Gonsaluo Roderici thesaurario, & Ioanne Martini canonico ecclesiæ Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. ANNO CHRISTI 1339.

Et ego Martinus Nuncai portionarius in ecclesia Toletana, publicus in ciuitate & diœcesi Toletana archiepiscopali auctoritate notarius, dictarum constitutionum publicationi & aliis omnibus & singulis supradictis vna cum dictis testibus rogatus præsens fui, easque de mandato prædicti Concilii publicaui, meoque sigillo signaui.

VITA ET EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VI.

ANNO CHRISTI 1342.

CLEMENS VI. Lemouicensis, Petrus antea vocatus, ex monastica vita assumptus archiepiscopus Rothomagensis, vir doctissimus & eloquentissimus. Post Benedictum vndecimum pontifex electus est Auenione anno Domini 1342. ipsis Nonis Maii, decimo quarto Calendas Iunii coronatus, post sequentibus quatuor temporibus decem cardinales creauit: anno vero euoluto duos alios ordinauit, inter quos duo erant eius nepotes, tertius frater germanus, quartus ei affinitate coniunctus. A Romanis rogatus, iubileum quod centum annorum spatio constitutum erat, ad quinquaginta reuocauit. Mandauit, ait Trithemius in chronico Hirsaugiensi anno 1346. principibus, vt infra certum terminum quem iis præfixerat, nisi ius electionis velint amittere, in locum Ludouici (iam ante ob raptum alienæ vxoris per sententiã depositi) alium eligant imperatorem, qui mandatis ecclesiæ, vt filium decet, pareat: alioquin se necessario curam vt supremum caput de imperio habiturũ. Conuenientes itaque in Reyns infra Bopardiam iuxta Rhenum, vndecimo die mensis Iulii, Baldeuinus archiepiscopus Treuirensis, Vvalramus archiepiscopus Colonienſis, Gerlacus cui papa de Moguntina ecclesia prouiderat, Ioannes rex Bohemiæ, & dux Saxoniæ, Carolum Ioannis supradicti Bohemiæ regis primogenitum in regem Romanorum vnanimiter præsentem elegerunt, & Bonnæ per Colonienſem inunxerunt. Carolus rex memor accepti beneficii, Nicolaum

Rentii, qui Romæ tyrannidem exercebat, Auenionem vinctum ad pontificem misit. Quem dum Clemens compedibus constrinxisset, ad Vrbem duos cardinales destinauit, qui perturbatum reipublicæ statum in meliorem formam reuocarent. Auenionem vrbem Galliæ a Ioanna regina filia Roberti regis Siciliæ emit, & Tarentinum eiusdem maritum, Neapolitanum regem declaratum, cum Hungariæ rege reconciliauit. Vicecomites cum Florentinis necessitudinis fœdere reuinxit, vt ea ratione ruinam quam Ludouicus Bauarus Italiæ minabatur, facilius propulsaret. Quin etiam pacem, licet frustra, inter Franciæ & Angliæ reges componere maxime studuit. Huius indultu Colonienses & Treuirenses propter Turcicam expeditionem contributione pecuniarum promotam, impetrarunt, quod per totam diœcesim quibuslibet ieiuniis extra quadrageſimam ouis & lacticiniis licite vescantur. Creatis aliquot cardinalibus, Iuoneque Britanno in sanctorum numerum relato, mortuus est Auenione VIII. Idus Decembris, anno 1352. cum pontificatum annis decem, mensibus sex & diebus 28. administrasset.

EPISTOLA CLEMENTIS PAPÆ VI.

AD OMNES ARCHIEPISCOPOS eorumque suffraganeos, de Flagellantium hæreticorum condemnatione.

Clemens episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Moguntinensi, eiusque suffraganeis, salutem & apostolicam benedictionem.

INTER solicitudines innumeras & immensas, quibus vltra vires ex apostolicæ seruitutis debito perurgemur, illud cordi nostro potissime insidet, & ad hoc attentius studia nostra conuertimus & conatus, vt apud omnes Christi nominis professores orthodoxa fides fulgeat, & sic catholicæ & apostolicæ ecclesiæ norma sine quocumque fictionis, simulationis, seu velaminis pallio pure & laudabiliter obseruetur, quod a vinea Domini sabaoth, cuius cura nobis licet immerito est commissa, vepres & vrti-

cæ tam periculoſe quam damnabiliter ſuccreſcentes euellantur radicitus, & vulpeculæ quæ ipſam demoliri nituntur, per apoſtolicæ ſedis prouidentiam abigantur. Sane moleſta nobis, licet fide digna, magnorum relatio & multorum aſſertio noſtrum & fratrum noſtrorum non mediocriter turbauit auditum, quod in partibus regni Alemanniæ & eius conuicinis, quædam ſub prætextu deuotionis agendæ pœnitentiæ, vana religio & ſuperſtitioſa adinuentio procurante ſatore malorum inſurrexit, per quam multitudo ſimplicium hominum qui ſe flagellatores appellant, decepta verbis fictis & mendacibus malignorum aſſerentium ſaluatorem noſtrum in Hieroſolymis patriarchæ Hieroſolymitano apparuiſſe, cum tamen a longis temporibus nullus ibidem præſentialiter fuerit patriarcha; & ſibi aliqua dixiſſe quæ colorem non habentia nec ſaporem, in quibuſdam ſanctæ ſcripturæ obuiare noſcuntur; in illam cordis veſaniam & in magnæ damnationis præcipitium eſt deducta, & de die in diem ſuggeſtione hoſtis antiqui, ſe, vt dominicum gregem deuoret, transferentis in angelum lucis, nimium ſuccreſcendo deduci cortina trahente cortinam periculoſius formidatur, quod per ſocietates & conuenticula, licet caudas inuicem habeant colligatas, diuidentes diuerſas circumeunt patrias, ceterorum vitam & ſtatum contemnendo ſe iuſtificant, & claues eccleſiæ vilipendunt, ac in contemptum diſciplinæ eccleſiaſticæ crucem Domini ante ſe & habitum certum nigrum, videlicet ante & retro ipſius viuificæ crucis impreſſum habent ſignaculo, ſine ſuperioris licentia deferentes, ſub nomine pœnitentiæ vitam gerunt inſolitam, congregationes, conuenticula, & coadunationes, quæ a iure ſunt prohibitæ, faciunt, & ad alios actus proſiliunt a vita & moribus communibus & obſeruantia fidelium alienos, ordinationes & ſtatuta quibus vtuntur, imo verius abutuntur, propria temeritate fecerunt errores, ſuſpicione & vacua & iudicio carentia rationis. Sed ex eo tamquam Deo & hominibus amplius odioſo turbamur acerbius, & durius anxiamur, quod quidam religioſi, præſertim de ordine mendicantium, qui alios ab inuio reuocare debuerunt, & ad viam reducere veritatis, ab vtero matris eccleſiæ velut maledictionis filii nequiter oberrantes,

linguas

linguas ſuas, vt alios pertrahant in errorem, acuunt, quibus corda debilia vulnerant infirmorum, & ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuæ prudentiæ innitentes, dum legem Dei voluntate ſubiecti alios in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis prædicando & dogmatizando contra eccleſiaſticam libertatem, & fidei catholicæ puritatem, ab ipſa fidei veritate ſubducere moliuntur, & vt efficacius efficiant, & conceptum virus latenter effundant, blandis prius ſermonibus auditores, quaſi bonum vinum ponendo, ſatagunt irretire, vt cum inebriati fuerint, illud quod eſt deterius ingerentes, cum ipſis in perditionis laqueum incidant, & in profundum malorum demergantur. Nos igitur pernicioſo & periculoſo principio, per quod vltra diuinæ maieſtatis offenſam, magnum reipublicæ paratur periculum, & apud fideles ſcandalum generatur, ne deteriores pariter proceſſus & ſucceſſus ſubſequantur, obuiare volentes, & conſiderantes quod cum pleriſque ex ipſis ſeu adhærentibus eiſdem ſub colore pietatis ad iniquitatis opera laxantes crudeliter manus ſuas in Iudæos, quos pietas Chriſtiana recipit & ſuſtinet, iniicientes, eos aliqualiter non permittentes, & frequenter Chriſtianorum ſanguinem effundere, & opportunitate captata bona clericorum arripere & ſuis vſibus applicare, ac ſuperiorem iuriſdictionem vſurpare, & ad multa alia illicita prorumpere minime vereantur. Timendum eſt, quod tam præſumptuoſa temeritas & temeraria præſumptio, niſi eis per ſalubre antidotum occurratur, parituræ ſunt non leuem perniciem, & aliquorum morbus lethali * coniugio ſerpens apud plurimos ſero recipiat medicinam: attendentes inſuper quod error cui non reſiſtitur, quodammodo approbari videtur, & quod ex officio nobis iniuncto compellimur, vt quos per iter deuium errando currere, & plures in præcipitium ſecum trahere perſpicimus, ac in diſperſione multarum gentium ambulare, reuocemus a deuio, & vt in viam veritatis & iuſtitiæ greſſus ſuos dirigant, prouidere per opportuna remedia ſtudeamus. Fraternitati veſtræ per apoſtolica ſcripta committimus, & diſtricte præcipiendo mandamus, quatenus ſinguli veſtrum in ſingulis ciuitatibus veſtris & diœceſibus per vos vel alium ſeu alios, adinuentiones quas vna

*f. contagio

cum ſocietatibus, conuenticulis & congregationibus ac ſtatutis & ordinationibus a ſupradictis, qui ſe, vt præmittitur, flagellatores appellant, temerarie attemptatos, de eorumdem fratrum noſtrorum conſilio perpetuæ prohibitioni ſubiicimus, & tamquam illicita reprobamus, auctoritate noſtra reprobos & illicitos publice nuntietis, ac omnes tam clericos, quam laicos ſæculares & regulares de prædicta ſuperſtitioſa ſecta ſeu ſocietate, quocumque appellentur nomine, exiſtentes, vel eam ſectantes, auctoritate prædicta monere & inducere ſtudeatis, vt ab huiuſmodi obſeruantia, ſecta & vana religione deſiſtere & reſilire procurent, quodque nullus deinceps prædictam ſectam, ſeu conuenticulum præſumat intrare, ac ritus & ſtatuta ſocietatum huiuſmodi obſeruare. Contrarium facientes per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendo, nec non & eos in quos temporalem iuriſdictionem habetis, & pœnas temporales, de quibus expedire videtis, appellatione poſtpoſita compellatis. Sane vt religioſi & alii errorum magiſtri, qui de dogmatizando ſimplices decipiunt, & cæci ducatum cæcis præbentes, ipſos in foueam ſecum trahunt, & ſi non diuino amore, ſaltem humana confuſione a tam iniquo propoſito reuocentur, omnes & ſingulos cuiuſcumque ſint ordinis, religionis, dignitatis, præeminentiæ ſiue ſtatus, quos in prædictis nobis conſtiterit deliquiſſe, capi, non obſtante quocumque priuilegio vel indulto, quid in hoc eis ſuffragari volumus, faciatis, & tam diu captos detineatis, donec aliud a nobis receperitis in mandatis. Inuocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſæcularis. Per prædicta tamen nequaquam intendimus prohibere, quin Chriſti fideles impoſitam ſibi canonice pœnitentiam, vel eam non impoſitam, dummodo recta intentione & pura deuotione ad illam peragendam procedãt, in ſuis hoſpitiis vel alibi abſque ſuperſtitionibus, congregationibus, ſocietatibus & conuenticulis ſupradictis poſſint facere, & ſe in bonis operibus exercendo, virtutum Domino, prout inſpirauerit, in humilitatis ſpiritu deſeruire. Ceterum quia patentes literæ nequeunt ſingulis veſtrum propter viarum diſcrimina commode portari, volumus quod per te, frater archiepiſcope, earum tranſcriptum publica manu ſcriptum & tuo commu-

nitum sigillo vobis suffraganeis transmittatis cui adhiberi volumus plenam fidem. Datum Auinione 13. Kalendas Nouembris pontificatus nostri anno octauo.

ANNO CHRISTI 1347.

CONCILIVM TOLETANVM

AVCTORITATE ÆGIDII ARCHIEPISCOPI

Toletani celebratum anno Domini MCCCXLVII. tempore Clementis papæ VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De vita & honestate clericorum.*
II. *De immunitate ecclesiarum.*
III. *De pœnitẽtiis & remissionibus.*
IV. *De simonia.*

CAPITVLA.

Aegidius miseratione diuina archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum primas & regni Castellæ cancellarius, ad perpetuam rei memoriam.

I.

AD reformandam in prælatis honestatem, ne aduersus eos qui vni Domino famulantur, ex aliqua dissimilitudine præbeatur occasio obloquendi: attendentes quod recolendæ memoriæ dominus frater Guillermus episcopus Sabinensis, in his partibus tunc apostolicæ sedis legatus, in constitutione quæ incipit, *Quamuis honestas morum*, inter cetera prouide statuit, quod episcopi & superiores prælati, cum eos equitare contigerit, cappellos suæ dignitati deferant congruentes. Nos cupientes suffraganeos nostros similitudine decenti & debita, vt in ecclesia vnum ouile & etiam vnus pastor valeat apparere, in qua flores honoris & honestatis fructus in vbertate succrescant, sacro approbante Concilio statuimus, cum nos episcopi suffraganei nostri cum cappellos detulerimus rotun- Locus corruptus.

dos & in ſuperiori parte laneos, nullatenus ſericos, cum nigra & non alterius coloris fodratura portemus. Qui vero ſecus facere præſumpſerit, tamquam inobediens & inhoneſte incedens, mille marabetinorum vſualis monetæ ſummam eo ipſo ſoluere teneatur, quorum tertia pars fabricæ eccleſiæ ſuæ, alia pars denuntiatori, reliqua vero pars redemptioni captiuorum irremiſſibiliter applicetur. ANNO CHRISTI 1347.

II.

Ceterum quorumdam habet fida relatio, quod nonnullæ eccleſiaſticæ perſonæ ad obſeruandam ceſſationem diuinorum officiorum iuxta conſtitutionem præfati domini legati, quæ incipit, *Quia cæleſtis*, nimis promptæ, ſi aliquis exceſſus contra ipſam conſtitutionem perpetratus dicatur, ceſſant & ceſſare faciunt illico a diuinis: Nos ſalubri meditatione conſiderantes quod huiuſmodi ceſſationis tempore diuina organa ſuſpenduntur, & eccleſiaſtica ſacramenta non vt ſolent miniſtrantur, fidelium deperit deuotio, & multiplicantur pericula animarum, eodem approbante Concilio ſtatuimus, quod ſi quis perſonas eccleſiaſticas lædere, aut capere, aut aliqua alia in prædicta conſtitutione contenta attentare præſumpſerit, ad ceſſationem & alias pœnas in dicta conſtitutione contentas, niſi prius citato malefactore, ſi inueniri & tute citari poſſit, alias in cathedrali vel parochiali eccleſia malefactoris eccleſiaſtica citatrice publicata, eius defenſionibus, ſi quas legitimas habuerit, auditis, ſi idem malefactor diffiteatur ſe in dictam

ANNO CHRISTI 1347. constitutionem incidisse, aut comparere noluerit, & summaria cognitione præmissa culpabilis fuerit inuentus, nullatenus procedatur, nisi adeo sit excessus notorius, quod nulla possit tergiuersatione celari.

Rursus in prouinciali institutione per bonæ memoriæ dominum Eximinum archiepiscopum Toletanum prædecessorem nostrum, quæ incipit, *Diuinis exemplis*, inter alia cautum esse nouimus, quod raptores, inuasores, vastatores & deprædatores bonorum ecclesiarum, vel clericorum, aut vassallorum ecclesiæ, qui bona prædicta ex proposito nocendi cum armis occupauerint vel rapuerint, seu inuaserint violenter, aut ceperint vassallos ecclesiæ, excommunicationem incurrant. Quia vero statutum ipsum propter malitiam temporis tunc instantis rationabiliter editum, nonnullis nimis rigorosum videtur; nos huiusmodi rigorem quoad præmissos casus mansuetudine temperantes, eodem approbante Concilio statuimus, quod si præmissa vel aliquid præmissorum quisquam commiserit, requisitus per iudicem ecclesiasticum, si inueniri & requiri possit; alias requisitione in cathedrali vel parochiali ecclesia ipsius malefactoris publicata, infra quindecim dies a tempore prædictæ requisitionis inantea numerandos, captum a captione liberare, & de illatis damnis emendam competentem facere contempserit, eo casu & non aliter excommunicationis sententiæ se nouerit subiacere, vt sic eius insolentia reprimatur, aliis in dicta constitutione contentis in suo robore duraturis.

ANNO CHRISTI 1347.

III.

Sane de quæſtoribus eleemoſynarum, quorum quidam mentiendo alios ſeducunt, & eleemoſynas fallace ingenio extorquent, ſtatuimus hoc edicto, quod epiſcopi ſuffraganei noſtri, vel ſede vacante, vicarii per capitulum deputati nullum quæſtorem de extra epiſcopatum ſuum, niſi literas apoſtolicas aut noſtras exhibuerit, quomodolibet admittant: mandãtes quod cum quæſtores pro fabrica ſuarum cathedralium eccleſiarum, vel pro aliis piis operibus ſuorum epiſcopatuum receperunt, conſtitutionem felicis recordationis domini Clementis papæ V. quæ incipit, *Abuſionibus*, in Concilio Viennenſi contra quæſtores huiuſmodi editam, in omnibus faciant inuiolabiliter obſeruari. Contrarium vero facientes duorum millium marabetinorum vſualis monetæ pœnam incurrant: quorum tertiam partem fabricæ eccleſiæ cathedralis, aliam denuntiatori, reliquam vero partem redemptioni captiuorum applicamus.

IV.

Verum quia plerumque in exactione emolumenti ſigilli nonnulli metas rationis excedunt, & tam pro licentia quo ad ſtudia literarum, ſeu qua animarum cura ad tempus committitur, quam pro litera dimiſſoria, qua cuique ſe ad alias partes tranſferendi licentia conceditur, quantitates indebitæ extorquentur: Nos eorum inſatiabilem voraginem compeſcere cupientes, ſtatuimus eodem Concilio approbante, vt pro qualibet prædictarum literarum poſſint ſex marabetini & duo denarii pro

ANNO CHRISTI 1347. cancellaria, & vnus marabetinus pro regesto, & non amplius recipi vllo modo. Qui vero contrarium fecerit, mille marabetinorum pœnam incurrat, diuidendam & ampliandam, vt superius est præmissum.

Datum apud Alcalam Toletanæ diœcesis, die vigesima quarta mensis Aprilis, qua die dictum Concilium extitit terminatum, sub anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo septimo, sub sigilli nostri impressione in testimonium præmissorum, præsentibus venerabilibus in Christo fratribus nostris Blasio Dei gratia Palentinensi, & Garsia Conchensi, & Ioanne Giennensi, episcopis suffraganeis nostris, & capituli Toletani & aliorum suffraganeorum nostrorum & capitulorum ipsorum procuratoribus, qui præmissis omnibus & singulis suum præstiterunt consilium pariter & assensum.

ANNO CHRISTI 1352.

VITA INNOCENTII PAPÆ VI.

INNOCENTIVS VI. ait Trithemius, natione Lemouicensis, vir bonus & amator religiosorum, & canonista maximus, qui Carolum imperatorem postea coronauit, successit Clementi decimosexto Kalendas Decembris anni 1352. tempore Caroli IV. imperatoris, Stephanus antea vocatus, ex episcopo Claromontano & cardinali pontificatum adeptus, multas reformationes per prædecessores suos illatas abrogauit. Prælatis & beneficiatis, vt in suis locis residerent, iniunxit: impensas aulæ suæ familiamque imminuit. Domi suæ non alios viros quam peritissimos alere voluit, idemque cardinalibus vt facerent præcepit. Palatii auditoribus stipendia constituit, ne se præmiis corrumpi paterentur. In Italiam misit Ægidium Hispanum cardinalem, qui rebus Italicis sua præsentia magnum adiumentum attulit. Interea temporis quo Franciscus Baroncellus senatoriam dignitatem Romæ sibi vsurpauerat, pontifex Nicolaum Rentii e carceribus eductum libertate donauit, vt altero alteri opposito, inter se

contenderent, donec ſibiipſis perniciem atque interitum inferrent. Tumultibus autem & diſſenſionibus inualeſcentibus, regem Cypri ſenatorem a ſe factum eodem miſit, vt quoſdam qui ſe reipublicæ reformatores vocitabant, opprimeret. Cum vero pacem inter Gallos & Anglos omnibus neruis in vanum componere ſtuderet, mortem oppetiit pridie Idus Septembris, anno 1362. cum ſediſſet annis nouem, menſibus octo, diebus ſex. Vir fuit iuris ciuilis & canonici peritiſſimus, ſinceræ vitæ & magnæ conſtantiæ: beneficia nullis niſi ſufficienter doctis contulit. Huius temporibus, inquit Siluius, Ioannes Vviclefus hæreſiarcha, quia non potuit conſequi epiſcopatum Vigornienſem, in Anglia ſua dogmata euomere cœpit, & compoſuit pluſquam ducenta volumina librorum, quibus præter ſuos, Marcionis & Manichæorum errores immiſcebat.

CONCILIVM TOLETANVM

ANNO CHRISTI 1355.

AVCTORITATE BLASII ARCHIEPISCOPI

celebratum anno Domini MCCCLV.
tempore Innocentii papæ VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *Quod tranſgreſſiones conſtitutionum prouincialium non ad culpam, ſed ad pœnam tantum obligent tranſgreſſores.*

II. *De conſtitutionibus Ioannis legati apoſtolicæ ſedis.*

PRÆFATIO.

PATEAT vniuerſis, quod nos Blaſius miſeratione diuina archiepiſcopus Toletanus, Hiſpaniarum primas ac regni Caſtellæ cancellarius, in Concilio per nos apud Toletum die prima menſis Octobris, anno Domini mileſimo trecenteſimo quinquageſimo quinto celebrato, qua prædictum Concilium extitit terminatum, procuratoribus & vicariis epiſcoporum ſuffraganeorum noſtrorum ac capitulorum eccleſiarum cathedralium noſtræ prouinciæ qui voluerunt & potuerunt commode intereſſe, congregatis, pro animarum noſtrorũ ſubditorum ſalute ſacro approbante Concilio cõſtitutiones edimus ſubſequentes.

CAPI-

ANNO CHRISTI 1355.

CAPITVLA.

I.

Ne onerentur culpæ pondere ex tranſgreſſione conſtitutionum prouincialium Chriſti fideles, quibus diuina pietas iugo ſuaui & oneri leuiori ſupponere miſericorditer eſt dignata, ſacro approbante Concilio ordinamus, quod conſtitutiones prouinciales prædeceſſorum noſtrorum, & quæ in futurum condentur, niſi aliter in condendis expreſſe fuerit ordinatum, non ad culpam, ſed ad pœnam tantum earumdem obligent tranſgreſſores.

II.

Quia in proœmio conſtitutionum prouincialium editarum per bonæ memoriæ dominum Ioannem prædeceſſorem noſtrum, continentur hæc verba: [*Præcipimus conſtitutiones per dominum legatum editas in Concilio per eum apud Vallemoleti celebrato, cum infraſcriptis per nos in præſenti Concilio editis obſeruari.*] aliquibus graue periculum videatur, quod tranſgreſſores conſtitutionum domini cardinalis legati prædicti, quæ præceptum non continent, eos ad culpam obligent ex vi præcepti quod in dicto proœmio continetur; & quia ex eo quod aliqui aſſerunt, quod eædem conſtitutiones domini legati non ligent, pro eo quod non fuerunt publicatæ integraliter modo & forma in proœmio earumdem traditis & contentis: nos ſacro approbante Concilio ſtatuimus & declaramus, quatenus vigore præcepti huiuſmodi ad obſeruantiam dictarum conſtitutionum præcepta domini cardinalis legati nos & ſubditos noſtros non obligent, niſi in eo caſu

modis & forma, quibus nos & eos dicti domini legati constitutiones statuerunt obligari. ANNO CHRISTI 1355.

In cuius rei testimonium præsentes literas per infrascriptum notarium publicum in formam publicam redigi, ac nostri sigilli appensione mandauimus communiri. Datum loco, die, mense & anno prædictis, præsentibus venerabilibus & discretis viris Hugone de la Manhama legum doctore de Maiorito, ac Didaco Gonsalui de Talauera, archidiaconis, ac Ioanne Alphonso de Villa regali canonico ecclesiæ Toletanæ, testibus ad præmissa vocatis.

Et ego Alphonsus Fernandi publicus auctoritate archiepiscopali in ciuitate & diœcesi & prouincia Toletana notarius, prædictarum constitutionum editioni, publicationi, ratificationi, ac omnibus & singulis supradictis vna cum prænominatis testibus præsens interfui, & in præsentibus literis meum solitum signum apposui rogatus in testimonium veritatis.

VITA VRBANI PAPÆ V.

ANNO CHRISTI 1362.

VRBANVS quintus patria Lemouicensis, antea Guillelmus Grisant appellatus, ex abbate sancti Victoris Massiliensis ad summum ecclesiæ fastigium euectus est quinto Kalendas Octobris, anno Christi 1362. sub imperio Caroli IV. imperatoris, eo scilicet tempore, quo apud vicecomites legatione fungebatur. Auenionem profectus sua singulari animi magnitudine qua præditus erat, cardinalem Ægidium (de quo supra) in Italiam misit, vt libertatem ecclesiasticam tueretur. Eodem etiam ipse pontificatus sui anno quarto se contulit, vt controuersias ibidem exortas sedaret & componeret. Quibus sopitis, cum pia vrbis loca visitaret, sanctorum Petri & Pauli capita in loco satis vili reperit: quæ auro argentoque circumdari & exornari procurauit, solennique pompa in Laterano reposuit. Oruieti & in Monteflascone palatia cultissima extruxit, quod ea loca propter aeris temperiem sibi posterisque suis conuenientissima essent. Mor-

tuo Ægidio cardinale, Ioannem Haucut ducem bellicosissimum militiæ ecclesiasticæ præfecit. His peractis, in Gallias se recepit, vbi vir iuxta chronicum Hirsaugiense doctus & sanctissimæ conuersationis, qui crucem prædicari fecit contra Turcas, & multa bona patrauit, post octauum annum & mensem secundum administrati pontificatus, decimoquarto Kalendas Ianuarii, anno 1370. diem clausit extremum, eo tempore quo Brigitta mulier deuotissima causa reddendi voti Romam venerat.

ANNO CHRISTI 1370.

VITA GREGORII PAPÆ XI.

GREGORIVS vndecimus natione Lemouicensis, antea Petrus Bellifortis vocatus, decimo septimo ætatis suæ anno cardinalis per Clementem sextum patruum suum creatus, virtutum merito omnium consensu supremum ecclesiæ gradum conscendit tertio Kalendas Ianuarii, anno Domini 1370. tempore Caroli IV. imperatoris. Hic cum totam Italiam tumultibus occupatam videret, eo cardinalem Gebennensem cum sex millibus leuis armaturæ equitum Britonum misit. Quorum aduentu cum nihil a tumultuatione recederetur, ipse pontifex confirmato animo, viginti & vnam triremes super Rhodano præparari imperauit, alioque properare se fingens, primo Genuam, inde Cornetum, ac postremo itinere terrestri Idibus Ianuarii Romam peruenit, anno 1376. qui erat a translatione curiæ Romanæ in Gallias per Clementem facta annus septuagesimus. Huius transmigrationis causam alii aliam referunt. Platina scribit, quod quidam episcopus familiariter a pontifice reprehensus ob id quod in episcopali sede non resideret, infracto & constanti animo responderit: Et tu qui vniuersalis ecclesiæ omniumque episcoporum caput es, cur ad propriam ecclesiam non redis? eaque responsione motum pontificem reditum maturasse. Gobelinus cap. 73. sextæ ætatis, instinctu & reuelatione Dei, quæ sanctæ Brigittæ tunc adhuc Romæ degenti aliquoties obtigerat, perque Alphonsum quemdam eremitam illi secundo insinuata

erat, accidisse quod Auenione Romam redierit. Vrbem ingressus, incredibili omnium applausu exceptus, præpropere mœnia vrbis, ecclesias, aliaque loca quæ ruinam minabantur, reparauit. Omnibus autem modis Italiæ quieti & bono publico consulens, legatum ad Florentinos destinauit, qui eos ad pacem ineundam adhortaretur: quibus iussa exequi negligentibus excommunicationis medelam inflixit. Adhæc, cum eosdem armis ad id adigere meditaretur, inter Genuenses & Venetos noua dissensio suboritur: quos dum ad vnionem reducere tentat, incredibili vesicæ conflictatione impeditus est, ac quinto Kalendas Aprilis anno supra millesimum trecentesimum septuagesimo octauo, magno sui omnibus ingenerato desiderio, obiit, ac in sancta Maria via noua sepultus est, cum sedisset annos septem, menses duos, dies viginti nouem.

VITA VRBANI PAPÆ VI.

Anno Christi 1378.

VRBANVS VI. patria Neapolitanus, patre Pisano & matre Neapolitana genitus, vir humilis, inquit Theodoricus, & deuotus, zelator castitatis & iustitiæ, sacrorum Canonum doctor peritissimus, ex archiepiscopo Barensi, citra metum Romani populi vel Italum vel Romanum pontificem expetentis, communi omnium cardinalium Romæ degentium suffragio electus est sexto Nonas Apriles, anno Domini 1378. tempore Caroli IV. & Vvenceslai imperatorum. Cardinales conclaue egressi omnes iurato deposuerunt, se nullo metu populi obstante eum libere creasse pontificem, quem tanto munere dignissimum omnes diiudicarent. Memorabile est quod de hoc pontifice refert Theodoricus libro 1. capite 1. his verbis: Hic ante ipsius papatum per multos annos me existente cum ipso singulis noctibus, postquam ad cubile suum causa quiescendi ascenderat, coram se in bibliis quo vsque dormiret legi faciebat; & raro vel nunquam tempus aliquod vigilando otiose consumpsit, sed aut studebat, vt prædixi, seu commissa sibi exercebat officia, vel orabat:

& nisi atratus quodammodo per plateas nullatenus incedebat, & incedendo duabus bestiis contentus erat, vna mula scilicet super qua ipse, & vno equo super quo eius familiaris ipsum associans, equitabant: etiam induebatur cilicio diurno tempore & nocturno, in quo dormiens indutus fuit desuper tunica alba talari de mediocri panno laneo: ac multum erat patiens tunc temporis in aduersis, compatiens etiam ieiunia per ecclesiam indicta tunc sanctissime obseruabat, nec non per aduentum Domini & per sexagesimam annis singulis ieiunabat, & ieiunantes similiter, nec non bonos religiosos satis amabat. Hæc de Vrbano Theodoricus. Initio pontificatus mores cardinalium quorumdam debito pietatis zelo reprehendit. Quam correctionem dum illi non æquo satis animo sustinerent, Roma Anagniam profecti, schismaticum & pseudopontificem, quem Clementem septimum nominarunt, contra eum elegerunt, eaque occasione pernicioſissimum schisma, quod non nisi post 36. annos tempore Constantiensis Concilii tolli potuit, exsuscitarunt. Galli & Hispani antipapæ Clementi, Itali vero aliique plures Vrbano pontifici vero & legitimo adhæserunt. Cumque Ioanna regina Siciliæ schismatici partes foueret, Vrbanus pontifex eam iniuriam vlturus, Carolum qui sub vexillis regis Hungariæ militabat, aduocauit, eumque regem Neapolitanum ad exclusionem Ioannæ declarauit. Quo facto, Neapolim perrexit, & a rege postulauit vt nepotem suum Capuanum principem crearet. Passus repulsam, Nuceriam se transfert, ibidemque cardinalibus nouis declaratis, septem ex prioribus in vincula coniecit, ideo quod in necem pontificis coniurassent. Post ipsum regem, adhibitis quibusdam iuris solennitatibus, dignitate regia priuauit. Commotus rex Carolus, conscripto milite eum Nuceriæ obsedit. Verum per Raimundum comitis Nolani filium, qui cum exercitu superuenit, periculo liberatus est. His peractis, Genuam pertransiens, de cardinalibus supra commemoratis dignum vitæ supplicium sumpsit: quo genere mortis, non satis constat. Anno vero expleto, in Etruriam profectus, plurima loca quæ ab ecclesiæ obedientia defecerant, eidem restituit. Carolo defuncto, Neapolim proficisci me-

ditatus est ea intentione, vt filios eius regno exturbaret: sed res vt proposuerat non successit, proinde re infecta Romam rediit, ibique post morbum 28. dierum obiit mense Octobri, anno Domini 1399. cum sedisset annis 11. & mensibus 4. In sancto Petro sepultus est.

EPISTOLA I.

VRBANI PAPÆ VI.

AD ARCHIEPISCOPVM COLONIENSEM EIVSQVE SVFFRAGANEOS.

Denuntiat Clementem antipapam, eiusque electores cardinales a se excommunicatos, esse vitandos.

Vrbanus episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopo Colonienſi eiusque suffraganeis salutem & apostolicam benedictionem.

NVPER cum vinea Domini sabaoth, sancta videlicet Romana ecclesia ventrem doleret, & amaricatis visceribus grauia emittere suspiria cogeretur ex eo, quia filios vteri sui, quos enutriuerat, & de infimis ad culmina dignitatum extulerat, videlicet iniquitatis & perditionis alumnos, Robertum olim basilicæ duodecim apostolorum vulgariter dictum Gebennensem, Ioannem olim tituli sancti Marcelli vulgariter dictum Ambianensem, Geraldum olim tituli sancti Clementis vulgariter dictum, maioris monasterii presbyteros, & Petrum olim sancti Eustachii diaconum, cardinales, conspiciebat matris vbera spernere, & a rectitudinis tramite deuiare, & non solum leges & monita materna despicere, sed eorum matris vterum, quantum in eis erat, viperinis morsibus* amatibus laniare, & quod ipsi inconsutilem Domini tunicam scindere satagentes, scandalorum & schismatum seminaria præparabant, ac famæ suæ* præligi & honoris proprii persecutores effecti, non tantum seipsos nexibus peccatorum inuoluere, sed in reprobum sensum ducti, alios secum ad præcipitium trahere conabantur. Nos qui diuina disponente clementia prædictæ vineæ solicitudinem & curam gerebamus, prout gerimus, aduersus huiusmodi prætergredientes veritatis & fidei rectæ semitam, & præuarica-

*f. prodigi

tionem addentes, vt eamdem vineam demoliri, in virtute Altiſſimi de fratrũ noſtrorum conſilio decreuimus exurgendum, & contra ipſos & nonnullos alios eis adhærentes ac fauentes inferius nominatos per infraſcriptum modum mediante iuſtitia duximus procedendum. Siquidem cum prædicti nequam viri neſcientes in ſemitis iuſtitiæ dirigere greſſus ſuos, & timorem Dei præ oculis non habentes, contra conſpirationes, colligationes & machinationes diuerſas facere, & in eccleſia Dei ſchiſma & diuiſionem ponere, ac ciuitatem noſtram Anagnienſem & caſtrum ſancti Angeli de vrbe, & nonnulla alia caſtra, terras & loca nobis & dictæ eccleſiæ ſubiecta occupare & occupari facere, ſeu illorum occupationibus auxilium, conſilium & fauorem præbere præſumpſiſſent & præſumerent, & inſuper, vt dictam ciuitatem & alias terras prouinciæ noſtræ Campaniæ facilius occupare, & occupata detinere, & alios ad conſentiendum eorum iniquis voluntatibus & operibus violenter attrahere poſſent, magnam multitudinem gentium armigerorum qui Britones & Vaſcones nuncupantur, ad dictas ciuitatem & prouinciam venire feciſſent, & exinde quamplurima homicidia, ſacrilegia, rapinæ, depopulationes, & alia mala ac damna & ſcelera fuiſſent ſubſecuta: Nos qui ſalutem zelabamur illorum, ſperantes illos ad cor reuerſuros, & viam iuſtitiæ repetituros, eos per venerabilem fratrem Petrum epiſcopum Portuenſem, & dilectos filios noſtros Simonem &c. tales cardinales, pluries per diuerſos alios probos prælatos ac magnæ auctoritatis viros, ac etiam per literas noſtras iteratis vicibus, vt ad viam veritatis & iuſtitiæ redire, & ab huiuſmodi erroribus reſipiſcere vellent, duximus exhortandos ac etiam requirendos. Sed præfati nequam viri in ſua pertinacia & ſuperbia obſtinati, poſt monitiones & exhortationes huiuſmodi, contra nos antea in vrbe per ipſos & alios, ad quos ſpectabat, in papam electos, ac debitis & conſuetis ſolennitatibus obſeruatis inthronizatos & publice coronatos (quibuſcum tamquam cum papa & ſummo pontifice in Miſſarum ſolenniis & conſiſtoriis publicis ac priuatis, cõſulendo & ordinando de ſtatu Romanæ eccleſiæ ac reipublicæ, recipiendo a nobis eccleſiaſtica ſacramenta, ac dignitates & beneficia eccleſiaſtica pro ſe & aliis a nobis impe-

trando, per plures menſes tractauerunt) diuerſos libellos diffamatorios fecerunt, & ad diuerſos prælatos & principes mundi tranſmiſerunt, & tandem in profundū deſcendentes malorum, & cupientes ſanctæ matris eccleſiæ ſcindere vnitatem, in ciuitate Fundanenſi cum quibuſdam aliis, quos cum machinationibus & diabolicis ſuggeſtionibus ad eorum impium propoſitum attraxerunt, congregati in domo iniquitatis filii Honorati Gaitani olim comitis ciuitatis Fundorum, cum ipſius Honorati auxilio & fauore præfatum Robertū temere eligendo antipapam fecerunt, ipſumque auſu ſacrilego papam nominare præſumebant & præſumunt, ipſeque Robertus ſe papam nominare auſu temerario non paueſcebat, nec paueſcit. Præterea cum etiam iniquitatis alumnus Petrus olim archiepiſcopus Arelatenſis & camerarius noſter, dudum diabolico ſpiritu inſtigatus, de vrbe prædicta vbi nobiſcum erat, ſine licentia quaſi furtiue receſſiſſet, & de camera noſtra quamplurima iocalia & alias res & bona magni valoris & precioſa, ad nos & ad Romanam eccleſiam pertinentia, ſecum aſportaſſet, ad dictam ciuitatem Anagnienſem ſe conferens cum præfatis ſceleratis viris Roberto, Ioanne, Geraldo & Petro olim cardinalibus, diuerſas colligationes & contra nos conſpirationes ordinare & facere, ac ad conducendum dictas gentes armigeras ad dictam ciuitatem Anagnienſem conſilium, & auxilium, & fauorē præbere, & tam ipſe, quam perditionis filii Iacobus olim patriarcha Conſtantinopolitanus, Nicolaus, tales & tales epiſcopi, ac etiā iniquitatis filii Honoratus Gaitanenſis olim comes Fundorum, Antonius olim comes Ciſertanenſis, Franciſcus de vico olim præfectus vrbis, Ioannes de Maleſtrec, & tales ac tales in reprobum ſenſum dati, præfato Roberto antipapæ adhærere & fauere, & eorum linguis tranſeuntibus ſuper terram os in cælum ponere præſumentes, non fuiſſent veriti, nec verentur publice aſſerere, & per alios aſſerere & prædicare nos non eſſe papam & Romanum pontificem, & eorum falſis & confictis mendaciis quamplurima & enormia mala de nobis dicere, & ſe ab vnitate eccleſiæ Romanæ ſeparare, ſchiſma & diuiſionem, quantum in eis erat, in Dei eccleſia ponere. Nos nequeuntes abſque graui offenſa Chriſti & remorſu conſcientiæ

ſcientiæ tot & tantos exceſſus & ſcelera amplius tolerare, aduerſus præfatos ſceleratos viros in virtute Altiſſimi de dictorum fratrum conſilio, vt præmittitur, duximus exſurgendum, & contra ipſos ſuper præmiſſis procedendum, ac eis ad hoc legitime citatis, & aliis debitis ſolennitatibus obſeruatis, per noſtram diffinitiuam ſententiam decreuimus ac declarauimus præfatos Robertum, Ioannem, Geraldum & Petrum olim cardinales, nec non Iacobum olim patriarcham, Petrum &c. tales ac tales laicos fuiſſe * & etiam ſchiſmaticos & apoſtatas, & contra nos conſpiratores & blaſphemos, & tamquam hæreticos puniendos, & reos criminis læſæ maieſtatis, ipſoſque propter præmiſſa fore excommunicatos & anathematizatos, ac in pœnas & ſententias contentas in proceſſibus felicis recordationis Ioannis XXII. & Clementis VI. ſummorum pontificum prædeceſſorum noſtrorum contra occupatores, inuaſores, & turbatores terrarum eccleſiæ Romanæ factis; ac declarauimus dictos Robertum, Ioannem, Geraldum & Petrum olim cardinales, fuiſſe & eſſe depoſitos, & ipſos depoſuimus a cardinalitatibus, commodo, & honore. *Et infra.* Abſolutione ipſorum, præterquam in mortis articulo, Romano pontifici reſeruata. Et inſuper decreuimus, quod quicumque aliquem prædictorum ſcienter præſumerent eccleſiaſticæ ſepulturæ tradere, excommunicationi ſubiaceant, a qua abſolui non poſſint, niſi prius propriis manibus extumularent & procul eiicerent ab eccleſiaſtica ſepultura corpora eorumdem. *Et infra.* Qui vero contra præmiſſa, aut aliquid præmiſſorum facerent, ſeu qui præfatum Robertum, qui ſe Clementē papam nominat, ſcienter papam nominarent, tenerent, crederent, ſeu prædicarent, aut ab eo quaſcumque gratias, indulgentias, priuilegia, aut quæuis beneficia peterent per ſe aut per alium; ſi perſonæ ſingulares, excommunicationis; ſi vero communitas ſeu vniuerſitas fuerit aut foret, interdicti ſententias incurrent eo dicto. A qua quidem excommunicationis ſententia aliquis abſolui, & interdicto huiuſmodi ab alio quam a Romano pontifice relaxari non poſſet. Decreuimus quoque fore abſolutos a debito fidelitatis homagii ſeu ligii, & alterius cuiuſcumque obſequii, omnes & ſingulos qui eiſdem damnatis ſupe-

* *f.* & eſſe ſchiſm.

rius nominatis iuramento, obligatione, promiſſione, vel quacumque firmitate vallato antea fuiſſent aſtricti: alias etiam pœnas eiſdem damnatis infligimus,& a iure inflictas decreuimus in ſuo robore duraturas. *Et infra.* Datum Romæ apud ſanctam Mariam trans Tiberim VIII. Idus Nouembris, pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA II.
VRBANI PAPÆ VI.
AD VNIVERSITATEM PARISIENSEM.

Monet eos vt pergant ſui electionem contra ſchiſmaticos eorumque fautores defendere.

Vrbanus epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, rectoribus, magiſtris, doctoribus, ſcholaribus ac vniuerſitati ſtudii Pariſienſis, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

INTER, imo ſuper ceteras ſtudentium vniuerſitates, in quibus ſcientiarum gemma reſplendet, veſtra Pariſienſis velut quoddam ſidus radiat, & pulſis ignorantiæ ac erroris tenebris, doctrinæ ſuæ lumine circumlucet. Ex ipſa nempe velut ex quodam puriſſimo fonte, ſemper ſani dogmatis riuuli profluxerunt, qui per innumeros alueos pronius diſcurrentes, falſarum opinionum lumen abſterſerunt: huiuſmodi quidem fontis claritatem nulla vnquam quantumuis impetuoſa vis pluuiæ turbidauit. Vos itaque dilectiſſimi filii, qui ex hoc limpidiſſimo fonte dulciſſimas literas auido hauſtu elicitis, congaudemus vobis, & ſanctæ Romanæ congratulamur eccleſiæ, cui talia ligna fructus producentia dulciſſimos ſecus decurſus aquarum in tam ingenuo viridario ſummus parens rex plantauit: cui diu congaudemus, & exultat ſpiritus noſter, quando intra felicia caſtra ſtudii Pariſienſis tot doctiſſimos ac magnanimos veritatis & orthodoxæ fidei pugiles intuemur. Gemat hæreticorum prauitas quantum poteſt,& euacuet contra tam munitiſſima caſtra pharetras ſuas turba ſchiſmatica. Nam ſunt milites alumni noſtri ad reſiſtendum promptiſſimi, veritatis & fidei thorace muniti, habentes bicipitia ſpicula, quibus hoſtium corda penetrentur: habent & faces ardentiſſimas caritatis, quibus illorum ma-

chinæ confundantur: habent & ſcaturientis fontis vndas, quibus eorum faculæ protinus extinguantur; vt nec illud prætereamus, cuius ſola recordatione plurimum conſolamur, quodque nuper cum ingenti gaudio fide dignorum relatione percepimus, quemadmodum vos aduerſus eorumdem hæreticorum atque ſchiſmaticorum aſſertionem ſubdolam contra nos impudice loquentium, nonnullas ſanctas, veras & ſaluberrimas, & quales profeſſionem veſtram decet, in noſtrum, imo memoratæ fidei fauorem, & veritatis defenſionem, ſententias publice tenuiſtis, & contra quoſcumque contrarium profitentes defenſaſtis: pro quibus vniuerſitatem veſtram iteratis in Domino laudibus proſequentes, deuotionem veſtram requirimus & hortamur attentius, ac per aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti, cuius in hac parte res agitur, obſecramus, quatenus cauſam iuſtitiamque noſtram toti mundo notoriam, quam dicti pſeudochriſtiani, veri ſatellites antichriſti, obnubilant, ac ſchiſma pernicioſiſſimum in Dei eccleſia ſuſcitare moliuntur, ſuſcipere, imo iam ſuſceptam velitis defenſare tamquam legitimi certatores; & ne inconſutilis veri Ioſeph tunica lanietur, ſub diuinæ potentia dexteræ vos murum inexpugnabilem opponatis, hoſtiumque multitudinem nullatenus formidetis, ſub ſignis militantes victricibus veritatis, quæ licet quandoque calumniantium fuſcatis argumentorum coloribus impugnetur, vinci tamen non poteſt, & illorum nequit multitudine conculcari. Nihil enim facilius, quam pro veritate bellare: nulli clariores triumphi, nulla pinguiora ſpolia reportantur, quam quæ veritas defenſa pollicetur. Eia ergo athletæ magnanimi & veritatis orthodoxæ fidei deuotiſſimi defenſores, contra illorum impugnatores & hoſtes feliciter inſurgatis, vt proinde præter æternæ mercedis præmia, humanarumque laudum præconia, noſtram & apoſtolicæ ſedis benedictionem & gratiam ac exauditionem in veſtris petitionibus tamquam bene meriti reportetis. Datum Romæ apud ſanctam Mariam trans Tiberim XI. Kalendas Decembris, pontificatus noſtri anno primo.

EPISTOLA III.

VRBANI PAPÆ VI.

AD CAPITVLVM ET CLERVM LEODIENSEM.

Laudat eum, quod Clementem antipapam esse defendat.

Vrbanus episcopus, seruus seruorum Dei, dilectis filiis, capitulo & clero ciuitatis Leodiensis salutem & apostolicam benedictionem.

CVM ineffabili mentis iubilo Altissimo referimus gratias quas nostra potest infirmitas, ex eo quod, sicut a fide dignis accepimus, largitor omnium bonorum Deus mentium vestrarum oculos illustrauit, vt declinatis laqueis, quos per mundum, pro dolor, antichristus quasi vndique iecit, per veritatis tramitem ambuletis. Pro quo prudentiam vestram dignis in Domino laudibus attollentes, deuotionem vestram rogamus per viscera misericordiæ Iesu Christi, quatenus speciem fortitudinis assumentes, literas, monita, vel mandata illius hæresiarchæ, Roberti videlicet, olim basilicæ duodecim apostolorum presbyteri cardinalis, qui Clementem papam VII. ausu temerario nominari se fecit, excelsis & intrepidis animis respuatis, eiusque virulentis & pestilentissimis suggestionibus, quibus, sicut intelleximus, impressionem tumultumq; popularem fuisse in canonica electione nostra mendose prætendit, nullatenus intendatis. Quinimo tantum orthodoxæ fidei feruidi zelatores præfatum hæresiarcham, eiusque sectatores qui zizaniam in agro dominico & cuncto populo Christiano serere non paueſcunt, eorumque legatos & nuntios, quacumque dignitate præfulgeant, capere seu capi facere, ac alias persequi toto mentis desiderio iuxta vestrarum virium suppetentiam studeatis: proinde præter nostram & apostolicæ sedis gratiam, & humanæ laudis præconia, & æternæ vitæ præmia merituri. Deo etenim gratias, quod aduersariorum nostrorum, qui aduersus nos velut testes iniqui insurrexerunt, & in quibus mentita est iniquitas, malitia manifestissime detecta est, ac nostra innocentia nostraque iustitia adeo notoria cunctis patet, quod nulla potest tergiuersatione fuscari.

Teſtis nobis ille eſt qui nihil ignorat, quod ſi ſenſiſſemus nos per oſtium non intraſſe, per horæ ſpatium non fuiſſemus auſi in Petri cathedra reſidere. Sed quia, ſicut eſt toti mundo notorium, & non malitia hoſtium noſtrorum, imo Chriſti, mentis eorum oculos obcæcaſſet, ipſum hoc etiam faterentur, prout alias ore & literis confeſſi ſunt, per euidentia facta, manifeſtaque ſigna notiſſimum iam fecerunt, quod per viam ſancti Spiritus ad ſuſtinendum vniuerſalis eccleſiæ onera noſtram imbecillitatem Dominus elegerat. Ideoque depoſita formidine, fortitudinis thoracem induentes, decreuimus pro defenſione veritatis & fidei catholicæ, ſponſæque noſtræ, quibuſcumque periculis & perſecutionibus obiicere corpus noſtrum, in illo qui in ſe ſperantes non deſerit, confidentes quod eccleſiam ſuam nunquam derelinquet, ſicut nec aliquando dereliquit, licet eam quandoque permittat perſecutionum fluctibus agitari. Iam etenim procellulæ quæ ſuper cacumina montium ſe videbantur extollere, incipiunt quietari. Nam poſt nobis nuper miſſam de cælo victoriam, qua Britones & Vaſcones aliique ſtipendiarii & præfati hæreſiarchæ ſequaces conflicti fuerunt, poſt quam deditionem caſtri ſancti Angeli de vrbe eadem die non ſine miraculo ſecutam, dicti filii Neapolitani zelo deuotionis accenſi, prædictum hæreſiarcham antipapam & catholicæ fidei ſubuerſorem de ciuitate Neapolitanenſi, in qua ſperabat in peſtilentiæ cathedra reſidere, cum magno opprobrio fugauerunt. Ioanna quoque olim regina Siciliæ, quæ ab illis peſtilentiſſimis viris ſeducta, per erroris tramitem ambulabat, abiurato errore huiuſmodi, nos credit & tenet verum Ieſu Chriſti vicarium & cæleſtis clauigeri ſucceſſorem: de die autem in diem eiuſdem Ioannæ ſolennes nuntios expectamus. Die quoque tertia præſentis menſis Iordanis de Vrſinis de Mareno, qui nos & dilectos filios populum Romanum cum auxilio ſequacium antichriſti multipliciter moleſtabat, illo faciente, in cuius ditione cuncta ſunt poſita, in ſpiritu humilitatis rediit ad obedientiam noſtram & eccleſiæ prælibatæ. Super iis autem vobis latius explicandis, dilectis filiis Ioanni de Dunghem & Ioanni Leonis, magiſtris in artibus & vtroque iure peritis, harum latoribus

velitis fidem indubiam adhibere. Datum Romæ apud sanctum Petrum secundo Idus Iunii, pontificatus nostri anno secundo.

CONCILIVM SALTZBVRGENSE

ANNO CHRISTI 1386.

IN CAVSA DISCIPLINÆ ECCLESIASTICÆ tempore Pilgrini archiepiscopi celebratum, anno Domini MCCCLXXXVI. sub Vrbano papa VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De modo dicendi horas canonicas.*
II. *De absolutionibus impendendis.*
III. *De abutentibus indulgentiis a superioribus super absolutionibus concessis.*
IV. *De modo absolutionis impendendæ in casibus dubitabilibus.*
V. *De habitu clericorum.*
VI. *De eodem, & differentia habitus maiorum ab inferioribus.*
VII. *De munda conseruatione rerum & vasorum diuino cultui deputatorum.*
VIII. *Ne mendicantes admittantur sine diœcesanorum licentia & testimonio literarum.*
IX. *De immunitate clericorum, & eorum rerum, ab impositionibus sæcularium dominorum.*
X. *Contra vilipendentes sententias excommunicationis.*
XI. *De publicatione constitutionis Bonifacii VIII. contra recipientes pædagia a clericis.*
XII. *De occupatoribus beneficiorum & eorum bonorum.*
XIII. *De vsurariis & eorum pœnis.*
XIV. *Ne clerici conueniantur coram sæcularibus iudicibus.*
XV. *Ne ignoti presbyteri admittantur ad diuina.*
XVI. *De notariis publicis.*
XVII. *Vt episcopi, prælati & rectores habeant quæstiones sigillatim.*

HÆC SVNT INSTITVTA DOMINI Pilgrini archiepiscopi Saltzburgensis, apostolicæ sedis legati, publicata in prouinciali Concilio Saltzburgensi, anno Domini MCCCLXXXVI.

PRÆFATIO.

AD laudem & honorem ac gloriam nominis Dei, ac salutem dominici gregis nobis commissi: Nos Pilgrinus Dei gratia archiepiscopus Saltzburgensis ecclesiæ, apostolicæ sedis legatus, Ioannes Gurzensis, Fridericus Chiemensis, & Ioannes Secouiensis, ecclesiarum episcopi,

ANNO CHRISTI 1386. vna cum aliis venerabilibus patribus ac procuratoribus ſuis, ac coepiſcoporum noſtrorum, & quorumdam aliorum prælatorum præſentium nobiſcum in hoc ſacro prouinciali Concilio reſidentibus, ad correctionem exceſſuum & reformationem morum diligenti ac matura deliberatione præhabita, infraſcriptas conſtitutiones edidimus ſalubres & vtiles, iure fundatas, æquitati conſonas, & per quas ſubditorum ſeruatur honeſtas: quas per locorum ordinarios prælatos, archidiaconos & alios eccleſiarum rectores per totam noſtram prouinciam publicari, & ſub pœnis in eis contentis præcepimus inuiolabiliter obſeruari.

CAPITVLA.

I.

Quia, vt accepimus, clerici diuerſi diuerſimode in horis canonicis & diuinis officiis diuerſum pſallendi tenent modum contra canonica inſtituta: volentes igitur huic morbo remedium apponere opportunum, diſtricte præcipimus, vt ab omnibus & ſingulis clericis ſæcularibus in pſallendo idem modus & ordo in diuinis officiis & horis canonicis obſeruetur, ita quod vnuſquiſque in hoc ſuæ cathedrali eccleſiæ, ſiue fuerit regularis, ſiue ſæcularis, rationabiliter ſe conformet. Si quis huius conſtitutionis tranſgreſſor extiterit, per loci ordinarium, vel archidiaconum, canonica monitione præmiſſa, ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendatur. Religioſos vero in ſuis rationabilibus obſeruantiis volumus remanere.

II.

Sanctione præſenti ſub interminatione maledictionis æternæ diſtricte prohibemus, ne aliqui maiori excommunicatione nodatos, aut ſuſpenſos,

vel in homicidio, furto, ſacrilegio, falſo teſtimonio, periurio, inceſtu, inſtrumentorum & literarum falſitate, & aliis caſibus ſedi apoſtolicæ, vel nobis ſpecialiter, vel noſtris ſuffraganeis, aut aliis competentibus iudicibus reſeruatis, quacumque præſumant abſoluere, vel vota commutare. Quod ſi quis fecerit, ab officio ſuſpendatur, donec pro ſuperiorum arbitrio ſatisfaciat competenter. ANNO CHRISTI 1386.

III.

Cum interdum tam a ſede apoſtolica, quam ex ſpeciali indulto, pleriſque gratioſe concedatur, vt in caſibus ſuperioribus reſeruatis cum ſibi ſubditis diſpenſare, ac eos abſoluere, eiſque pro modo culpæ pœnitentiam iniungere valeant competentem.

Verum, quia nonnulli indulto huiuſmodi abutentes, pœnitentias huiuſmodi in pecuniarum proprium & burſalem quæſtum vertunt: Nos igitur attendentes, quod priuilegium meretur amittere, qui conceſſa ſibi abutitur poteſtate, decernimus, huiuſmodi indulgentias a nobis conceſſas vel in poſterum concedendas, poſt huiuſmodi abuſum eſſe nullas, vacuas & inanes: declarantes etiam abſolutiones, quas tales abutentes impenderint, ſimiliter fore nullas. Abutentes quoque eo ipſo ſuſpendimus a diuinis, donec pro qualitate culpæ abſolutionis beneficium a ſuis ſuperioribus meruerint obtinere.

IV.

Volumus, & omnibus eccleſiarum rectoribus diſtricte præcipimus, vt in caſibus dubitabilibus præcipue periculum vel ſalutem animarum concernenti-

ANNO CHRISTI 1386. nentibus, ad ſuperiorem recurrant confidenter; vel ſaltem peritiores, vel ſapientiores ſtudeant ſuper his diligenter requirere. Quod ſi non fecerint, & ex eorum incuria vel negligentia periculum aliquod emerſerit, graui ſubiaceant vltioni.

V.

Quoniam per decentiam habitus extrinſeci oportet clericos intrinſecam morum honeſtatem oſtendere, diſtricte prohibemus, ne aliqui clerici ſine capucio capitis, bireto, cappello vel pileo cooperto in eccleſia, ſeu alias in publico præſumant incedere, cum hoc honeſtatem non deceat clericalem. Quod ſi quis contra fecerit, per ſuperiorem acriter puniatur.

VI.

Canonica teſtatur auctoritas, quod ex maiore decore & maioritate ornatuum apparere debeat maioritas dignitatum. Hinc eſt quod firmiter inhibemus, ne clerici in publico vtantur * vario, vel illud deferre præſumant, niſi in dignitatibus fuerint, vel canonici eccleſiarum cathedralium, vel in gradu magiſterii ſcientiæ literarum fuerint conſtituti. Adiicientes quoque, ne ipſi clerici, maxime non beneficiati, cincturis, corrigiis, aut peris auri vel argenti ornatum habentibus vtantur, aut etiam veſte, vel alio habitu indecenti.

VII.

In pleriſque eccleſiis mappæ, pallæ altaris, corporalia & alia veſtimenta, ac vaſa diuino cultui deputata, tam inculta, tam immunda relinquuntur, vt interdum quibuſdam ſint horrori, contra ſtatu-

tum Concilii generalis. Et licet alias ſuper his tam a viris, quam a legatis ſedis apoſtolicæ, quam etiam a noſtris prædeceſſoribus ſatis vtiliter ſit prouiſum: Nos vero repetitis eorum conſtitutionibus, volentes expreſſius prouidere, vniuerſis cuſtodibus, ſacriſtis, eccleſiarum rectoribus præcipimus, quatenus omnia veſtimenta, ornamenta & vaſa ſupradicta, per ipſos munda & nitida, & præcipue eccleſiaſtica ſacramenta ſub clauſura & fida cuſtodia conſeruentur. Si quis vero in tranſgreſſione huiuſmodi ſtatuti culpabilis fuerit, vſque ad condignam ſatisfactionem ab officio ſuſpendatur. ANNO CHRISTI 1386.

VIII.

Quia religioſos, præcipue fratres mendicantes, decet puritatem omnimodam in ſuis actibus obſeruare; quoniam tamen ſæpe diuagandi & diſſolutionis materiam mutuantur, ſcandalum aliorum, & tamquam pſeudoprophetæ fabuloſis prædicationibus audientium animos plerumque ſeducunt; & quamquam inuitis ipſarum eccleſiarum rectoribus, ipſi fratres, niſi per eoſdem rectores vocati vel inuitati ad hoc fuerint, de iure non audeant nec debeant prædicare: volumus tamen, quod nequaquam dicti rectores ipſos inuitent vel admittant, niſi de proponendo verbum Dei a ſuis ſuperioribus licentiam habeant, & de illa ſæpe dictis rectoribus faciant plenam fidem. In ciuitatibus vero & diœceſi, in quibus ipſorum fratrum loca conſiſtunt, ac in locis vicinis, nullatenus ad dictum officium prædicandi, vel ad audiendas confeſſio-

ANNO CHRISTI 1386. nes admittantur, nisi * locis diœcesanis canonice præsentati fuerint prius & admissi.

* f. locorum

IX.

Cum ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ, ac res ipsorum non solum iure ciuili, quinimo & canonico & diuino, sæcularium personarum talliis, collectis & exactionibus sint immunes, nonnulli tamen ecclesiasticæ libertatis & immunitatis æmuli, huiusmodi libertatem offendere moliuntur. Nos igitur ipsorum ausus, quantum possumus, reprimere cupientes, statutum domini Ioannis episcopi Tusculani, apostolicæ sedis legati, qui inuasores & occupatores & detentores ecclesiasticorum bonorum, vel dantes in his auxilium, consilium, vel fauorem, si postquam per ecclesiarum prælatos vel rectores requisiti fuerint, infra mensem non destiterint, vel de damnis datis non satisfecerint, extunc subiicit ecclesiastico interdicto, ad huiusmodi exactores, collectores & tallictores declaramus extendi, vt extendimus sanctionem præsentem, omnibus ecclesiarum prælatis & rectoribus, sub excommunicationis pœna, districte præcipientes, quatenus huiusmodi statuta inuiolabiliter obseruent, ac nihilo minus singulis annis ter in suis ecclesiis fideli populo studeant publicare.

X.

Multi in profundum malorum venientes, adeo ecclesiæ claues & ecclesiasticæ censuræ sententias vilipendendo contemnunt, quod tam incorrigibiles plerique talium facti in suæ damnatio-

nis periculum, in huiuſmodi ſententiis moriuntur. Anno Christi 1386.
Quare ſtatutum domini Friderici prædeceſſoris noſtri, quod ſententias per vnum vel plures prælatos per omnes ciuitates & diœceſes mandat.

Tales ſententias publicari per eccleſiarum prælatos *obſeruari præcipimus, vt ſic malignorum per- *f. & obſeruati
uerſitatibus obuietur.

XI.

Conſtitutiones felicis recordationis Bonifacii papæ VIII. editas contra eos qui ab eccleſiis & eccleſiaſticis perſonis, pro earum rebus propriis, quas non negotiandi cauſa deferunt, vel deferri faciunt vel tranſmittunt, ſuo vel alieno nomine pedagia vel quidagia exigunt vel extorquent: eoſque qui in his culpabiles fuerint, ſi perſonæ ſint ſingulares, excommunicationis; ſi vero collegium, ciuitatem, vel caſtrum, vel locum alterius concernit, interdicti ſententiæ ſubiacere per locorum ordinarios, prælatos & archidiaconos ac parochialium eccleſiarum rectores præcipimus ſolenniter publicari, quemadmodum etiam in Viennenſi Concilio eſt prouide conſtitutum.

XII.

Omnibus volumus eſſe notum, quod tam epiſcopi, quam alii eccleſiarum prælati, & quæcumque aliæ eccleſiaſticæ perſonæ, qui bona vacantium dignitatum & eccleſiarum quarumcumque ſibi ſubiectarum, ſeu ad collationem vel præſentationem eorumdem pertinentium, occupant, rapiunt, aut vſurpant, vel in ſuos vſus vertunt, ipſi epiſcopi ab ingreſſu eccleſiæ; inferiores vero ab officio & be-

ANNO CHRISTI 1386. neficio de iure sint suspensi, donec de occupatis satisfaciant cum effectu : laici vero, siue iudices fuerint, aut ecclesiarum patroni, bona huiusmodi rapientes vel vsurpantes, iuxta statutum felicis recordationis domini Friderici prædecessoris nostri, eo ipso sententiam excommunicationis incurrant: in locis vero ad quæ eadem bona delata fuerint, postquam hoc rectoribus ecclesiarum innotuerit, iuxta eiusdem statuti tenorem tam diu cessetur a diuinis, donec de ablatis congrue fuerit satisfactum.

XIII.

Apud multos ita crimen vsurarum inualuit, quod nonnulli nullis negotiationibus vel laboribus studeant intendere, putantes sibi ex hoc licere, quod prælati, vel alii ecclesiarum rectores in animarum suarum periculum negligunt id corrigere, ac per hoc in maioris damnationis laqueum se immergunt. Nos igitur recolendæ memoriæ domini Ioannis Tusculani episcopi, legati sedis apostolicæ, ac aliorum prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, qui crimen huiusmodi fuerint specialiter detestati, decernimus eosdem vsurarios, postquam per suos rectores trina monitione nominatim moniti fuerint, & infra mensem ipsi ab eadem prauitate non destiterint, eo ipso excommunicationis sententiæ subiacere. Quapropter singulis ecclesiarum prælatis ac rectoribus districte præcipimus, vt omnes manifestos vsurarios moneant & inducant, quatenus ab huiusmodi prauitate infra vnius mensis spatium curent

ſtudioſe deſiſtere, ac de perceptis ſatisfacere cum effectu. Quod ſi non fecerint, extunc excommunicati publice nuntientur. Certificentur nihilo minus, quod ſi in hoc crimine ſine ſatisfactione canonica cautioni de ſatisfaciendo deceſſerint, Chriſtiana careant ſepultura. Ipſi quoque rectores, & ſcienter ſepelientes eoſdem, ſimili de iure excommunicationis ſententia ſint ligati. Declaramus inſuper manifeſtos vſurarios eſſe, de quibus eſt publica vox & fama, & certa ſunt indicia & argumenta, quod pecunias mutuant ad vſuras, eaſque recipiunt, vel fructus rei pignoratæ ex pacto vel alias ſibi vſurpant, vel imburſant, nec computant in ſortem pecuniæ pignoratæ. ANNO CHRISTI 1386.

XIV.

Sæpe contingit, quod nedum laici, ſed eccleſiarum prælati & alii clerici (quod dolentes referimus) alius alium ad ſæcularia trahunt iudicia contra canonicas & legitimas ſanctiones: ex quo non modicum eccleſiaſticæ libertati detrahitur, ac eccleſiæ plerumque in ſuis iuribus & libertatibus grandia diſpendia patiuntur. Nos volentes his malis, quantum poſſumus, obuiare, decernimus, quod ſi prælatus, vel quiuis alius clericus, alium prælatum vel clericum, vel etiam laicus quamcumque aliam eccleſiaſticam perſonam coram ſæculari iudice trahere vel conuenire, aut tractus ſeu conuentus ſponte & iudicialiter præſumpſerit reſpondere, tam trahentes, quam tracti, vltra pœnas contra tales a iure prolatas, eo ipſo ſe nouerint excommunicationis ſententiæ ſubiacere.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1386.

XV.

Firmiter inhibemus, ne presbyteri peregrini vel ignoti ad Missarum solennia celebranda in publico admittantur, nisi per literas testimoniales, vel canonice de ipsorum ordinatione ecclesiarum prælatis & rectoribus fiat fides.

XVI.

Placuit nostro sancto Concilio, vt nullus se notarium publicum asserens, in officio tabellionatus aliquatenus admittatur, nec credatur eius instrumento, nisi coram loci ordinario vel eius officiali de suo officio faciat plenam fidem, cum sæpe ex notariis incognitis & imperitis grandia pericula soleant prouenire.

XVII.

Dudum fuit in nostra prouincia constitutum, vt episcopi suffraganei omnes prouinciales constitutiones habeant sigillatim, easque suis subditis, sicut iuris est, studeant publicare. Verum, quia huiusmodi statutum fructum modicum hucusque produxit: Nos igitur illud ampliare, & pœnæ adiectione vallare volentes, ne ipsarum ignorantiam ipsi vel subditi prætendere valeant, vel quoslibet allegare, statuimus, & districte præcipiendo mandamus, quatenus omnes & singuli ecclesiarum prælati, archidiaconi ac parochi, ecclesiarum rectores, tam legatorum sedis apostolicæ, quam nostras & prædecessorum nostrorum constitutiones scriptas habeant, quas non habentibus de nostra cancellaria præcepimus exhiberi, sub petentium tamen sumptibus & expensis. Quod si

ipſi prælati & archidiaconi infra ſex menſium ſpatium a data præſentium, rationabili cauſa ceſſante, ipſas per ſe vel alios non receperint, ſeu habuerint, ipſos & quemlibet ipſorum, qui in hoc negligens vel remiſſus fuerit, eo ipſo ab ingreſſu eccleſiæ ſuſpendimus, donec a ſuo ſuperiore abſolutionis beneficium meruerit obtinere. ANNO CHRISTI 1386.

Acta ſunt hæc Saltzburgi in noſtro archiepiſcopali palatio anno Domini MCCCLXXXVI. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, domini Vrbani diuina prouidentia papæ VI. anno VIII. menſe Ianuario.

CONCILIVM PALENTINVM SVB PRÆSIDIO PETRI DE LVNA ANTICARDINALIS

ANNO CHRISTI 1388.

in Hiſpania, (quæ adhuc iſto tempore Clementi antipapæ adhæreſcebat) celebratum, anno Domini MCCCLXXXVIII. tempore Vrbani papæ VI.

TITVLI CAPITVLORVM.

I. *De officio ordinarii.*
II. *De cohabitatione clericorum & mulierum.*
III. *De clericis coniugatis.*
IV. *De rebus eccleſiæ non alienandis.*
V. *De Iudæis & Sarracenis.*
VI. *De feriis per infideles colendis.*
VII. *De adulteris.*

PRÆFATIO.

Hæ ſunt conſtitutiones reuerendiſſimi in Chriſto patris ac domini, domini Petri de Luna ſanctæ Mariæ in Coſmedin ſacræ Romanæ eccleſiæ diaconi cardinalis, in Hiſpaniarum partibus apoſtolicæ ſedis legati, vulgariter cardinalis de Aragonia, vel de Luna nuncupati.

Petrus miſeratione diuina ſanctæ Mariæ in Coſmedin diaconus cardinalis, apoſtolicæ ſedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.

QVIA diſponente patre luminum ex iniuncto nobis legationis officio curam gerimus cleri & populi Hiſpaniarum, circa illa attentis ſtudiis ac ſtudioſis affectibus

ANNO CHRISTI 1388. bus libenter intendimus, per quæ subditorum mores dirigantur salubriter, & eorum actus deuii in melius reformentur: vt sic illi suorum operum moderentur habenas, quod accepti reddantur Altissimo, eisque salus perueniat animarum. Ad ista igitur, ad quæ feruentius nostra aspirat intentio, considerationis intuitum conuertentes, illustrissimi ac deuotissimi principis domini Ioannis regis Castellæ, Legionis & Portugalliæ, nonnullorumque prælatorum regni Castellæ pulsati instantia, habita super his cum aliquibus ex prælatis prædictis, & aliis viris prouidis & discretis deliberatione matura, & discussione solerti, super quibusdam quæ correctionem & reformationem agere videbantur, constitutiones infra scriptas edidimus, quas die datarum præsentium in ecclesia fratrum Minorum ciuitatis Palentinæ post Missarum solennia in præsentia dicti regis & aliquorum prælatorum dicti regni, clericorum & laicorum circumstante multitudine copiosa fecimus publicari. Et licet post publicationē huiusmodi non sit necessitas præfatas constitutiones singulorum auribus inculcare; ne tamen aliquis ab earum obseruatione se valeat per accuratam ignorantiam quomodolibet excusare, venerabilibus in Christo patribus, Toletano, Compostellano & Hispalensi archiepiscopis, ac Burgensi, Legionensi, Ouetensi, Carthaginensi, Palentinensi, Calagurritano, Osomensi, Seguntinensi, Segobiensi, Conchensi, Cordubensi, Gienensi, Zamorensi, Salamanticensi, Abulensi, Ciuitatensi, Caurensi, Placētinensi, Pacensi, Gadicensi, Astoricensi, Aurensi, Lucensi, Mindonensi, Tudensi, episcopis, in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus ipsas constitutiones in suis cathedralibus ecclesiis infra duorū mensium spatium postquam eis fuerint præsentatæ, clericis ac religiosis ordinis cuiuscumque, exemptis & non exemptis, infra eorū diœcesim existentibus, auctoritate nostra ad hoc specialiter cōuocatis, & deinde quolibet anno, vel in Synodis per eos celebrandis, vel in dictis ecclesiis semel ad minus solenniter & integraliter faciant publicari, & * earum obseruantiā dent, in quantum ad eorum spectat officium, operam efficacem. Volumus insuper, quod prædictæ nostræ constitutiones ad obseruantiam sui ligent omnes archiepiscopos

* *f.* ad earum obſ.

& episcopos supradictos, prout in eis de archiepiscopis & episcopis cauetur expresse, ac personas sæculares quascumque & ecclesiasticas, etiam & religiosas ordinis cuiuscumque, exemptas & non exemptas, infra ciuitates & diœcesim dictorum archiepiscoporum & episcoporum constitutas, post duos menses a tempore publicationis faciendæ in præfatis ecclesiis cathedralibus numerandos. ANNO CHRISTI 1388.

CAPITVLA.

RVBRICA I.

In vinea Domini sabaoth cultores immeriti positi, & custodes, sic in culturæ ac custodiæ nos debemus ministeriis exercere, vt ad eadem alios in partes solicitudinis euocatos sedulo studio excitemus. Extirpandis igitur vitiorum spinis & peccatorum tribulis, quæ superficiem eius obumbrasse videntur, ac plantandis virtutum germinibus, in quibus Dominus delectatur, totis affectibus intendentes, monemus & hortamur omnes archiepiscopos, episcopos, & alios quoscumque iurisdictionem ecclesiasticam habentes & exercentes, eorumque vicarios, prouisores, officiales, & alios ipsorum loca tenentes, quocumque nomine censeantur, vt circa correctionem clericorum coniugatorum & non coniugatorum, in quibuscumque ordinibus constitutorum, cuiuscumque dignitatis, gradus, vel conditionis existant, qui crimina vel maleficia commiserint, diligenter obseruent canonica instituta: & si crimina commissa fuerint capitalia, vel talia, pro quibus ea perpetrans capitaliter puniendus, officialis, vicarius, prouisor, aut quiuis alius vicem gerens archiepiscopi, episcopi vel prælati, aut is ad quem ratione sui be-

ANNO CHRISTI 1388. neficii vel officii hoc spectat, vel eius locum tenens, clericum coniugatum vel non coniugatum, ordinis, dignitatis, gradus vel conditionis cuiuscumque talia committentem absque correctione & castigatione debita non relaxent, absoluant, vel abire permittant, aut in castigando, corrigendo vel puniendo remissi aut negligentes existant: alioquin malitiose deficientes in præmissis si beneficiati fuerint, a perceptione fructuum & reddituum beneficiorum quæ obtinent, sint suspensi per annum, & per idem tempus efficiantur inhabiles ad quodcumque beneficium ecclesiasticum obtinendum. Si vero beneficiati non fuerint, per idem tempus ad obtinendum ecclesiasticum beneficium reddantur inhabiles ipso facto.

RVBRICA II.

Speciosus forma præ filiis hominum, & plenus gratia, fons virtutũ, glorioſus sponsus ecclesiæ Iesus Christus inter alia sanctitatis insignia, quibus sponsam eius inclytam insigniuit, glorioſam constituit castitatem, vt in illa, sine qua nullum opus bonum existit, sponsa ipsius & ministri eius eidem sponso virgini, nato de virgine, vitæ puritate fulgentes deuotione supplici deseruirent. Sed nonnulli clericorum & religioſorum famæ suæ & salutis immemores, cum concubinis publice vitam ducunt enormiter dissolutam: super quo bonæ memoriæ Guillermus episcopus Sabinensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, in partibus Hispaniæ apostolicæ sedis legatus, cupiens salubriter prouidere, quamdam constitutionem prouide edidit, quæ

antiqui hostis procurante versutia vsquequaque non extitit obseruata. Propter quod nos aduersus huiusmodi vitium prouidere de salubri remedio cupientes, monemus omnes & singulos clericos tam sæculares, quam regulares, beneficiatos & non beneficiatos, cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis existant, ne concubinas in domo propria aut aliena publice audeant detinere. Contrarium vero facientes sint inhabiles, dum sic, vt præfertur, tenuerint publice concubinas, & per duos menses sequentes postquam etiam easdem dimiserint realiter cum effectu, ad quoscumque sacros ordines recipiendos, & quodcumque ecclesiasticum beneficium obtinendum, etiam si beneficium patrimoniale, vel capellania fuerit temporalis, vt sic ordinum receptorum per idem tempus careant executione, & collatio beneficiorum eis facta infra dictum tempus sit nulla, vacua & irrita ipso iure, si ipsas concubinas tempore receptionis dictorum ordinum, aut collationis beneficii seu beneficiorum eis factæ, vel infra terminum duorum mensium antea tenuerint, vt præfertur. Volumus insuper, quod beneficiorum collatores in literis per eos concedendis super collationibus ipsorum beneficiorum, etiam patrimonialium, teneantur apponere clausulam subsequentem, videlicet: Nostræ tamen intentionis existit, quod si tempore collationis per nos de huiusmodi beneficio vel beneficiis tibi factæ, aut infra terminum duorum mensium ante publicus concubinarius fueris, præsens nostra collatio nullius sit roboris vel momenti. Si autem

ANNO CHRISTI 1388.

ANNO CHRISTI 1388. collator prædictam clausulam omiserit, volumus quod collatio beneficii vel beneficiorum, etiam non concubinario per eum facta, sit nulla & irrita ipsoiure. Nihilo minus collator, etiam si archiepiscopus vel episcopus fuerit, qui huiusmodi clausulam in literis per eum concedendis super collatione alicuius beneficii seu beneficiorum etiam non concubinario facta, non apposuerit, vel apponi fecerit in collatione per se facta, vel per alium vice sui, sit ipso facto ab eiusdem beneficii vel beneficiorum collatione suspensus, & eiusdem beneficii vel beneficiorum collatio ea vice ad superiorem proximum deuoluatur. Adiicientes etiam, & insuper statuentes, prout Guillelmus episcopus Sabinensis & legatus præfatus statuit, quod quicumque clerici aut religiosi, qui post duos menses a publicatione constitutionis huiusmodi in ecclesia cathedrali, de cuius diœcesi existunt, facienda numerandos, concubinam seu concubinas modo prædicto detinuerint, vel dimissam seu dimissas, aut aliam seu alias admiserint, si beneficiati existant, tertia parte fructuum omnium beneficiorum quæ pro illo tempore obtinent, ipso facto sint priuati. Si vero per alios duos menses, prædictos duos immediate sequentes, in eodem crimine continuauerint vitam fœdam, alia tertia parte. Et si forsan Dei timore contempto, per alios duos menses, prædictos quatuor immediate sequentes, in peccato permanserint memorato, reliqua tertia parte fructuum dictorum beneficiorum omnino priuati existant: præcipientes eisdem, quod ad aliquam partem fru-

ctuum prædictorum, postquam ipsa vel ipsis, vt prædicitur, priuati fuerint, manus temerarias aliquatenus non extendant. Et si forsan contrarium attentauerint, sub obtestatione extremi iudicii prælatis eorum tam diœcesanis, quam aliis districte præcipimus, quod ad restituendum quidquid de prædictis tertiis fructuum seu ipsorum aliqua, postquam modo prædicto priuati existant, occupauerint, seu detinuerint vel assumpserint, per censuram ecclesiasticam & alia iuris remedia ipsos compellere non omittant. Quod si forte prædicti clerici vel religiosi concubinarii adhuc ad cor non redierint, sed nostrum contemnentes mandatum, se ostenderint tam execrandæ turpitudinis amatores, suis prælatis prædictis & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub animarum suarum periculo districte præcipimus & mãdamus, quod * infra quatuor menses post supradictos sex menses continue numerandos, transgressores prædicti concubinas præfatas omnino non dimiserint, easdem vel alias vlterius non admissuri, eos beneficiis suis priuent, ipsosque in limo peccatorum tam fixos, donec se correxerint, & postea per duos menses inhabiles esse denuntient ad quoscumque superiores ordines recipiendos, & ad quæcumq; beneficia ecclesiastica obtinenda. Volumus etiam quod si quis de prædictis, postquam beneficio seu beneficiis priuatus fuerit, modo prædicto manus rapaces extenderit ad dictorum beneficiorum fructus, seu ad aliquam eorum partem, incurrat excommunicationis sententiam ipso facto, a qua non possit absolui, nisi de

ANNO CHRISTI 1388.

* f. si in. fra

ANNO CHRISTI 1388. sic occupatis restitutione integra, & beneficii seu beneficiorum quibus priuatus fuerit, vt prædicitur, dimissione plenaria prius factis. Insuper prædictæ ordinationi adiicimus, quod dicti concubinarii qui tempore mortis, vel per duos menses ante, publice, vt præmittitur, concubinas habuerint, sint intestabiles, & bona eorum tam mobilia quam immobilia, etiam patrimonialia, & quæcumque alia sint confiscata, postquam declaratum fuerit eos publicos concubinarios modo prædicto fuisse, & sic pœnam incurrisse prædictam: & tam ipsi quam ipsæ concubinæ careant ecclesiastica sepultura, nisi per duos menses ante mortem sine fraude abinuicem cum effectu fuerint separati. Quorum bona etiam patrimonialia, & fructus beneficiorum prædictorum in tres partes diuidantur: quarum tertia pars fabricis ecclesiarum, in quibus beneficiati fuerint vel fuerit; alia vero tertia ordinario diœcesano, reliqua vero tertia pars pro captiuis redimendis qui ab infidelibus detinentur, applicetur, & applicatæ sint ipso facto, postquam declaratum hoc fuerit, vt præfertur. Quod si forte propter confiscationem & priuationem prædictorum fructuum beneficiorum concubinariorum ipsorum viuentium ecclesias contigerit diuinis & aliis debitis obsequiis grauiter defraudari; volumus quod dictos fructus vel partem eorum prælatus ad quem spectat, diuinis officiis ac aliis debitis seruitiis dictarum ecclesiarum applicet, prout viderit expedire. Super quo prælatorum conscientiam oneramus. Quæ quidem tertia pars redemptioni prædictæ applica-

ta, per fratres de Mercede & de Trinitate ordinum exigatur & leuetur, & per ipsos in dicta redemptione captiuorum fideliter dispensetur, de quibus diœcesanis episcopis, de his quæ in ipsorum diœcesi prædicta de causa receperint, teneantur reddere rationem. Quod si in huiusmodi dispensatione vel administratione culpabiles reperti fuerint aut remissi, per eosdem diœcesanos auctoritate nostra corrigantur, priuilegiis non obstantibus quibuscumque: statuentes nihilo minus, quod prædicti ecclesiarum prælati pœnas præmissas diligenter exigant, & per duos viros idoneos, per eos in propriis diœcesibus deputandos, leuari & recolligi faciant, distribuendas iuxta modum & formam superius ordinatos. Volumus insuper & mandamus, quod prælati in ciuitatibus & diœcesibus suis testes deputent synodales, qui per diœceses veritatem inquirant super omnibus supradictis, & ea quæ reperierint, quam citius potuerint suis prælatis in Synodis, quas annuatim propterea celebrari iubemus, vel ipsis in remotis agentibus, eorum vicariis semel teneantur anno quolibet nuntiare, ne iidem prælati excusationem prætendere seu ignorantiam aliquam valeant allegare. ANNO CHRISTI 1388.

RVBRICA III.

Cum in iure statutum existat, quod clerici coniugati qui cum vnicis & virginibus contraxerunt, si tonsuram & vestes differant clericales, priuilegium obtineant Canonis ab Innocentio papa II. editi in fauorem totius ordinis clericalis, & pro commissis ab eis excessibus vel dictis non possint a

sæcu-

ANNO CHRISTI 1388. sæcularibus iudicibus personaliter, aut etiam pecunialiter condemnari, & nonnulli ex prædictis clericis coniugatis, vt fide dignorum relatione percepimus, tonsuram aut vestes deferant honestati ordinis clericalis minime congruentes. Ideo statuimus quod clericus coniugatus, qui gaudere voluerit priuilegio supradicto, tonsuram seu clericam quantitatis inferius descriptæ deferat, vel maiorem, & vestem superiorem non virgatam aut bipartitam, quæ tamen vsque ad medietatem tibiæ vel vltra in longitudine protendatur. Tonsuræ autem formam ad omne ambiguitatis tollendum dubium hic fecimus circumscribi, quam in eadem mensura per singulos prælatos seu eorum vicarios vel officiales iubemus imprimi loco vtique publico & patenti, in valuis ecclesiarum cathedralium & aliarum maiorum ecclesiarum locorum insignium diœcesum earumdem.



RVBRICA IV.

Execrandæ alienationis abusum, quo prælati & aliæ personæ ecclesiasticæ, maxime in regnis & terris regi Castellæ subiectis existentes, administratio-

nem ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum habentes, loca, vassallos, grangias & alias possessiones, decimas, primitias, reditus, prouentus, & iura, & bona alia ad ecclesias, ordines, monasteria seu alia pia loca quibus præsunt, spectantia, personis sæcularibus sub colore & titulo commendæ, vt per eosdem ab aliorum oppressionibus defendantur, vel aliis confictis causis propria auctoritate subiiciunt, & tributaria reddunt in perpetuum vel ad tempus, cum sit in Dei offensam, & ecclesiarum, ordinum, monasteriorum & locorum prædictorum graue damnum introductum, ac sacris Canonibus inimicum, abhorrentes & merito reprobantes, vniuersos archiepiscopos, episcopos, clericos, abbates, priores, magistros ordinum militarium, præceptores, commendatores, & quoscumque ecclesiarum & rerum ecclesiasticarum administratores, maxime in regnis & terris præscriptis existentes, cuiuscumque status, gradus, ordinis vel conditionis existant, sub excommunicationis pœna monemus & hortamur, vt constitutiones in Lugdunensi & Viennensi Conciliis super hoc editas in commendis iam factis de rebus supradictis perspicue attendant & diligenter obseruent: quas commendas super interminatione anathematis de cetero fieri prohibemus. Nos enim, si secus actum seu attentatum fuerit, id decernimus irritum & inane. Anno Christi 1388.

RVBRICA V.

Etsi Christiana religio Iudæos & Sarracenos ex eo non debeat abiicere, quia nostri conditoris imaginem constat eos habere: quia tamen ex

ANNO CHRISTI 1388. eorum frequenti communione experientia docente nouimus damna corporibus, & animabus fidelium pericula & ſcandala plurima proueniſſe, deliberatione prouida ſtatuimus, vt Iudæi & Sarraceni inter Chriſtianos, vel Chriſtiani inter Iudæos vel Sarracenos, domos, hoſpitia, ſeu alia receptacula in quibus habitent, nullatenus permittantur habere: ſed in ciuitatibus & locis vbi certæ limitationes ſunt, eiſdem Iudæis & Sarracenis deputatæ, reducantur ad eas, & infra ipſas conſtituant habitationes ſuas. Vbi vero Iudæi & Sarraceni prædicti ad habitandum non habuerint huiuſmodi limitationes ſeu terminos deputatos, limitentur & aſſignentur eiſdem partes aliquæ in ciuitatibus & locis prædictis a Chriſtianorum habitationibus ſeparatæ, infra quas reducant ſe, nec extra prædictam limitationem permittantur quomodolibet commorari; niſi forte ſint aliqui Iudæi & Sarraceni mercatores, vel alii quæcumque officia aut opera mechanica exercentes, ſeu merces vendentes, quos pro huiuſmodi operibus exercendis & mercibus vendendis, in plateis vel in aliis locis publicis ciuitatum & locorum vbi exiſtunt, permittimus habere operatoria, tentoria, tabularia ſeu boticas: dum tamen intra loca eis deputata, vel in poſterum deputanda, domos ſeu habitationes principales cum filiis & vxoribus teneant, ad quas ſe de nocte reducant. Chriſtiani autem, qui intra limitationem Iudæis vel Sarracenis aſſignatam vel aſſignandam habitare præſumpſerint, ſi infra duos menſes a die publicationis præſentium factæ in ec-

clesia cathedrali ciuitatis vel diœcesis vbi moram trahunt, se ad commorandum inter Christianos reducere non curauerint, ad id per censuram ecclesiasticam compellantur. Iudæis vero & Sarracenis, si infra dictum terminum duorum mensium vbi limitatio est facta, vel postquam dictæ limitationes de ordinatione & voluntate domini regis, vel cuiuscumque alterius domini ecclesiastici vel temporalis ciuitatis vel loci factæ fuerint, se ad easdem reducere noluerint vel neglexerint, Christianorum communio subtrahatur. ANNO CHRISTI 1388.

RVBRICA VI.

Cedit in opprobrium religionis Christianæ, quod Iudæi & Sarraceni inter Christicolas habitantes, diebus dominicis & festiuis mercimonia vendere, & artificia ac mechanica opera exercere publice non verentur. Cum autem hoc in diuinæ maiestatis offensam non sit a Christi fidelibus aliquatenus tolerandum, ipsis Iudæis & Sarracenis, ne mercimonia vendere, aut qualitercumque artificia, seu opera mechanica exercere præsumant diebus dominicis & festiuis, qui per Christianos coluntur, districtius inhibemus, & ad id compelli per locorum ordinarios ac iudices sæculares, sub quorum iurisdictione Iudæi & Sarraceni viuere dignoscuntur, per subtractionem communionis fidelium, & alias pœnas temporales, auctoritate qua fungimur, præcipimus & mandamus. Quod si sæculares iudices negligentes fuerint in præmissis, ad hoc per censuram ecclesiasticam compellantur.

ANNO CHRISTI 1388.

RVBRICA VII.

In paradiſo voluptatis, vbi primum parentem creauerat, creator omnium glorioſus matrimonium hac lege inſtituit, vt ſic vir per conſenſum legitimum feminæ iungeretur, quod duobus exiſtentibus in carne vna, aliam perſonam quæ vnitatem diuideret, ſuperaddere non liceret. Hanc vnitatem nonnulli coniugati Dei timore poſtpoſito deturbantes, ſicut equus & mulus quibus non eſt intellectus, concubinis ſe commiſcere in ſuarum animarum damnationem publice non verentur. Contra quos præfatus Guillelmus epiſcopus Sabinenſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, ſtatuit & ordinauit, vt quicumque coniugatus concubinam publice detinere præſumeret, & inſuper non coniugatus qui concubinam infidelem præſumeret detinere tam ipſi, quam ipſæ eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrerent. Nos vero dictam conſtitutionem innouantes, tam prædictos quam coniugatos, qui cum adulteris publice commiſcentur, & ipſos adulteros prædictæ excommunicationis ſententiæ decernimus ſubiacere. Volentes inſuper, quod, niſi adulteri & alii ſupraſcripti præfatas concubinas, vel coniugatæ dictos adulteros per duos menſes ante eorum vel earum obitum dimiſerint, & ſe ab eiſdem ſine fraude ſeparauerint, etiam ſi tempore obitus ſui vel antea fuerint a dicta excommunicationis ſententia abſoluti, nihilo minus tam ipſi quam ipſæ careant eccleſiaſtica ſepultura.

Datum Palentiæ ſub ſigillo noſtro pendenti IV. Nonas Octobris, indictione II. pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Clementis diuina proui-

dentia papæ VII. anno 10. & a natiuitate Domini 1388. Anno Christi 1388.
Istæ constitutiones fuerunt publice denuntiatæ in ecclesia fratrum Minorum Palentinorum die 4. mensis Octobris, anno a natiuitate Domini 1388. indictione 11. pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Clementis diuina prouidentia papæ VII. anno decimo, præsentibus rege, archiepiscopo Compostellano, Ouetensi, Legionensi, Calagurritano, Palentino & Zamorensi episcopis, & cleri & populi multitudine copiosa.

VITA BONIFACII PAPÆ VIII. VVLGO IX.

Anno Christi 1389.

BONIFACIVS huius nominis iuxta vulgi opinionem IX. Petrus antea vocatus, natione Neapolitanus, ex illustrissima Tomacellorum familia oriundus, communibus omnium suffragiis anno ætatis suæ 45. vt probabilius obseruauit Panuinius, quam Platina, ad pontificatum ascitus est IV. Nonas Nouembris, anno 1389. tempore Vvenceslai imperatoris. Omnem populi Romani gubernandi rationem soli papæ reseruauit. Clemente antipapa mortuo, cardinales schismatici Petrum quemdam de Luna in eius locum suffecerunt, & Benedicti XIII. nomen imposuerunt. Perusii inter nobiles & populum magna suborta est discordia, ad quam extinguendam pontifex eo se contulit: sed vel parum vel nihil effecit. Nam populus furore percitus, 80. plus minus nobiles crudeliter occidit. Hac iniuria Bonifacius se læsum sentiens, Assisium concessit, & per legatos Galeatio duci persuasit, vt Mantuam obsidione solueret. Iubilei anno appropinquante, Romani suis precibus apud pontificem institerunt, vt ad Vrbem reuerteretur. Quod vt facilius impetrarent, Banderesios destituerunt, eorumque loco Malatestam Pisaurienſis domini filium senatorem delegerunt. Ad Vrbem pontifex reuersus, arcem sancti Angeli muniuit, mœniaque & turres restituit, & sic paulatim dominatu Vrbis potitus est. Annus Iubilei 1400. cum incredibili

hominum affluentia celebratus est. Paulo ante Romam venerat presbyter quidam cum certo hominum numero quos Blanchos vocabant: quem tamquam hæreticum exuri mandauit. Annatarum imponendarum primus auctor fuit: ex quibus cum ærario ecclesiæ plurimum accesserit, bellique contra infideles suscipiendi expeditio promota fuerit, non citra temeritatem Theodoricus a Niemsimoniæ auaritiæque crimina pontifici optimo impingit. In regnum paternum restituit Ladislaum, priuatione qua Carolus exutus erat, plane annullata. Anno Domini 1405. ipsis Kalendis Octobris morbo calculi afflictus, ex hoc mundo migrauit, ac in sancto Petro sepultus est, cum pontificatum 14. annis & 9. mensibus administrasset. Parentibus quos secum habebat, nimium indulgens, aliquantulam fortasse reprehensionem meruit.

VITA
INNOCENTII PAPÆ VII.

Anno Christi 1405.

INNOCENTIVS VII. Sulmone, vt ait Theodoricus, in Apulia honestæ & mediocris fortunæ parentibus natus, bonarum literarum, iuris canonici, & Romanæ curiæ peritissimus, vir mitis, bonus & pacificus, doctorum summus amator & fautor, ex Bononiensi episcopo & cardinale sanctæ crucis in Ierusalem 16. Kalendas Nouembris, anno Domini 1405. tempore Roberti imperatoris electus est pontifex sub ista conditione, vt pro necessitate componendi schismatis quouis tempore pontificatum resignaret. Nam ante electionem omnes cardinales, Gobelino & Theodorico attestantibus, coram pluribus notariis & testibus solennibus compromiserunt, & compromissum seruare iurauerunt, quod ipsi singuli & communiter, & si quis eorum forte in papam eligeretur, vellet omnem diligentiam quam posset adhibere, quod vnitas ecclesiæ reformaretur, etiam si opus esset ad hoc renuntiare papatui, &c. dum tamen Petrus de Luna etiam suo papatu sponte cedere vellet. Stetit promissis pontifex optimus. Concilium generale ipsis Kalendis Nouembris Romæ celebrandum indixit: sed Romanorum seditione per Gibellinos

exorta, nemo vocatorum episcoporum ad Vrbem tuto accedere potuit. Cum enim, auctore Gobelino, statim post electionem regimen Vrbis senatoribus ablatum restituisset, illi elatiores facti, eiusdem Vrbis temporale dominium resignari, omnesque munitiones sibi dedi postularunt, Ladislai Neapolitani regis subsidio impetrato, ad arma conuolarunt. Pontifex rei nouitate obstupefactus, cum nepote Viterbium confugit: vnde post deuictum auctore Vrsino eius militiæ duce Ladislaum, a populo reuocatus Romam reuertit, ibique aliquot cardinales, ex quibus tres pontifices postea delecti fuerunt, ordinauit: cumque nepotem suum agri Piceni & Anconensis marchionem, eumdemque Firmanum principem creasset, mortuus est, & in sancto Petro sepultus septimo die Nouembris, anno Christi 1406. cum annos duos & dies viginti tres sedisset.

VITA ET EPISTOLA GREGORII PAPÆ XII.

Anno Christi 1406.

GREGORIVS XII. patria Venetus, Angelus Corarius antea nominatus, postquam aliquamdiu patriarcha Aquileiensis fuisset, ex cardinale sancti Marci, pridie Kalendas Nouembris, anno Christi 1406. ætatis suæ 80. conditione eadem qua prædecessor electus est pontifex; nimirum vt vi iuramenti ante electionem a singulis cardinalibus emissi pro ineunda vnione & tollendo schismate, pontificatui renuntiaret, modo antipapa Benedictus idem facere vellet. Cumque illud per literas & legationem qua fungebatur Antonius de Butrio iurisconsultus eius temporis celeberrimus, semel atque iterum frustra tentasset, animaduersa antipapæ tergiuersatione, vnionem remissius quam par erat promouere cœpit, deditque in mandatis singulis cardinalibus ne Luca discederent, vllaque de causa ipsi inter se vel cum anticardinalibus conuenirent. A qua sententia ipsi a pontifice male informato ad eumdem vel alium melius informandum appellantes, Pisano Concilio indicto & congregato, Gregorium papam cum pseudopontifice Benedi-

&to depoſuerunt, anno Domini 1409. cum ſediſſet annos 2. & menſes 8. minus quatuor diebus.

EPISTOLA
GREGORII PAPÆ XII.
AD PETRVM DE LVNA PSEVDOPAPAM.

De vnione.

Gregorius epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Petro de Luna, quem nonnullæ gentes in hoc miſerabili ſchiſmate Benedictum XIII. appellant, pacis & vnionis effectum.

QVI ſe humiliat, inquit veritas, exaltabitur; & qui ſe exaltat, humiliabitur. Cuius ſaluberrimam monitionem, quantum nobis ex alto permittitur, obedienter ſectati, decreuimus per literas noſtras omni contentione ſepoſita benigne te affari, & ad integrationem eccleſiæ cohortari; imo te inuitare ad id conſilium capeſcendum, quod noſipſi pro pace eccleſiæ accepimus. Vides quanta mala, quanta pericula, quanta incommoda, quanta denique Chriſtianæ religionis infamia iam per triginta annos ex hac peſtilente ac veſana ſeditione in populum Dei peruenerunt, quantaque, niſi prouideatur, ſint quotidie euentura horum omnium malorum, quæ cauſa ab initio fuerit certa videtur, quibus rigor iuſtitiæ non ceſſit, nec forſan æquitas perſuaſit, nihilo minus tamen graues moleſtias Chriſtianam religionē perpeſſam non dubitatur. Si ergo nunc quoque eodem modo fiat, dubius eſt remedii locus, quo minus eccleſia in ſolitis remaneat anguſtiis, in qua & tu de teipſo & conſcientia tua videris: nos mentes & intentionem noſtram apertiſſime profitemur. Non eſt conſilii noſtri tempus aliquo modo terere, ſed quo validiora, certiora & firmiora fuerint iura noſtra, tanto laudabilius ducimus ea pro pace & reintegratione Chriſtianorum relinquere. non enim de ſummo iure diſputandum eſt, ſæpe rigor ipſi vtilitati & tempori cedit. Nam ſimiliter illa & iure ſuo & proprio filio ſpoliari voluit, ne ſectionem vnius pueri videret: quanto magis nos, ſi malitia operante ad optatam vnionem venire non poſſu- *Matth. 23.*

mus, per iuſtitiæ vias matri cedendum videtur. Quare exurgamus ambo in vnum vnionis affectum, concurramus, feramus ſalutem eccleſiæ iam hoc diuturno morbo afflictæ. Ad hoc te inuitamus, paratique ſumus & * afferimus noſtro veriſſimo iuri & papatui cedere & renuntiare: & efficaciter faciemus, ſi & quando tu renuntiaueris ac ceſſeris præſenti iuri & papatui tuo, vel deceſſeris: dum tamen illi qui apud partem tuam pro cardinalibus ſe gerunt, ſic conuenire & concordare cum venerabilibus fratribus noſtris ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus cum effectu voluerint, vt exinde canonica vnius Romani pontificis ſequatur electio; ita quod prædicta expeditiorem ſequatur effectum, celeriter mittemus oratores noſtros, qui tecum de loco habili & decenti ad huiuſmodi rei confectionem diſponant. Et inſuper pendente vnionis huiuſmodi tractatu, non faciemus neque creabimus aliquem cardinalem, niſi forſan cauſa adæquandi numerum fratrum noſtrorum cum numero eorum qui apud te pro cardinalibus ſe gerunt, vt ſic pares ex vtraque parte ad ſolennem & canonicam electionem vnici Romani pontificis deuenire poſſint. Extra hanc autem coæquationis cauſam, nullum, vt dictum eſt, creare decreuimus, niſi ex defectu tuo vel partis tuæ ſteterit, quo minus vnionis præfatæ concluſio infra annum & tres menſes a die inthronizationis noſtræ computandum fuerit ſubſecuta. Hoc tamen, quod de non creando cardinali tractatu huiuſmodi pendente diximus, ita locum habere intendimus, ſi tu quoque idem obſeruabis. Hanc vero * ablationem & inſinuationem de cardinalibus non creandis, ac ſuperiorem oblationem renuntiationis modo prædicto, vt ſtrictiori vinculo fierent, iurauimus, vouimus, & promiſimus ante electionem noſtram eodem vinculo effectualiter adimplendam cum ſingulis ex noſtris fratribus ante dictis, in caſu, quo aliquis noſtrum ad apicem ſummi apoſtolatus eſſet aſſumptus, poſt ipſam aſſumptionem ad ipſum & firmiorem inſtantiam denuo iurantes, vouentes, promittentes atque ratificantes. De hoc autem, quod bulla ſine impreſſione noſtri nominis eſt appenſa, præſentium nullus debeat admirari. nam ante noſtræ coronationis inſignia huiuſmodi imperfecta bulla abſ-

* f. offerimus

* f. oblationem

que ipsius impressione nominis habetur. Datum Romæ apud sanctum Petrum, &c.

EPISTOLA I.

BENEDICTI DICTI XIII.

PSEVDOPAPÆ

AD GREGORIVM XII.

Respondet superiori.

Benedictus episcopus, seruus seruorum Dei, Angelo dicto Corario, quem nonnulli sibi in pernicioso schismate adhærentes Gregorium nominant, pacis & veræ vnionis affectum pariter & effectum.

PER quemdam conuersum ordinis Prædicatorum tuas die 15. huius mensis Ianuarii literas recepimus, nonnulla per ea concepta circa tractatum vnionis ecclesiæ sanctæ Dei frequenti hactenus per nos repetitione tentatum, & ad optatum finem peccatis exigentibus non deductum, summarie continentes: quarum tenore perspecto illi gratias egimus, qui sua ineffabili clementia, quando venit temporis plenitudo, nostræ humanitatis indumento contectus, in suæ natiuitatis exordio diuersos in se parietes copulans iam cepit, & nunc virum nobis a nostræ promotionis ad apicem summi apostolatus initio pacem & vnionem totis viribus & desideriis quærentibus talem inuenire concessit, qui nobiscum, vt tuæ literæ protestantur, in hoc salutari proposito Deo accepto, saluti animarum ac commodo mundo necessario, vtili & votiuo nostris affectibus, si sincera affectauimus & optamus intentione, concurrit. Multo etiam hactenus, sicut te nosse non ambigimus, quod duos prædecessores tuos immediatos in statu quem assumpsisti, per nos & nostros sudatum est, vt tam exitiale malum de medio Christianitatis euulsum radicitus, de militantis ecclesiæ finibus pelleretur. Non enim nobis sunt incognita damna, proh dolor, Christiani populi, quæ iamdudum hæc execranda & detestanda diuisio protulit. Horum autem malorum qui causam dederunt ab initio, quæ schisma prorogauerunt, sed continuis successibus neglecta iustitia & veritate suppressa fuerunt, certum videtur his præsertim qui rei gestæ veritatem

nouerunt, & qui præceſſerunt in huiuſmodi negotio, de hoc recto libramine ponderarunt. Sed quod referimus, diſplicentior his noſtris negotiis incaſſum malitia operante, deductis a prædeceſſoribus tuis ante dictis, quibus vias in inſtrumento contentas, & etiam alias rationabiles aperiri fecimus, & aperiendas recipere & proſequi obtulimus nos paratos, nec verbum aliquod effectiuum reportauimus. O te felicem, ſi ad hoc te Dominus reſeruauit, ſi facultatem ad ea, quæ tibi data videtur, cum omni diligentia efficaciter proſequens, nobis in effectu proſequendæ vnionis te reddendo conformem ſpopondiſti. De contingentibus nil omittas, ad hoc te piis exhortationibus inuitamus, ad hoc nos promptos reperies, hoc ſummopere cupimus, ad hoc noſtra aſpirauit & aſpirat intentio, noſter attendit affectus, vt Deo dirigente qui voluit, & eo præſtante qui poteſt, per noſtræ humilitatis miniſterium, vt vnio in Dei eccleſia deſiderata ſequatur. Sed non permittit nos diſſimulare ſilentio, imo in ſtuporem vehementis aſpirationis inducit, quod tua ſcriptura interprete videris innuere, quod per iuſtitiæ vias ad optatam vnionem venire non potes, vt nobis quodammodo videatur impingi, quod viæ diſſenſionis veritatis & iuſtitiæ per nos recuſatæ fuerint, vel in aliquo impeditæ. Abſit hoc a nobis. nam, teſte Deo, nunquam in hoc viam iuſtitiæ ac diſſenſionis veritatis recuſauimus aut impediuimus: imo, vt verum fateamur, eam obtulimus, optauimus & optamus, & erga prædictos prædeceſſores tuos, te teſte, qui, vt percepimus, aliquando interfuiſti, & erga alios, quos negotium tangebat, cum debita ſolicitudine quæſiuimus & proſecuti fuimus; nec per nos vnquam ſtetit, ſtat aut ſtabit, quo minus iuſtitia & veritas huiuſmodi, quantum ad nos pertinet, videatur & agnoſcatur, ſicut ſatis ex oblatis per nos tuis prædeceſſoribus ante dictis poteſt liquide apparere: tamen de iure noſtro per ſcientiam & iuris euidentiam ſumus certi. Vt igitur de intentione noſtra quam habuimus circa huiuſmodi ſchiſmatis extirpationem & vnionis aſſecutionem, te reddamus certiorem, tibi præſentium tenore ſignificamus, quod vt tam peroptatum vnionis negotium celerius conſequi valeat, & ſecurius executioni demandari, parati ſumus

vna cum collegio venerabilium fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, in loco ſecuro & decenti ac idoneo tecum & cum quocumque ſucceſſore tuo decedentibus cum prædictis, qui apud partem tuam pro cardinalibus ſe gerunt, vel gerent, perſonaliter conuenire pro vnione eccleſiæ tractanda, & fauente Domino obtinenda, vbique prouiſo & ordinato de his quæ pro ſecuritate ac acceleratione vnionis prædictæ erunt opportuna & neceſſaria diſponenda, parati ſumus pro ſalute animarum, ac vnione & reintegratione Chriſtianorum, in dicta conuentione perſonaliter noſtro veriſſimo iuri & papatui pure, libere & ſimpliciter cedere & renuntiare: & efficaciter faciemus, ſi tu ibidem conſimiliter renuntiabis & cedes prætenſo iuri tuo & papatui, vel decedes, dummodo tu, vel quicumque ſucceſſor tuus, & illi qui apud partem tuam pro cardinalibus ſe gerunt aut gerent, ſi, vt præfertur, volueritis & voluerint cum effectu conuenire & concordare nobiſcum & cum venerabilibus noſtris prædictis, quod exinde canonica vnici Romani pontificis ſequatur electio & vnio eccleſiæ ſanctæ Dei. Oratores autem tuos, quos, vt aſſeris, ad noſtram præſentiam celeriter deſtinare proponis, libenter videbimus, benigne audiemus, & caritatiue tractabimus, eiſque iam ſaluum conductum per dictum conuerſum deſtinauimus. Quod etiam de abſtinendo a creatione cardinalium, niſi in certis caſibus, intimaſti, volumus & intendimus obſeruare. Feſtina igitur, tolle moras, concurre nobiſcum, & conſiderans humani operis breuitatem, tantum bonum non vltra differendo procraſtines, ſed celeriter vias ſalutis & pacis amplectaris, cum tandem in extremo iudicio cum numeroſa multitudine eorum qui nos in hac, quam præſtolamur, vnione ſequentur, quam ad illius ouile, præſtante Domino, reducemus. Ipſe paſtor bonus, qui pro ouibus ſuis animam ſuam poſuit, nos, vt de eius miſericordia ſperamus, in dilecta ſua tabernacula introducat. Datum Maſſiliæ apud ſanctum Victorem.

EPISTOLA II.

BENEDICTI XIII. PSEVDOPAPÆ AD PAVLVM LVCENSIVM DYNASTAM.

In Gregorium acriter inuehitur.

Benedictus epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio nobili viro Paulo domino Lucæ, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.

PROPTER nonnulla in quibuſdam partibus innouata, quæ ſenſibus quaſi palpantibus nobis innoteſcunt, conſiderato præſertim, quod cum Angelo dicto Corario, qui in hoc pernicioſo ſchiſmate ſe facit appellari Gregorium, poſt varios & ſæpe tentatos labores, non ſine perſonarum iactura, aliquem effectum ad bonum finem eccleſiæ vnitatis obtinere nequiuimus, de venerabilium fratrum noſtrorum conſilio & frequenti eorum inſtantia pulſati, deliberauimus pro præſenti corporali præſentia deſerere partes illas, & nos cum collegio noſtro reponere in ſecuro. Vt igitur ſcias eccleſiaſtica negotia qualiter remaneant pro præſenti, elicere poteris ex tenore literæ quam ſcribimus dicto Angelo Corario ſub hac forma.

Angelo Corario, qui in hoc pernicioſo ſchiſmate ſe fecit nominari Gregorium, pacis & vnionis affectum pariter & effectum.

Si te fateri veritatem non pigeat, præſertim cum ſit notorium, celare non poteris ea quæ tuis literis intimando etiam promulgaſti per orbem, vt ex vtriuſque ceſſione pax daretur eccleſiæ, & quod ſcriptis tuis per nos ad hoc ceſſionis viam offerendo dato reſponſo, & de conuentione in ciuitate Saonenſi pro excuſatione oblatorum hinc inde ſecuta concordia conuenire in ſtatutis terminis renuiſti, & quibuſdam interpoſitis per te excuſationibus friuolis, poſt dilationes varias a te datas, poſt aduentum noſtrum ad hunc locum, ad quem nos traxerunt Chriſti caritas & feruor compaſſionis animarum, bona fide ſimpliciter incedentes, non abſque noſtri atque noſtrorum fatigatione, & graui perſonarum iactura, per plurium menſium interualla cum Chriſtianorum ſcandalo renuiſti, cauteloſe per verba, &, quod referimus diſplicenter, denegatis multis, etiam nonnullis per te oblatis, quæ ad execu-

tionem concordatorum ad vnionem perficiendam erant plurimum vtilia & opportuna : de * vberiori tecum tractatu super huiusmodi vnione prosequenda omnem spem tollendo , nuntios nostros, eisdem prorogationem salui conductus & audientiam denegando, a tua præsentia vacuos remisisti. Hæc autem libenter silentio transiremus, nisi tua contumacia reciperet ex nostra taciturnitate fomentum. Postquam autem apud te passa est frequens nostra instantia repulsam, propter quædam in nonnullis partibus quibusdam instigantibus innouata, absque personali nostro & nostrorum periculo in his partibus moram trahere non valentes, cum apud te, vt clare cernitur, proficere non possumus, nolentes Deum tentare imminente periculo,ad aliquem locum, vbi nos cum nostro collegio valeamus hoc turbationis tempore reponere in securo, de fratrum nostrorum consilio eorumque instantia pulsati decreuimus declinare. Sed ne videamur, sicut nec intendimus , aduersitate intercedente huiusmodi * persecutionem vnionis dimittere neglectam , de dictorum fratrum consilio deliberauimus, nuntios nostros plena potestate fulcitos (qui, si velles ad cor reuerti, possent ad effectum vnionis & oblatorum procedere efficaciter in agendis) hic dimittere: impedientibus tamen ambassiatoribus carissimi in Christo filii nostri Caroli regis Francorum illustrissimi in his partibus moram trahentibus, saluus conductus dictis nuntiis necessarius non potuit obtineri. Quid autem super hac re simus vlterius, Deo auxiliante, facturi, intendimus vniuersis Christi fidelibus breuiter intimare. Tu vero, o homo, si scintilla compassionis animarum in te viget, quæ secundum Deum pro bono vnionis agenda restant, considera, & ad ea quæ obligaris ex debito, pro Dei misericordia te dispone, resecatis carnalibus desideriis, quæ contra animas militare non cessant. Nos enim ad oblata per nos semper promptos reperies, præteritos defectus tuos & contumaciam, si bene egeris, in memoria non tenentes. Deum enim in iudicem & negotiorum notorietatem in testem inuocamus, quod per nos non stetit, stat, aut stabit, quin vera vnio inducatur. Idus Iunii, pontificatus nostri anno XIV.

* al. vltetiori

* al. prosecutionē

[a] CONCILIVM AQVILEIENSE IN AVSTRIA,

ANNO CHRISTI 1409.

Pro tollendo schismate per Gregorium papam XII. anno Domini MCCCCIX. circa festum pentecostes celebratum.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Hanc Synodum Gregorius indixit anno pontificatus sui secundo, per epistolam quamdam apud Theodoricum a Niem lib. 3. de schismate extantem, quæ talis est.

Gregorius, &c. ad futuram rei memoriam.

Epistola qua indicitur Concilium.

CVM tota nostræ mentis intentio sit, Christianorum ecclesiam reunire, palpato per experientiam rerum magistram, quod per viam renuntiationis obstante iniquorum malitia id efficere hucusque nequiuimus, quam pure & sincere obtulimus, & in eadem perseuerantes perstitimus, & adhuc persistere non desistimus, secundum formam & intentionem nostri voti & iuramenti, nescientes diuini secreta consilii sæpenumero per effectum deiurantis, quia vanæ sunt cogitationes hominum, ad viam iuribus & antiquis consuetudinibus approbatam nos conuertimus, generale Concilium, quod omnes vias ad vnionem includit, nullam penitus excludendo, quodque congregare solius Romani pontificis esse dignoscitur, sine cuius auctoritate factum, non Concilium, sed Conciliabulum aut conuenticulum dicitur, & diffinitur nullum existere, ad festum pentecostes immediate sequentis, & in prouincia Aquileiensiũ & exarchatu Rauennatensi, diuino auxilio inuocato, de fratrum nostrorum consilio, auctoritate apostolica præsentium tenore indicimus, & etiam conuocamus, per apostolica scripta mandantes, quatenus venerabilibus fratribus nostris vniuersis, & singulis patriarchis, archiepiscopis & episcopis & dilectis filiis electis, & aliis ecclesiasticis prælatis, ac reliquis in prælaturis & dignitatibus constitutis, qui solent ex dignitatibus & prælaturis eorum in huiusmodi generalibus Conciliis interesse, quatenus ad id se personaliter in eisdem loco & tempore

transf-

ANNO CHRISTI 1409. transferant debito, ſcituri locum, quem ex eis duxerimus eligendum: quem quidem locum nunc expreſſe determinare & denuntiare nequiuimus propter varias circumſtantias, quibus locus talis vnitatis & pacis debet merito circumcingi. Et quoniam peſtiferum hoc ſchiſma tolli veriſimiliter non ſperatur, nec dari integritas vnionis populo Chriſtiano cum effectu, ſine dominorum temporalium voluntate, quorum honor & ſtatus tangitur: cariſſimos in Chriſto filios noſtros Rupertum Romanorum & alios reges, & nobiles viros, duces, principes, ceteroſque potentes, nec non communitatum & vniuerſitatum regimina principalia requirimus, monemus & hortamur in Domino, quatenus ad idem Concilium perſonaliter veniant, aut aliquos viros ſolennes, doctos & Deum timentes tranſmittant, vt fiat, Deo annuente, pax & vnitas eadem in populo Chriſtiano. Nulli ergo, &c. noſtræ indictionis, mandati, requiſitionis, monitionis & exhortationis infringere, &c. Si quis autem, &c. Datum Lucæ ſexto Nonas Iulii, pontificatus noſtri anno ſecundo.

Occaſio, locus, & tempus Concilii.

Hactenus epiſtola Gregorii papæ XII. de occaſione, loco & tempore eiuſdem Concilii, & de perſonis quæ interfuerunt, ſubiungit quæ ſequuntur: *Subſequenter vero circa finem menſis Iunii Gregorius cum pauca comitiua curialium & etiam armigerorum a Luca recedens, multum extenuatus in facie, & liuidi coloris, ac ſi iam in puncto mortis exiſteret, ſub ſaluo conductu eiuſdem Florentinorum, datis ſibi etiam per ipſos, prout petiit, ſufficientibus obſidibus, donec eſſet in loco tuto, ad eamdem ciuitatem Senenſium reuertebatur, vbi ſatis honorifice, vt creditur, ob reuerentiam regis Ladiſlai, quem Senenſes tunc & ante reuerebantur & diligebant, per ciues & communem populum recipiebatur: credidit tamen tunc ire verſus Ariminum recta via, ſed hoc eo iter agente, fuit quomodolibet impeditus. Stando igitur tunc per tres menſes vel circiter Senis, interim ad dilatandum ſchiſma alios nouos cardinales creauit, & poſtea verſus Ariminum tranſiuit, vbi etiam hiemando in quadrageſima tunc inſtanti ad terram ciuitatis Auſtriæ Aquileienſis diœceſis acceſſit, & ibi circa feſtum pentecoſtes tunc ſequens ſuum Conciliabulum celebrauit, paucis ibi exiſtentibus archiepiſcopis, epiſcopis & aliis eccleſiaſticis prælatis, aut procuratoribus eccleſiaſticorum prælatorum, nec non principum ſæcularium, qui in generali Concilio per ſummum pontificem conuocato de conſuetudine & more intereſſe tenentur.* Hactenus de Concilio Aquileienſi Theodoricus.

Conciliabulum.

*CONCILIABVLVM ARAGONIÆ

ANNO CHRISTI 1409.

AVCTORITATE BENEDICTI ANTIPAPÆ ET PSEVDOPONTIFICIS,

quem vulgo XIII. nominant, celebratum anno Domini MCCCCIX.

NOTA.

Acta Concilii.

* *Concilium.*] Acta Concilii Theodoricus a Niem lib. 3. ſchiſmatis, cap. 36. & 37. deſcribit his verbis : *Præfatus vero Petrus de Luna in ipſo regno Aragoniæ tunc temporis aliud Conciliabulum, in quo erant quamplures epiſcopi, abbates, & alii eccleſiaſtici prælati de Hiſpania, Cathalonia, & quibuſdam adiacentibus prouinciis de ipſius obedientia, celebrabat. In quo quidem Conciliabulo per eumdem Petrum facto, in diuerſis ſeſſionibus dicti epiſcopi, & alii ſui prælati qui illuc conuenerant, conſuluerunt finaliter in hæc verba.*

Sententia anticardinalium & ſchiſmaticorum.

Sanctiſſime ac beatiſſime pater, hoc ſacrum Concilium ad id quod in vltima ſeſſione per veſtram ſanctitatem primo loco propoſitum fuit, humiliter & deuote reſpondit, quod conſideratis & diligenter attentis his, quæ pro ſeruitio Dei & vnione ſanctæ matris eccleſiæ, & ſalute omnium fidelium, veſtra ſanctitas obtulit, acceptauit & proſecuta fuit, non parcendo laboribus, periculis & expenſis; conſideratis etiam iniuriis, oppreſſionibus, turbationibus & impedimentis, quæ nobis aliquorum præſumptione ingeſta ſunt, nec non variationibus, cauillationibus, refutationibus ac inconſtantia intruſi moderni & ſuorum prædeceſſorum : conſideratis etiam profeſſionibus & proteſtationibus per veſtram ſanctitatem hoc ſacro Concilio & alias factis, quas reputat ſufficientes; quæ omnia aperte liquent ex lectione geſtorum a tempore aſſumptionis veſtræ ſanctitatis ad apoſtolatus apicem vſq; ad tempus præſens : pro quibus omnibus ſanctitas veſtra & hoc meritum apud Deum, & perpetuum apud homines præconium reportare meretur : ipſum ſacrum Concilium, matura deliberatione ſuper his habita, puro corde & ſincera intentione credit, tenet & reputat vos fidelem, Chriſtianum atque catholicum ac verum Chriſti vicarium, nec credit, nec reputat vos, pater ſancte, eſſe vel fuiſſe ſchiſmaticum vel hæreticum, nec macula ſeu fautoriæ ſchiſmatis ſeu hære-

ANNO CHRISTI 1409. sis irretitum,& quanto humilius poteſt, hoc ſacrum Concilium veſtræ ſanctitati gratias agit pro promiſſis ex cordis intimis, ſeipſum deuote offerens ad veſtræ ſanctitatis obſequia, Deum ſuppliciter exorans, vt ſanctitatem veſtram in hoc ſacro vnionis negotio dirigere dignetur ad ipſius laudem & gloriam, totiuſque populi Chriſtiani pacem & quietem. Sanctiſſime ac beatiſſime pater, hoc ſacrum generale Concilium ſupplicat & conſulit humiliter & deuote ſanctitatem veſtram, primo, quod non obſtantibus quibuſcumque perſecutionibus & impedimentis vobis datis, dignemini propter Deum & bonum Chriſtianitatis proſequi efficaciter ſanctum vnionis ſanctæ matris eccleſiæ per viam renuntiationis *omnibus aliis viis prætermittendo, nulla tamen alia via excluſa. Item ſupplicat & conſulit præfatum Concilium ſanctitatem veſtram, quatenus oblationem per ſanctitatem veſtram factam intruſo de renuntiatione, in caſu renuntiationis vel mortis dignemini extendere ad caſum deiectionis eiuſdem intruſi, ſi fiat ſecundum fidem & obedientiam partis ſuæ, & etiam effectualiter de facto. Item ſupplicat & conſulit præfatum ſacrum Concilium ſanctitatem veſtram pro celebri & debita concluſione præmiſſorum obtinenda, dignemini certos nuntios, probos viros, Deum timentes, ad hoc idoneos, nomine & pro parte ſanctitatis veſtræ & veſtri collegii ac totius ſacri Concilii, mittere ad intruſum & ſuos anticardinales cum ipſo Piſis & alibi degentes, nec non ad illos dominos cardinales Piſis exiſtentes, & ad illos qui in hoc ſancto vnionis negotio proficere potuerunt, cum plena ac libera & ſufficienti poteſtate tractandi concordiam, firmandi & obligandi omnia & ſingula neceſſaria & vtilia ſeu opportuna ad præmiſſa, &, prout eis videbitur tempus breue & congruum, & locum idoneum & ſecurum, ac de ſecuritatibus & libertatibus in eundo, ſtando & redeundo, recipiendi, concordandi & obligandi, in quo ſanctitas veſtra illa omnia quæ concordata & firmata fuerint per ipſos, efficaciter exequatur perſonaliter: vel ſi perſonaliter ire noluerit, vel infirmitate corporali impedita fuerit, per alium ſeu alios habentes plenariam & liberam poteſtatem ad omnia quæ ſanctitas veſtra facere poſſet, vſque ad renuntiationem incluſiue. Item ſupplicat & conſulit præfatum ſacrum

*f. omn. al. viis prætermiſſis,

Concilium ſanctitatem veſtram, quatenus dignemini formam procuratorii in prædictis caſibus faciendi, mandandi, ordinandi, pleniori & meliori modo quo fieri & ordinari poterit. Item ſupplicat & conſulit præfatum ſacrum Concilium, quatenus dignemini tales conſtitutiones facere & prouiſiones adhibere, quod ſi non ante obtentam vnionem (quod abſit) contingeret ſanctitatẽ veſtram ab hac vita ad aliam euocari, poſſit ad vnionem debite & canonice procedi taliter, quod poſt obitũ ſanctitatis veſtræ propter defectum prouiſionis non differretur ſeu impediretur vnio, aut non, quod abſit, ſcandala vel ſubſchiſmata ſuſcitarentur, dignetur ſanctitas veſtra per debitas conſtitutiones ſeu remedia prohibere & prouidere, ne ad ſimilia perpetranda procedatur, ſub pœnis decretis & prohibitionibus ad hoc neceſſariis & opportunis. Subſcripta ſchedula fuit per Concilium oblata domino noſtro, & per eum benigne & ſimpliciter acceptata, cauſa acceptationis & contentationis de acceptatione factum fuit inſtrumentum publicum, manu domini noſtri & omnium de Concilio ſubſcriptum. ANNO CHRISTI 1409.

Hactenus Cõciliabulũ Benedicti, cuius etiã meminit Gobelinus c. 89.

CONCILIVM PISANVM VNIVERSALE, QVOD AD TOLLENDVM ſchiſma indictum, Gregorio pontifice & Benedicto pſeudopapa depoſitis, Alexandro V. conſenſu cardinalium vtriuſque obedientiæ electo, celebratum fuit anno Domini MCCCCIX.

Copia literæ conuocationis Concilii Piſani, quæ dirigitur domino Benedicto XIII.

Sanctiſſimo domino noſtro Benedicto XIII. miſeratione diuina ſummo pontifici, Deo humiles & deuoti oratores, epiſcopi, presbyteri & diaconi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, nunc in Liburno Piſanæ diœceſis exiſtentes, pro nobis & aliis reuerendiſſimis patribus dominis cardinalibus pro nunc abſentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte, cum ſupplici & deuota recommendatione vtriuſque hominis ſoſpitatem.

QVALITER hoc ſchiſma peſtiferum totius corporis eccleſiæ infectiuum, vnitatem lacerans & eneruans cari-

ANNO CHRISTI 1409. tatem, clerum inuoluens tortuosis laqueis, & populum subuertens, ab erroribus quamplurimis ecclesiæ fidem languentibus intromissis ortum habuit, & diuturnitatem adeo nociuam, vestræ sanctitati notum esse non dubitamus. Hæc enim in sui exordio modica visa erroris scintilla, cui cum per deliberationem Concilii, vt sanctorum patrum moris fuit, non extitit obuiatum. Sed duro proposito, via Concilii repulsa, fomenta adhibita per inordinatos & pernicioſos affectus, in quibus quærentes homines quæ sua sunt, non quæ Christi, adeo in flammam proximam exaltauit, mundum percurrit vniuersum, concutit clerum, subuertit populum, fidem maculat, sacramenta profanat, & ecclesiasticæ censuræ contemptum inducit, ecclesiæ libertatem omnino extinguit, & indeuotos reddit Christi charactere insignitos, vt vix dignosci valeat quis existat catholicus, cum plures appareant legis diuinæ transgressores, & mandatorum Dei manifestissimi contemptores. Et si hæc... nullatenus toleranda, quid ait vulgus de his qui bases & columnæ videntur ecclesiæ, qui horum malorum & tantorum scelerum dissimulatores esse videntur, diuidentes clerum ac populum, & versi in laqueum tortuosum, vbique ponunt scandalum in suarum & fere omnium perniciem animarum. Nihil aliud aiunt dici posse, nisi quod tanta scelera contra Deum, orthodoxam fidem, & sanctum Spiritum, animæ pertinaci commissa, inexpiabilia, teste scriptura, etiam sacrificiis reputentur. Si Heli peccatum longe leuius, vt sacra refert historia, inexpiabile fuit piaculum & delictum. Hæc enim pater sancte, ruina tam horribilis, tamque exosa in diuinæ maiestatis conspectu, vt habet communis existimatio, in manu nostra ludibriis plena, & vtinam non blasphemiis infecta, in nostri reprobatione consistit, qui cum ex debito debemus & tenemur, vt præmissa tollerentur de medio, nostros indefessos adhibuisse labores, nostra quæcumque exponere, etiam titulos dignitatum, animas nostras, & vltronee bibere calicem passionis, ambulatum est per deuia & non plana, & velut cæci palpantes clausos parietes, aperta, lataque & plana ianua reiecta est, velut spinosis aculeis & venenosis iaculis, & iuxta affectionem in conspectu Altissimi & hominum iudicio communi, voluntariam & non

ſanam, fulcitam magnis periculis latet, in illis conſiſtit ſumma ſecuritas & hominum conſcientiarumque indubia ſinceritas, ex quibus longo tempore declinata fuit ceſſionis via, in ingreſſu planæ ianuæ conſiſtebat ſolitaria, cum Dei graui offenſa innumeriſque periculis animarum. Et quamuis ex poſt exactis annorum curriculis fuit hæc via ſancta & neceſſaria, & communi omnium fidelium iudicio præelecta cum Angelo Corario, Gregorio nominato, per ſanctitatem veſtram recepta & etiam approbata; tot tamen & tantæ in illius habentur deſiderata executione adhibitæ difficultates, variationes, dilationes ac repudia circa locorum electionem & ſecuritates hinc inde, quod nullus effectus ſecutus eſt, nec aliunde ſperatur modo aliquo prouenturus, ſed quodam receſſu perpetuo in dicto pacis tractatu, imo verius repudio perenni abuſus in viam longinquam, nunquam ad agni nuptias per vnitatis vinculum, vt a multis creditur, intraturus. Sed mala ſub breui compendio conſiderantes prouide, ac pia mentis conſideratione penſantes, reuerendiſſimi patres nominati in parte alia cardinales a dicto Angelo Corario, Gregorio nominato, ad omnem viam habendæ vnionis plus quam deſcribi poſſit, mente & propoſito indurato receſſerunt, iuxta diuina mandata, ad quos de veſtræ ſanctitatis permiſſu & voluntate expreſſa quatuor ex nobis delecti fuerunt, & conuenientibus in Liburnum, cum quatuor ex eius cardinalibus nominatis: & demum nos omnes & ipſi in vnum conuenientes, proſpeximus communi & concordi voto, & matura habita deliberatione cum multis notabilibus prælatis & quamplurimis literatis viris Deum timentibus & pacem eccleſiæ habentibus in feruore caritatis, fore neceſſarium, vt per eccleſiam vniuerſalem congregatam huic tam peſtilenti morbo & inueterato laqueo, erroribus fidem tangentibus pleno ſubueniatur & occurratur in breui, ad ſeruandas omnium fidelium conſcientias, errores ſubmouendos notorios, virtutes inſerendas, animorum & eccleſiæ reformationem debitam & ſalubrem: & quod per nos in noſtra obedientia, & alios nominatos cardinales in ſua, prælati & alii qui vocandi fuerint, conuocentur per nos in ciuitate Piſana, & per illos in eadem ad terminum 25. diei menſis Martii proxime futuri. Et

ANNO CHRISTI 1409.

ANNO CHRISTI 1409. hunc modum conuocationis communi assensu assumpsimus propter neutrales & illos qui de obedientia dicti Angeli ad vestram, ac etiam illos de vestra qui ad vestram & dicti Angeli conuocationem nullatenus venirent, & propter defectus alias habitos in conuocatione Concilii, de quo sæpissime & diuersis decursis temporum interuallis fuit per nos vestra sanctitas requisita, & eidem humiliter supplicatum & alteri promissum, sed nullatenus adimpletum. Et vt omnis adhibeatur cautela, ex superabundanti vobis tenore præsentium supplicamus, & instanter requirimus, quatenus quantum in vobis est, dictæ conuocationi præbeatis assensum & opem, & quod vestræ sanctitati placeat in dicto loco & termino personaliter interesse, & in dicto Concilio conuenire, in quo nobis procurantibus plena & sufficiens securitas præstabitur in veniendo, stando & recedendo, & de qua ante dictum terminum congruo reseruato interuallo, sanctitatē vestram certificare curabimus. Et nos seu nostrorum maior pars eamdem sanctitatē vestram humiliter commemorare, cum omni honorificentia quæ summo debetur pontifici, & honorifice tractare, ad conseruationem vnitatis & pacis, & post ipsius exitum felicem. Hæc enim conuocatio ad locum & terminum antedictos nullo valet colore difficultari, impediri, seu quocumque conficto pallio differri, declinari seu mutari: cum & si in sanctitate vestra corporalis infirmitas vel aliud occurreret impedimentum, seu alias absentiæ iusta causa, possit & debeat, de quo vos solenniter requirimus, & alias fuit per nos consultum, hoc Dei tam necessarium negotium quoad illa quæ per vos facienda existunt, per deputatum a vobis quoad omnia necessaria vel expedientia præambula sufficientem auctoritatem habentem perfici, & procuratore sufficienti & spirituali mandato ac irreuocabili munitum, cessio pro parte vestra fieri Angelo nominato Gregorio cedente in propria persona, vel per procuratorem similem potestatem habentem, & irreuocabile & speciale mandatum, vel ipso sublato de medio, vel canonice per ecclesiam eiecto.

Quod si dictæ conuocationi opem & assensum præstare refugeritis, & in loco & termino antedictis conuenire, vel deputatum procuratorem, vt præmittitur, destinare: cum

extra terminos Italiæ nequeant partes, seu ipsarum altera ad conseruationem vnitatis habendæ, multis consideratis, ita commode & vtiliter conuenire, attento quod per Concilia particularia, si diuisim & in locis diuisis longa distantia separatis tenerentur, schisma extirpari non posset. Nos & alii qui ad vocationem nostram venerint, procedemus in negotio vnionis habendæ, & schismatis tam horrendi, errorumque fidem tangentium extirpatione, cum collegio cardinalium partis alterius, ac cum consilio vocatorum per nos & ipsos, attentis præmissis iuratis & conuentis per sanctitatem vestram & dictum Angelū, vt dictauerit spiritus sancti gratia, & alias fuit per sanctos patres in Romana ecclesia salubriter obseruatum, vestra aut dicti Angeli, seu alterius absentia non obstante. Suppliciter viribus iteratis exhortantes sanctitatem vestram in Domino, & per viscera misericordiæ Iesu Christi, qui ecclesiam suam fundauit precioso sanguine, vnamque esse voluit, ac in vnitate spiritus permansuram, sine qua & extra quam non est salus, quatenus conuocationi iam dictæ in loco & termino antedictis fiendæ opem & auxilium, vt decet zelatorem domus Dei, adhibere velitis. Ad quem sicuti de iure possumus super prædictis vos prouocamus ad causam, quia si, quod absit, nolueritis, aut impedimenta præstiteritis dictæ conuocationi & ad illam venientibus, ac nobis qui ad illam tendimus, eamque modis canonicis procurauimus, talia ad impedimentum vnionis ecclesiæ & ipsius schismatis perpetuationem censerentur luce clarius pertinere, cum ad veritatem contra falsitatem fuerit collata potestas, & ad ædificationem, non autem ad destructionem. Et si, quod absit, vellet sanctitas vestra impedimenta præstare, cum nihil sit per quod fiendæ vnitati, ad quam tendimus, posset per potestatem aliquam iuste fieri, cum in hoc prosequamur voluntatem diuinam, ecclesia, cuius vnitati claues a Christo concessæ sunt, talia non pateretur sub dissimulatione transire. Et circa præmissa vestram intentionem vestrumque propositum, & quod in præmissis agere intenditis, præsentialiter nobis notificare dignemini, vt proinde certitudine habita, prouidere valeamus quantum in nobis erit, circa vestram securitatem & libertatem, & alia necessaria, & ad tantum negotium opportuna. In

ANNO CHRISTI 1409.

quorum

ANNO CHRISTI 1409. quorum omnium & singulorum fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras literas & per notarium publicum infra scriptum subscribi & publicari mandauimus, ac nostrorum sigillorum fecimus appensione muniri. Datum & actum in loco Liburni supradicto, in claustro ecclesiæ dicti loci, nobis ibidem tunc Guidone Prænestino, Nicolao Albanensi, Petro Tusculanensi, episcopis, Petro tituli sanctæ Susannæ presbytero, Amedeo sanctæ Mariæ nouæ, & Petro sancti Angeli, diaconis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus congregatis & personaliter constitutis, ac omnia & singula suprascripta pro nobis & aliis dominis cardinalibus absentibus, nobis adhærentibus & adhærere volentibus in hac parte, approbantibus & ratificantibus, & de præmissis & eorum singulis vnum vel plura publica instrumenta nobis & cuilibet nostrum fieri petentibus, sub anno a natiuitate Domini 1408. indictione 1. & die 14. mensis Iulii, præsentibus reuerendis in Christo patribus & dominis Dei gratia Symeone patriarcha Alexandrino, administratore perpetuo ecclesiæ Carcassonensis, Petro episcopo Meldensi, ac venerabilibus & circumspectis viris magistris Roberto de Quesneio doctore, Ioanne Francisci licentiato in decretis, Ioanne Petri magistro in medicina, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis, sic subscriptis & signatis.

Et ego Ioannes Desmarquais de Monte acuto, clericus Laudunensis diœcesis, & imperiali auctoritate notarius, præmissis omnibus & singulis suprascriptis, dum per reuerendissimos in Christo patres, dominos supradictos sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales ratificarentur & approbarentur, vna cum prænominatis testibus præsens fui, & de præcepto eorumdem dominorum cardinalium præsentes literas per alium scriptas, vna cum trium priorum collegii dictorum dominorum cardinalium, de mandato & requisitione aliorum tunc dominorum cardinalium supradictorum, eisdem dominis prioribus factis super hoc, sigillorum appensione, me hic propria manu subscribenda signo meo consueto signaui, in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

De Marchias de Monte acuto.

ACTA CONCILII PISANI.

ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO I.

IN nomine Domini, amen. Anno a natiuitate eiuſdem milleſimo quadringenteſimo nono, more Romano, indictione ſecunda, die viceſima quinta menſis Martii, inchoatum fuit generale Concilium, ſiue ſancta Synodus, & celebratum in ciuitate Piſana, in quo erant plures cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, abbates, ſacræ theologiæ magiſtri, & vtriuſque iuris doctores, & licentiati notabiles, procuratoreſque plurium abſentium prælatorum: in quo quidem Concilio proceſſum extitit per hunc modum.

Primo, fuerunt factæ proceſſiones ſolennes, & poſtmodum in eccleſia cathedrali dictæ ciuitatis fuit Miſſa deuotiſſime per dominum cardinalem a Thurego celebrata, & ſermo factus per vnum alium cardinalem, ſcilicet Mediolanenſem. Miſſa vero celebrata, cantatæ fuerunt antiphonæ, & certæ orationes dictæ: & poſtmodum diaconus alta voce dixit: Orate. Tunc flexis genibus & inclinato capite, omnes orauerunt ſubmiſſa voce mitris poſitis: deinde diaconus & ſubdiaconus cantauerunt alta voce litanias, & omnes reſponderunt. Quibus finitis, vnus cardinalis epiſcopus dixit certas orationes ad propoſitum vnionis: quibus completis, quidam cardinalis diaconus legit euangelium. Quo lecto, vnus epiſcopus cardinalis incepit hymnum, Veni creator ſpiritus. Quo finito, duo cardinales diaconi, duo archiepiſcopi, & duo epiſcopi, cum pluribus doctoribus & notariis, ex ordinatione Concilii & mandato, ſe tranſtulerunt ad valuas eccleſiæ, & alta voce proclamauerunt, an Petrus de Luna & Angelus de Corario, qui Benedictus & Gregorius dicebantur, de papatu contendentes, eſſent hic præſentes, aut aliquis pro ipſis. Quibus non repertis, nec aliquo pro ipſis, ad eccleſiam redierunt, & in pleno Concilio relationem fecerunt. Qua relatione ſic facta, ſacrum Concilium certos ordinauit & conſtituit promotores, ſeu procuratores nomine eccleſiæ vniuerſalis, ad agendum, petendum & faciendum omnia neceſſaria, commoda & opportuna pro ſchiſmatis extirpatione,

ANNO CHRISTI 1409. contra prædictos dominos contendentes, imo verius colludentes de papatu,& pro ſancta vnione in eccleſiaDei habenda, prout in forma, &c. Ordinatique ſunt aduocati & notarii pro iſta cauſa deducenda. Quibus factis, procuratores prædicti accuſauerunt contumaciam dictorum contendentium de papatu, & petierunt eos reputari contumaces in materia ſchiſmatis & fidei, ac in contumacia & defectu poni. Et fecerunt legi citationes & prouocationes dictorum contendentium, & relationes executorum, &c. Quibus non obſtantibus, Concilium ſacrum de benignitate ordinauit expectandum vſque ad aliam ſeſſionem, quæ fuit ordinata ad vigeſimam ſextam diem dicti menſis Martii.

SESSIO II.

Qua die adueniente, celebrata Miſſa, & ſeruatis ſolennitatibus vt ſupra, dicti contendentes fuerunt euocati ad valuas eccleſiæ, modo quo ſupra in media ſeſſione. Et quia non comparuerunt, nec aliquis pro ipſis, fuit vt ſupra contumacia accuſata. Nihilo minus Concilium ſacrum iterum de benignitate dixit eos expectandos vſque ad penultimam diem dicti menſis Martii, ad quam diem ordinauit proximam ſeſſionem: qua die, videlicet trigeſima Martii adueniente, fuit proceſſum vt ſequitur.

SESSIO III.

Declaratio & decretū latum contra duos contendentes de papatu ob contumaciam ipſorum in cauſa fidei & ſchiſmatis cōtumaciæ, prolata ex ore domini Prænestini ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis Pictauienſis vulgariter nuncupati, ex commiſſione totius Concilii & aſſenſu vnanimi.

Vniuerſis & ſingulis, ſacra mandante Synodo, tenore præſentiū intimatur, quod hac die Sabbati penultima huius menſis Martii in eccleſia cathedrali Piſana, celebrata deuote & ſolenniter Miſſa, pro vnione ſacroſanctæ eccleſiæ ordinata, dictis in cantu litaniis, & deuotis orationibus, ac expletis aliis in talibus conſuetis; auditis quibuſdam propoſitionibus & petitionibus deputatorum, aduocatorum, & procuratorum ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ, iniquis de papatu contendentium auſibus, laceſſentium laceſſito-

rum; proh dolor: Imo diutissime per quas recensito, quod attenta contumacia infra scriptorũ de papatu contendentium, proxime lapsorum, in processu huius causæ descripta; petitum extitit, eosdem contendentes, etiam cardinales eis adhærentes, & alios ad huiusmodi Concilium legitime euocatos, reputari, decerni, & declarari contumaces, iam bis, & nunc tertio, prorogata seu continuata dies instat, in qua contendentes ipsi, & cardinales ipsis adhærentes, ceterique vocati comparere tenentur, accusatque legitime. ANNO CHRISTI 1409.

Tandem ipsa die contumacia prædictorum contendentium, & petito eos contumaces reputari, decerni, & declarari, ipsa sancta Synodus, seu hoc sacrosanctum generale Concilium ante dictum, præfatis contendentibus & aliis legitime, vt ex processu constat, ad valuas ecclesiæ vocatis, aliisque seruatis seruandis, vnanimi consensu vocatorum supradictorum contendentium & aliorum contumaciam reputauit, decreuit & declarauit per organum domini cardinalis Pictauiensis, vt in schedula continebatur, cuius tenor sequitur, & est talis.

Sancta Synodus, seu hoc sacrum generale Concilium dominos Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. nuncupatos, de papatu contendentes, & quantum in eis est, ecclesiam Dei notorie in schismate tenentes, legitime requisitos, vocatos & proclamatos in causa schismatis & fidei ad hoc præsens sacrum & generale Concilium & omnia in eo agenda non venientes, seu non comparentes legitime per se nec per alios, nec termino statuto satisfacientes, licet expectatos post terminum per duas sessiones, reputat, decernit & declarat in causa schismatis & fidei contumaces, ponitque in contumacia & defectu, & ordinat in eorum contumacia debere ad vlteriora procedi & procedendum fore: Ordinans sessionem aliam fieri die Lunæ post dominicam in Albis, quæ erit 15. die mensis Aprilis. Ad quam diem ordinat præsens generale Concilium dominum cardinalem Tudertinum domino Gregorio adhærentem, & dominos Ioannem Sabinensem episcopum, sancti Hadriani, sanctæ Mariæ in via lata, de Flisco, & de Chalanco, vulgariter nuncupatos, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales domino Benedicto adhærentes, de benignitate expectandos fore cum intima-

Anno Christi 1409. tione. Quod si prædicti duo contendentes, & præfati domini cardinales non comparuerint in dicto termino, ad vlteriora procedetur, eorum contumacia non obstante. Ordinauit nihilo minus præsentem ordinationem in valuis cathedralis ecclesiæ affigi publice, vt de præmissis non valeant ignorantiam allegare.

Sessio IV.

Qua die Lunæ decimaquinta mensis Aprilis aduenien-te, Missa ibidem celebrata, & aliis quæ ad diuinum cul-tum spectant, vt moris est in Concilio generali, vt supra declaratum est, & comparuerunt ambassiatores Ruperti de Bauaria sanctæ sedis imperatoriæ electoris, qui palam publice proposuerunt pro impugnando conuocationem contendentium: secundo subtractionem factam per car-dinales suæ obedientiæ: tertio vnionem collegiorum, &c. Quibus auditis: fuit eis dies assignata ad audiendum re-sponsionem super propositis ad vigesimum quartum diem dicti mensis Aprilis: fuitque his non obstantibus proces-sus continuatus, vt supra, vocando ad valuas ecclesiæ, si duo contendentes, aut eorum alter, vel aliquis pro eis esset in hac præsenti ciuitate Pisana, vt supra. Quibus non ap-parentibus, fuerunt reputati contumaces, vt supra, conti-nuando sessionem aliam ad diem Mercurii vigesimam quartam prædictam: quo termino pendente, præfati am-bassiatores imperatoris secunda die recesserunt illicentia-ti, & hospite non salutato.

Sessio V.

Dicta die Mercurii vigesima quarta mensis Aprilis ad-ueniente, Missa & solennitatibus seruatis, fuit accusata contumacia dictorum contendentium, vt supra: fecitque promotor seu procurator ecclesiæ vniuersalis proponi certos articulos contra ambos contendentes, concluden-tes plura ad propositum vnionis, & contra dictos conten-dentes: & requirebat quod darentur commissarii, licet perpetrata essent notoria, pro informatione maiori. Tunc fuit dies assignata ad hoc pro alia sessione, scilicet ad vlti-mam diem Aprilis.

ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO VI.

Qua adueniente comparuerunt Anglici, & proposuit episcopus Salberiensis solenniter dicens pro themate; *Iustitia & iudicium præparatio sedis tuæ*: concludens quod habebat a rege & regno Angliæ potestatem magnam ad omnia necessaria in hoc sacro Concilio rationabiliter tractanda: & postmodum fuit dies assignata pro alia sessione, ad diem Sabbati, quartam mensis Maii proxime futuram.

SESSIO VII.

Dicta die Sabbati adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis præmissis, quidam doctor Bononiensis Petrus de Anchorano dictus, solenniter respondit ad proposita per ambassiatores dicti Ruperti de Bauaria, licet absentes, & satis expectatos, ostendendo clare, quod proposita per eos erant manifeste friuola & nullius efficaciæ, fundendo clare intentionem Concilii, & quod ipsi ambassiatores tendebant ad impedimentum sanctæ vnionis. Et postmodum fuerunt dati per Concilium commissarii & nominati pro examinandis testibus super propositis per procuratorem seu procuratores Concilii, & ad recipiendum instrumenta & probationes, &c. etiam in absentia & contumacia dictorum contendentium. Et ista die, dominus episcopus Ebroicensis celebrauit Missam in maiori ecclesia, in præsentia sacræ Synodi: & fuit ordinatum quod aliqui eligerentur pro eundo ad regem Ladislaum, pro mitigando eum, &c. fuitque dies assignata ad diem Veneris proximam, scilicet decimam diem mensis Maii prædicti, pro alia sessione.

SESSIO VIII.

Qua die adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis, vt supra, dictum est pro parte procuratoris vniuersalis ecclesiæ, & fuit requisitum, quatenus Concilium sacrum vellet determinare & sententiare, &c. vnionem duorum collegiorum factam, fuisse & esse legitime factam, & facere vnum collegium, ratificare, approbare & confirmare; conuocationemque sacri Concilii per eos factam, fuisse & esse iuridice & legitime factam in loco ha-

ANNO CHRISTI 1409. bili, tuto & securo, ipsamque congregationem esse, & repræsentare Concilium vniuersalis ecclesiæ: ad ipsumque Concilium spectare & pertinere cognitionem, definitionem & decisionem omnimodam causæ vnionis ecclesiæ, & schismatis sedandi, contra duos contendentes de papatu, ecclesiam Dei detinentes in schismate notorie, cum omnibus pertinentiis, emergentibus & connexis. Et fuit petitum, si placeret omnibus. Et cum magna pars respondisset, quod placeret, placebat quod ita fieret: duo episcopi quoad primam conclusionem contradixerunt, videlicet Salisberiensis & Ebroicensis, dicentes quod non poterat fieri vnio duorum collegiorum, quamdiu cardinales Benedicti sibi obedirent, prout faciebant, aliis non obedientibus Gregorio XII. sed solum Deo & ecclesiæ: quia turpis est pars, quæ non congruit suo vniuerso. Et ita erat necesse, quod domini cardinales se subtraherent, vt esset vnio vniformiter obedientium & obedientiarum, *& multitudinis credentium esset cor vnum & anima vna.* Quibus auditis, fuerunt multa hinc inde prolocuta. Et tandem procurator prædictus ascendit pulpitum, & requisiuit, quod sancta Synodus (attenta pertinacia & contumacia dictorum duorum contendentium de papatu in materia schismatis & fidei, & quod notorie ecclesiam Dei detinerent in schismate contra eius voluntatem, & violenter contra eorum iuramenta & vota, ac debitum pastoralis officii, & de eorum manifesta collusione satis constet) vellet & dignaretur pronuntiare & declarare, a tempore quo constitit eos non habere vel non habuisse voluntatem vniendi ecclesiam per viam iuratam, & pro tanto bono per ecclesiam electam, quemlibet potuisse & debere recedere ab amborum obedientia, nec vlterius amplius debere eis obedire. Et petiit si hoc placeret omnibus: & responsum fuit iocose, quod sic, excepto quodam episcopo Anglico, & vno Alemano: & nihilo minus conclusum fuit vt petebat dictus procurator: & postmodum dominus patriarcha Alexandrinus, cum episcopo Salisberiensi, ascendit cathedram, & infra scriptis pronuntiauit sententiam auctoritate Concilii petitioni conformem; & de omnibus conclusionibus procurator ecclesiæ petiit fieri instrumentum ad perpetuam rei memo- Act. 4.

riam. Et fuit alia dilatio conceſſa ad examinandum teſtes ad octauam diem, ſeſſione ad eamdem diem aſſignata, ad procedendum vlterius prout de iure. ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO IX.

Die Veneris decima ſeptima prædicti menſis Maii adueniente, celebrata Miſſa, ſolennitatibus & ceremoniis ſeruatis, procurator eccleſiæ aſcendit pulpitum, & fecit requiri alta voce per aduocatum, quod ſubtractio in præcedenti ſeſſione facta declararetur, quoniam aliqui murmurabant. Et fuit de conſenſu omnium in Concilio exiſtentium pronuntiatum per os domini patriarchæ Alexandrini, licuiſſe ſe ſubtrahere ab obedientia amborum contendentium de papatu, a tempore quo, &c.

Item, quod a cunctis Chriſti fidelibus erat obedientia ſubtrahenda, & ab omnibus pro ſubtracta habenda: & ita mandabat Synodus.

Item, reuocatæ fuerunt ſententiæ latæ per contendentes contra ſubtrahentes.

Item ordinatum fuit, quod illi qui erant in Concilio iudices vel coniudices, poterant eſſe teſtes contra contendentes.

Item, quod commiſſarii poſſent articulos declarare.

Item decernit tertiam dilationem ad producendum teſtes, &c. & ad vlteriora procedendum fore, prout eidem ſanctæ Synodo videbitur expedire. Diem Mercurii proximam, quæ erit vigeſima tertia menſis Maii, ad quam diem ſtatuit & ordinauit proximam ſeſſionem, prout in quadam ſchedula ibidem lecta continebatur, cuius tenor ſequitur in hunc modum: Sancta & vniuerſalis Synodus hic in Chriſti nomine congregata, declarat, pronuntiat & decernit ex iuſtis & rationabilibus cauſis, a Petro de Luna, qui Benedictus XIII. & ab Angelo Corario, qui Gregorius XII. dicebantur, improbe contendentibus de papatu, & ab ipſorum cuiuſlibet obedientia licuiſſe recedere libere & pure; videlicet a præfato Benedicto ex tẽpore quo viam ceſſionis per eum ſolenniter iuratam realiter perſequi, & eam effectualiter adimplere damnabiliter omiſit: & a præfato Gregorio ex eo tempore quo viam ceſſionis per eum ſolenniter iuratam, voto promiſſam & firmatam,

ANNO CHRISTI 1409. matam, realiter persequi & effectualiter adimplere, damnabiliter prætermisit. Insuper sancta Synodus, ex causis quibus supra, pronuntiauit, statuit, ordinauit, & decreuit, præfatos contendentes de papatu ac ipsorum quemlibet, qui canonice requisiti & vocati in præsenti causa schismatis & fidei fuerunt celebrati legitime, contumaces fore, a cunctis Christi fidelibus omnimode obedientiam subtrahendam, & exnunc vt antea ab omnibus pro subtracta haberi. Et ita obseruandum decernit, pronuntiat atque mandat.

Processus autem & sententias condemnationum, priuationum, inhibitionum, & censuras quascumque per eosdem contendentes de papatu, aut ipsorum alterum in præiudicium persecutionis vnionis contra subtractos, & in posterum subtrahendos, factos, & in futurum fiendos, hæc sancta Synodus decernit & declarat cassos existere, ac nullius roboris vel momenti, & eos cassat & annullat, quatenus de facto processerunt, aut in futurum procedent.

Item, eadem sancta Synodusin fauorem fidei, & schismatis extirpationem, ac pro ecclesia lacerata vnienda & pacificanda, decernit, pronuntiat & declarat omnes cuiusque status, &c. etiam si cardinalatus præfulgeant dignitate, qui in causa præsenti sunt & possunt esse iudices seu coniudices, similiter esse posse legitimos testes, eorumque testimonio & depositioni fidem esse indubiam adhibendam.

Item, cum propter aduersitatem & prolixitatem articulorum in præsenti causa productorum, posset testium examinatio dispendio protelari, propterea sancta Synodus decernit, pronuntiat & declarat, quod domini commissarii seu examinatores ad hæc per sanctam Synodum deputati, possint dictos articulos declarare & specificare, ac in eis addere, detrahere & mutare, ac interrogatoria facere, prout vtilitati & accelerationi causæ videbunt expedire.

Et ex prædictis, causa cognita & deliberata, dat, statuit, & decernit tertiam dilationem ad probandos & producendos testes, & ad vlteriora procedendum, (prout eidem sanctæ Synodo videbitur expedire) diem Mercurii proximam, quæ erit dies vigesima secunda huius mensis, ad

quam diem ſtatuit & ordinat proximam ſeſſionem, pronuntiationem per patriarcham Alexandrinum die vigeſima ſeptima dicti menſis Maii 1409. in ſacro Concilio generali Piſis celebrato. ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO X.

Die Mercurii adueniente, quæ fuit vigeſima ſecunda menſis Maii, celebrata Miſſa, & illis quæ ad diuinum officium ſpectant, procurator eccleſiæ fecit per aduocatum proponi, quod domini cardinales Laudenſis & ſancti Angeli ſenior, & alii prælati, & domini dati commiſſarii ad examinandos teſtes, & recipiendas probationes & inſtrumenta contra duos improbe contendentes de papatu, teſtes audiuerant, & in ſcriptis redigi fecerant per notarios ordinatos per Concilium, aliaſque probationes & inſtrumenta ad cauſam facientia receperunt, erantque parati legitimam facere relationem per vnum ex ipſis prælatis commiſſariis, videlicet per organum domini archiepiſcopi Piſani, ſi Concilio placeret. Et reſpondit Concilium, placet. Quo facto dictus aduocatus nomine quo ſupra, petiit & requiſiuit, quatenus dicti contendentes eſſent vocati ad hanc diem, ad audiendum teſtium publicationem; & quod domini cardinales cum aliquibus prælatis & aliis more ſolito irent ad fores eccleſiæ, & eos vocarent, aut ſi eſſent præſentes, vel aliquis pro ipſis: & de hoc fecerunt relationem in pleno Concilio, quod ſacro Concilio placuit. Et tunc domini cardinales de Columna & ſancti Angeli cum aliis pluribus prælatis & doctoribus ac notariis iuerunt ad valuas eccleſiæ, & alta voce petierunt, an contendentes de papatu, vel eorum alter, aut etiam aliquis pro eis adeſſet. Quibus ſic factis, ad Concilium redeuntes, retulerunt, nec contendentes adfuiſſe, nec aliquem pro eis comparuiſſe. Qua de cauſa, quoad iſtum actum, per Concilium fuerunt reputati contumaces: & fuit concluſum, quod erat vlterius procedendum ad relationem & publicationem, eorum contumacia non obſtante. Et ſtatim dictus archiepiſcopus Piſanus cum vno notario ſacri Concilii aſcendit pulpitum, in quo propoſuit, quod de mandato dominorum commiſſariorum ſuorum collegarum erat ordinatus ad faciendum relationem & publicationem ſub tali

ANNO CHRISTI 1409. forma: Quod dictus notarius speciatim legeret singulos articulos, alias datos & lectos in pleno Concilio, contra dictos contendentes, ita quod super quolibet articulo seorsim & separatim dictus dominus archiepiscopus Pisanus adaptaret testes super articulos productos, designando numerum & qualitates, status, gradus, dignitates & præeminentias singulorum testium: & ita factum est. Et quia dictus notarius hac die legit articulos vsque ad numerum viginti, & in quolibet articulo faciebat pausam; & postmodum archiepiscopus Pisanus dicebat sic: Iste articulus est probatus tamquam verus, manifestus & notorius, per quindecim testes, quorum quatuor sunt cardinales, vnus patriarcha, quinque episcopi, & quatuor doctores, & vnus licentiatus in decretis: & quandoque dicebat, quod articulus erat probatus per decem, aliquando per viginti duo, aliquando per viginti quinque, aliquando per duodecim, aliquando plus, aliquando minus. Ita tamen quod non fuit articulus, quin esset probatus verus ad minus per quinque testes omni exceptione maiores. Et quia tunc erat tarde, Concilium continuauit istum actum, ad procedendum vlterius, & consequenter in negotio præsenti, ad primam diem, quæ erat vigesima tertia mensis Maii.

SESSIO XI.

Die vigesima tertia Maii adueniente, seruatis solennitatibus & ceremoniis consuetis, notarius qui de prædictis articulis viginti legerat, continuando materiam, legere cœpit articulos sequentes vsque ad numerum triginta septem inclusiue: & postmodum legit quoque alios paucos articulos, & in continenti archiepiscopus Pisanus ad quemlibet articulum adaptabat probationes, eo modo quo dictum est in præsenti sessione. Quibus completis, aduocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & proposuit, vt sequitur.

Reuerendissimi in Christo patres, audiuistis sufficienter & plenam relationem heri & hodie factam hic in vestrum & totius sanctæ Synodi præsentia, recitatam per reuerendissimum patrem dominum archiepiscopum Pisanum, de mandato & auctoritate reuerendissimorum dominorum

cardinalium Laudentium & ſancti Angeli, ac dominorum prælatorum & aliorum commiſſariorum examinatorum in præſenti cauſa, per hanc ſanctam Synodum deputatorum: & quia ex eorum authentica & ſufficienti relatione clare conſtat, omnia & ſingula quæcumque propoſita & producta contra dictos contendentes, imo verius colludentes de papatu, eſſe vera, publica, notoria & manifeſta, ita quod non poſſint aliqua tergiuerſatione celari, propterea peto, ſupplico & requiro, nomine & pro parte procuratorum & promotorum, ad perſecutionem cauſæ præſentis, per hanc ſanctam Synodum pronuntiari, decerni & declarari, omnia & ſingula in dicta petitione contenta eſſe vera, publica, notoria & manifeſta; & ſuper his tamquam veris, probatis ſufficienter publicis, notoriis & manifeſtis, ad vlteriora procedere, prout tam magnæ neceſſitati eccleſiæ, & pertinaciæ, contumaciæ & obſtinationi dictorum B. & A. hæc ſancta Synodus videbit expedire. Auditis ſancta Synodus petiit deliberationem Concilii, & fecit pronuntiari per dominum archiepiſcopum Piſanum in hunc modum. ANNO CHRISTI 1409.

Sancta Synodus audita tali relatione, ſtatuit terminum ad deliberandum & audiendum determinationem dicti Concilii ſuper prædictis petitis & requiſitis, ad diem Sabbati, quæ erit vigeſima quinta præſentis menſis Maii, & ad vlteriora procedendum, prout ſanctæ Synodo videbitur, ad quam diem ſtatuit proximam ſeſſionem.

SESSIO XII.

Qua die adueniente, ſeruatis ſolennitatibus & ceremoniis, vt ſupra, aduocatus eccleſiæ aſcendens pulpitum, ſupplicauit, petiit & requiſiuit nomine quo ſupra, pronuntiari ſuper notorio, prout alias latius in vltima ſeſſione petierat & requiſierat. & petitum fuit ab omnibus in Concilio præſentibus, ſi placeret: qui omnes & ſinguli reſponderunt, placet. Quo facto, patriarcha Alexandrinus, de voluntate & aſſenſu Concilii, aſcendit pulpitum, & pronuntiauit vt in ſchedula continebatur, cuius tenor ſequitur, & eſt talis.

Sancta Synodus, attenta eorum de quibus agitur notorietate, denique per euidentiam depoſitionum te-

ANNO CHRISTI 1409. ſtium, & alia documenta, legitime conſtat; habitaque ſuper his deliberatione matura, decernit, pronuntiat & declarat, delicta omnia & exceſſus, ac alia ad deciſionem neceſſaria in petitione præſentis cauſæ deducta contra dictos Benedictū & Gregorium de papatu contendentes, per promotores ſeu procuratores per hanc ſanctam Synodum deputatos, fuiſſe & eſſe notoria, & tamquam ſuper notoriis, fuiſſe & eſſe ad vlteriora procedendum; & tamquam in cauſa, in qua imminet ſcandalum, & periculum eſt notorium in mora. De qua quidem pronuntiatione dicti procuratores petierunt inſtrumentum vnum, vel plura, ad perpetuam rei memoriam, a protonotariis & aliis notariis ibidem præſentibus.

Quibus ita expeditis, fuit per dictum Concilium reuocata poteſtas commiſſariorum, antea data ad examinandum teſtes: fuitque ſuper hoc data poteſtas per Concilium, de eligendo & mittendo nuntios & legatos idoneos ad dominum Lucanum, & ad Senenſem, pro facto eccleſiæ. Et inſuper fuit dies aſſignata, proxima ſeſſione ad diem Mercurii proximam, quæ erit 29. menſis Maii, ad deliberandum de citatione contra contendentes faciendam, pro audiendo ſententiam definitiuam, & etiam pro ordinando de die ferendi dictam ſententiam, & agendi ad procedendum vlterius, prout ſacro Concilio videbitur, & fuerit expediens: & ſic dictum Concilium receſſit.

SESSIO XIII.

Die Mercurii vigeſima nona dicti menſis Maii adueniente, ſeruatis ſolennitatibus & ceremoniis vt ſupra, quidam valentiſſimus magiſter in theologia, vocatus magiſter Petrus Plaoul, aſcendit pulpitum, & propoſuit verbum Dei, videlicet: *Congregabuntur filii Iuda & filii Iſrael pariter, & ponent ſibimet caput vnum*, Oſeæ 1. in fine: & deduxit pulcre exaltando eccleſiam, & aſſerendo eam eſſe ſupra papam. quod deduxit pluribus rationibus, tam ex parte materiæ, ſcilicet animarum; quam ex parte formæ, quæ eſt Spiritus ſanctus; quam etiam ex parte cauſæ efficientis, quæ eſt ipſe Chriſtus; quam etiam ex parte finis, quæ eſt ipſe Deus in eccleſia triumphante. Et poſtmodum poſuit opinionem vniuerſitatis Pariſienſis, videlicet

Hinc planum est, controuersiam de Concilii supra pontificem auctoritate, agitatam fuisse in hac Synodo Pisana.

quod Petrus de Luna est schismaticus, pertinax & hæreticus, etiam accipiendo hæresin proprie & stricte: præcisusque ab ecclesia Dei, eiectus a iure papatus, & priuatus, ac per Concilium de facto tamquam talis eiiciendus & priuandus. Et hæc declarauit pluribus rationibus, & subiunxit, quod de eadem opinione erant vniuersitates Andegauensis, Aurelianensis, & Tolosanensis. Ipso autem descendente de cathedra, ascendit quidam episcopus Italicus, qui opinionem centum & trium magistrorum in theologia, & plurium licentiatorum, & baccalaureorum formatorum, ac vniuersitatis Bononiensis, in quadam schedula publicauit, quæ est conformis opinioni vniuersitatis Parisiensis. ANNO CHRISTI 1409.

Postmodum autem aduocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & petiit diem assignari ad sententiam definitiuam ferendam, & etiam citationem peremptoriam decerni per edictum ad valuas ecclesiæ cathedralis ciuitatis Pisanæ & loca insignia, contra dictos contendentes de papatu: quam diem petiit assignari Mercurii proxima, quæ erit quinta dies mensis Iunii proxime futuri; & quod illa die fieret vna sessio. Requisiuit insuper, quod pendente dilatione, medio tempore, videlicet die Sabbati proxima, quæ erit prima mensis Iunii, fieret vna sessio, ad audiendum publicari certas attestationes super nouis & antiquis de nouo receptis, ex abundanti cautela, contra dictos duos contendentes. super quibus omnibus petiit a sacro Concilio, an placeret. Omnes autem de Concilio responderunt, placet. Super quibus omnibus petitis & requisitis per episcopum, tam de die sententiæ ferendæ, quam etiam de citatione & sessione media: de quibus petierunt procuratores instrumentum ad perpetuam rei memoriam: & sic Concilium recessit. Die autem Sabbati aduenient, quæ fuit prima mensis Iunii dicti anni 1409. congregato Concilio in ecclesia cathedrali Pisana, & seruatis solennitatibus & ceremoniis consuetis, ac nonnullis orationibus ad factum vnionis ecclesiæ dictis, dominus archiepiscopus Pisanus ascendit pulpitum: & quia aliqui volentes plus sapere quam sapere oportet, non fuerunt ad plenum contenti de relatione alias per eum facta, tum quia multi non viderant attestationes, tum quia non fuerat facta relaxatio,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1409. nisi dumtaxat super notorietate facta, & non super veritate eorumdem. Ideo ad obseruandum omnes circumstantias, de mandato dominorum cardinalium, & plurium episcoporum, & aliorum qui dati fuerant commissarii per Concilium ad examinandum testes, idcirco fecit relationem suam ex abundanti per hunc modum: Quia primo sumebat sigillatim vnumquemque articulum, exprimendo eius substantiam & effectum; & post statim subiungebat, satis iste articulus probatur verus per tot testes, quorum tres sunt cardinales, quinque episcopi, & duo doctores, & tres auditores, &c. Et sic de omnibus articulis, vsque ad finem; qui omnes fuerunt probati veri, & quilibet, per plures testes magnæ auctoritatis: in fine neque subiunxit, si essent aliqui de Concilio, qui vellent videre ad longum attestationes, quod irent die Lunæ & Martis proxima ad conuentum Carmelitarum, & ibi reperirent notarios, qui omnia ad plenum eis ostenderent, de quibus, &c. vt supra.

SESSIO XIV.

Die Mercurii adueniente, quæ fuit quinta mensis Iunii, seruatis solennitatibus & ceremoniis, vt alias fuerunt seruatæ, aduocatus ecclesiæ ascendit pulpitum, & proposuit, quod die Mercurii vltime præterita fuit decretum citatorium contra dictos contendentes de papatu, ad audiendum sententiam definitiuam in præsenti causa vnionis ecclesiæ schismatis & fidei, scilicet ad diem hodiernam quintam mensis Iunii, videlicet per edictum ponendum & affigendum in valuis huius basilicæ, & aliis locis insignibus ciuitatis, prout factum fuit, & constat per relationem legitimam cursorum, ac etiam per rei euidentiam. Ideo petiit & requisiuit, quod omnes domini cardinales & alii prælati se transferrent ad valuas ecclesiæ prædictæ, & proclamarent, & requirerent, an dicti contendentes de papatu improbe, aut aliquis pro ipsis aut aliquo ipsorum, esset præsens. Et relatione dictorum cursorum facta, petiit sententiam definitiuam in scriptis fieri, etiam contumacia non obstante, quam accusabat nomine quo supra. Quibus sic factis, duo cardinales, videlicet de Columna & sancti Angeli iunior, & duo archiepiscopi, videlicet

Ianuensis & Pisanus, pluresque doctores solennes & notarii, ad valuas dictæ ecclesiæ se transtulerunt, & proclamauerunt bis, aut ter, an, &c. Quibus reuersis, retulerunt se dictos contendentes de papatu non reperiisse, nec aliquem pro ipsis. Ex quo procuratores petierunt sententiam definitiuam contra eosdem contendentes, vt supra, etiam contumacia non obstante. Et petiit aduocatus ecclesiæ, si placeret omnibus, quod sententia definitiua ferretur per dominum patriarcham Alexandrinum. qui responderunt, placet. Quo facto, dictus dominus patriarcha, astantibus sibi aliis duobus patriarchis, scilicet Antiocheno & Hierosolymitano, vno a dextris & alio a sinistris, & sedens pro tribunali in dicto pulpito, in scriptis pronuntiauit sententiam definitiuam contra dictos duos contendentes voce alta & intelligibili, valuis prædictæ ecclesiæ omnibus apertis, & innumerabili multitudine populi, quantum ecclesia poterat capere, assistente. ANNO CHRISTI 1409.

Tenor sententiæ definitiuæ contra prædictos contendentes de papatu.

CHRISTI nomine inuocato, sancta & vniuersalis Synodus, vniuersalem ecclesiam repræsentans, & ad quam cognitio & decisio huius causæ noscitur pertinere, sancti Spiritus gratia in hac maiori ecclesia Pisana congregata, ibique pro tribunali sedens, visis & diligenter exceptis omnibus & singulis, productis, probatis & agitatis in præsenti causa vnionis ecclesiæ, fidei & schismatis, contra Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corariũ, Gregorium XII. olim appellatos, quæ in præsenti processu & causa plenius continentur, ac quibuscumque aliis ipsam sanctam Synodum ad infra scriptam definitiuam sententiam* mouentem & inducentem, habita prius inter seipsos, & denuo inter tam copiosam multitudinem magistrorum in theologia sacra, atque vtriusque iuris doctorum, priusque & pluries diligenti collatione, & tandem deliberatione matura, omnesque pariter in hanc sententiam reperiens vnanimiter concordare, omnibus modo, via & iure, quibus magis & melius potest in prædictis contendentibus, seu verius colludentibus de papatu, & cuiuslibet eorum contumacia, in his scriptis pronuntiat, decernit,

*f. mouentibus & inducentibus,

ANNO CHRISTI 1409. cernit, definit & declarat, omnia & singula crimina & excessus, & alia cuncta necessaria ad infra scriptam decisionem præsentis causæ deducta, per prouidos viros Henricum de Monteleone, Ioannem de Scribanis, & Bertholdum Voiederghensem, promotores, instigatores & solicitatores, seu procuratores deputatos ad persequendum præsentem causam, pro huius detestandi & inueterati schismatis huiusmodi extirpatione, & vnione atque reintegratione sanctæ matris ecclesiæ, contra & aduersus prælibatos Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum Corarium, Gregorium XII. de papatu damnabiliter contendentes, ab aliquibus nuncupatos, in petitione coram ipsa sacra & vniuersali Synodo præsentata & exhibita fuisse, & esse vera atque notoria, ipsosque Angelum Corarium & Petrum de Luna, de papatu, vt præfertur, contendentes, & eorum vtrumque fuisse & esse notorios schismaticos, & antiqui schismatis nutritores, defensores, approbatores, fautores & manutentores pertinaces, nec non notorios hæreticos, & a fide deuios, notoriisque criminibus enormibus periurii & violationis voti irretitos, vniuersalem ecclesiam sanctam Dei notorie scandalizantes, cum incorrigibilitate, contumacia & pertinacia, notoriis, euidentibus & manifestis: & ex his & aliis se reddidisse omni honore & dignitate, etiam papali, indignos, ipsosque & eorum vtrumque propter præmissas iniquitates, excessus, & crimina, ne regnent vel imperent, aut præsint, a Deo & sacris Canonibus fore ipso facto abiectos & priuatos, & etiam ab ecclesia præcisos. Et nihilo minus, ipsos Petrum & Angelum, & eorum vtrumque, per hanc definitiuam sententiam in his scriptis priuat, abiicit & præscindit, inhibendo eisdem ne eorum aliquis pro summo pontifice gerere se præsumat, ecclesiamque vacare Romanam, ad cautelam decernendo, & insuper omnes Christicolas quoscumque, etiam si imperiali, regali, vel alia qualibet præfulgeant dignitate, declarat ab eorum & cuiuslibet eorum obedientia (non obstante quocumque fidelitatis iuramento, aut alio quouis vinculo, quo illi vel eorum alteri tenerentur astricti) fore perpetuo absolutos. Inhibendo iisdem Christi fidelibus, ne prædictis de papatu contendentibus, seu eorum

alteri, quomodolibet obediant, pareant, vel intendant, aut consilium, auxilium, vel fauorem ipsis præstent, aut ipsos recipiant vel receptent, sub pœna excommunicationis, & aliis a sanctis patribus & sacris Canonibus inflictis, promulgatis, & ordinatis. Quodque si parere contempserint huic ordinationi & sententiæ, ipsos & eorum fautores, defensores, adhærentes, & sequaces, etiam per sæculares potestates fore compescendos, & compesci debere, iuxta præcepta diuina & sacrorum Canonum dispositiones, eadem sancta Synodus pronuntiat, decernit & definit: ac insuper, omnes & singulos processus & sententias excommunicationis, inhabilitatis, vel alterius censuræ & pœnæ, priuationesque ordinum & dignitatum, etiam cardinalatus, beneficiorum & officiorum, ac graduum quorumcumque, qualescumque fuerint, & quocumque nomine nuncupentur, seu nominentur, contra dominos cardinales per dictos Petrum de Luna & Angelum Corarium latos & fulminatos, fuisse & esse nullos, cassos & irritos, nullas, cassas & irritas, ac nullius roboris, efficaciæ, vel momenti: & quatenus de facto processerunt, eatenus annullandos, cassandos & irritandos fore: sicque etiam ad cautelam, quantum & quatenus expediat, omni modo & iure quo melius potest, annullat, cassat & irritat. Et insuper promotiones, imo potius profanationes quorumcumque ad cardinalatum, per dictos contendentes de papatu, & eorum vtrumque attentatas, videlicet per dictum Angelum a die tertia Maii, & per Petrum antedictum, a die decimaquinta Iunii anni proxime præteriti millesimi quadringentesimi octaui, fuisse & esse nullas, cassas, irritas & inanes, & quatenus de facto processerunt, annullandas, cassandas & irritandas; & sic etiam ad cautelam, quatenus expedit, omni modo & iure quibus melius potest, præfata sancta Synodus per hanc sententiam definitiuam cassat, irritat & annullat. ANNO CHRISTI 1409.

Ad prouidendum autem aduersus processus, constitutiones & sententias in præiudicium vnionis, & alias per Petrum de Luna & Angelum Corarium, olim contendentes de papatu, seu colludentes præfatos, factas & latas contra reges, principes, patriarchas quoque, archiepiscopos, episcopos, & alios ecclesiarum prælatos, vniuer-

ANNO CHRISTI 1409. sitates quoque studiorum & communitates, ac singulares personas ecclesiasticas & sæculares, & certas promotiones per ipsos olim contendentes factas ad dignitates quascumque, & vlterius procedendo super aliis bonum vniuersalis ecclesiæ tangentibus, sancta Synodus statuit diem Lunæ proximam pro sessione futura, quæ erit decima mensis præsentis, & assignauit eamdem diem Lunæ pro dicta sessione, ad prouidendum super aliquibus quæ concernunt statum & bonum regimen ecclesiæ vniuersalis. Quo facto, omnes cantauerunt: Te Deum laudamus. & fuit ordinata solennis processio ad diem crastinam, octauam diem sacramenti: fuitque vlterius ordinatum, quod nullus recedat de Synodo absque licentia, & donec se subscripserit in sententia prælibata.

SESSIO XVI.

Qua die Lunæ, decima mensis Iunii adueniente, seruatis solennitatibus, prout supra, archiepiscopus Pisanus supra dictus ascendit pulpitum, & legit quamdam schedulam mentionem facientem, quod domini cardinales promittebant Deo sic, quod procurarent toto posse, quod is qui in papam eligeretur, reformaret ecclesiam, & quod non pateretur aut permitteret Concilium dissolui, donec de Concilio esset facta bona reformatio ecclesiæ, tam in capite, quam in membris.

Sequitur tenor schedulæ.

Nos omnes & singuli episcopi, presbyteri & diaconi cardinales congregati in ciuitate Pisana pro schismatis extirpatione, vnitate & bono statu in Dei ecclesia inducendo, promittimus in verbo veritatis, Deo, ecclesiæ Romanæ & sanctæ Synodo hic in Christi nomine congregatæ, quod si quis nostrum in summum Romanum pontificem eligatur, præsens Concilium continuabit, nec dissoluet, nec dissolui permittet, quantum in eo erit, vsquequo per consilium eiusdem Concilii sit facta debita, rationabilis & sufficiens reformatio vniuersalis ecclesiæ & status eius, tam in capite, quam in membris. Et promittimus etiam, quod si aliquem de dominis cardinalibus absentibus, vel de extra nostrum collegium, assumi contingat in

papam, veraciter & bona fide, antequam procedamus ad publicationem electionis illius, procurabimus toto posse, habere ab eo permissionem & sufficientem securitatem, quod seruabit & implebit omnia & singula supradicta: & interim de lata sententia contra contendentes, super eorum eiectione de papatu, sumus contenti, & ratum habemus, quod sede vacante Concilium continuetur, & quod in eo quantum commode fieri poterit, in dicta reformatione procedatur, & quod super hoc in proxima sessione alia sessio indicatur. Et fuit assignata alia sessio ad diem Iouis proximam, quæ erit 13. dicti mensis Iunii, ad prouidendum super aliquibus, quæ notoria videntur pro bono vnionis. ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO XVII.

Dicta die Iouis adueniente, seruatis seruandis, patriarcha Alexandrinus cum aliis duobus patriarchis, videlicet Antiocheno & Hierosolymitano, ascendit pulpitum, & legit quamdam schedulam, cuius tenor sequitur, & est talis. Item quia huius pestiferi schismatis tempore, dominorum cardinalium in sacro Concilio existentium quidam sunt a diuisis olim per contendentes de papatu creati, & nunc Deo dirigente procedendum est ad electionem vnici & indubitati summi pontificis; hoc sacrum Concilium vniuersalem ecclesiam repræsentans, consentit, disponit, & ordinat, quod ipsi sic a diuisis creati, ad electionem prædictam procedant, si & inquantum opus est hac vice, auctoritate huius sacri Concilii, nec per hoc potestati dominorum cardinalium circa electionem Romani pontificis intendit in aliquo derogare, nec aliquid innouare: sed hortatur omnes prædictos dominos cardinales, quod ipsi cum caritate ad electionem vnius pastoris procedant sic vnanimiter, quod de quacumque discordiæ scintilla notari non debeant.

SESSIO XVIII.

Die Veneris 14. mensis Iunii, anno Domini millesimo quadringentesimo nono, facta processione generali in ciuitate Pisana, in qua fuerunt domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, abbates, doctores & totus clerus, & fuit Missa celebrata deuote per cardinalem de Thureyo,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1409. super facto vnionis sanctæ matris ecclesiæ. Postmodum comparuerunt illico ambassiatores regis Arragonum, & petierunt audientiam, quæ fuit eis concessa, dum tamen docerent de eorum mandato. Et quidam doctor, ambassiator ipsius regis, ascendit pulpitum, & proposuit bonam regis Arragonum intentionem, quam habet ad sanctæ matris ecclesiæ vnionem; & asserebat se ad hoc laboraturum: & petiit se de actis in Concilio agitatis informari, quoniam informatione habita, paratus erat facere debitum. Protestabatur tamen, quod non intendebat approbare vel consentire aliquo modo actis in dicto Concilio, donec esset plenius informatus: de quo petiit instrumentum. & insuper dixit, quod nuntii domini Benedicti papæ XIII. erant in villa: & fuit tunc sibilatus & illusus, quia dixit & vocauit eum papam, & petiit audientiam pro eis. Ad quod fuit responsum, regratiando de voluntate regis Arragonum. Et fuit responsum, quod libenter darentur deputati auctoritate Concilii, qui ipsos regis ambassiatores informarent ad plenum de omnibus, &c. Quo ad nuntios Petri de Luna, dictum fuit, quod tarde venerant, & quod ad præsens audiri non poterant, & quod domini super hoc deliberarent. Postea fuit deliberatum ea die, quod licet de iure contra sententiam latam contra hæreticum audiri non debebant, tamen ob reuerentiam regis Arragonum audirentur ad partem: & sic Concilium recessit.

Eadem die Veneris, prandio sumpto, in ecclesia sancti Martini Pisanensis apparuerunt legati regis Arragonum, petentes audientiam pro nuntiis Petri de Luna: quæ fuerat eis concessa. Et cum veniebant ad dictam ecclesiam, fuit clamatum contra eos, tamquam contra Iudæos: & quando intrauerunt locum Concilii, nulla est eis reuerentia facta, & fuit coram eis sententia lecta, tribus cardinalibus deputatis audientibus, cum vnus ex ipsis ambassiatoribus Petri de Luna, scilicet archiepiscopus Tarraconensis, vellet proponere, ipse primo dixit quod erant nuntii domini reuerendi papæ Benedicti XIII. fuit magnus tumultus contra eos, & fuit vocatus nuntius hæretici & schismatici, & cum eo Ioannes de Costa olim episcopus Mimatensis, qui se gerebat pro nuntio dicti Petri cum pluribus aliis. & silentio facto, iterum petiit audiri. Quo con-

cesso incepit dicere, quod videbat certa capitula concordata inter dominos cardinales & communitatem Florentinorum, in quibus inter cetera continebatur, quod nullus huc veniens posset impugnare facta in Concilio, vel contra venire, & quod habebat aliqua dicere, quæ forte non bene conueniebant actis in hoc Concilio: ideo non poterat proponere iniuncta ad plenum, nisi daretur sibi securitas, quod non obstantibus ipsis capitulis posset libere loqui: & de hoc supplicabat. Cui per cardinalem Aquileiensem fuit responsum, quod omnes domini cardinales erant præsentes, & quod non habebant potestatem dispensandi contra dicta capitula, & quod si vellet loqui, quod loqueretur prout crederet expedire, alias non. Quo audito, legati regis Arragonum & dicti Petri de Luna nuntii locuti sunt ad partem, & dixerunt quod volebant latius dicta capitula videre, & amplius deliberare: & petierunt dilationem ad crastinum, quæ fuit eis concessa. & recesserunt dicti nuntii Petri de Luna cum magno timore. Quo crastino adueniente, quæ fuit dies Sabbati decima quinta Iunii, supra nominati nuntii Petri de Luna, nulla audientia vlterius petita, hospite insalutato recesserunt. ANNO CHRISTI 1409.

SESSIO XIX.

Dicta die Sabbati, decima quinta Iunii, seruatis solennitatibus & ceremoniis vt supra consuetis, fuit Missa celebrata in dicto Concilio in ecclesia cathedrali, de sancto Spiritu, per archiepiscopum Lugdunensem, & factus sermo per episcopum Nouariensem, qui cepit pro themate: *Eligite meliorem, & eum ponite super solium*, 4. Regum, decimo capitulo, *&c.* & peroptime deduxit illam materiam, & ipso finito, Concilium recessit.

Eadem die Sabbati hora Vesperarum, domini cardinales numero viginti quatuor intrauerunt in conclaue cum magna deuotione, & erat deputatus ad custodiendum conclaue magister Rod. prout fecit cum pluribus aliis notabilibus viris, in domo domini archiepiscopi dictæ ciuitatis: & ibidem steterunt vsque ad diem Mercurii, vigesimam sextam dicti mensis Iunii.

Die autem Mercurii, vigesima sexta dicti mensis Iunii, omnes domini cardinales vnanimiter, nullo reclamante,

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1409. existentes in prædicto conclaui, de mane circa horam Tertiarum, elegerunt in summum pontificem reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Petrum de Candia tituli basilicæ duodecim apostolorum presbyterum cardinalem Mediolanensem nuncupatum, ordinis fratrum Minorum, nunc vero Alexandrum papam V. ipse siquidem papa post suam assumptionem ordinauit vnam sessionem pro Concilio tenendo, videlicet ad diem Lunæ primam mensis Iulii proxime sequentis.

SESSIO XX.

Qua die Lunæ adueniente, fuit celebratum Concilium in ecclesia Pisana, vt supra: ac solennitatibus & ceremoniis seruatis, cardinalis de Thureio celebrauit Missam: postmodum fuerunt cantata solita cantari, & litaniæ cum multis orationibus, & fuit lectum euangelium per vnum diaconum cardinalem: postea papa incepit hymnum, Veni creator Spiritus, &c. Et omnes de Concilio responderunt. Quo cantato, cathedra papæ fuit alte posita ante magnum altare in medio, & ab opposito ipsius, versus occidentem, in vltima parte ipsius Concilii, fuerunt positæ tres altæ & magnæ cathedræ pro tribus patriarchis, scilicet Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano, qui ibidem sederunt: & postea de mandato papæ ibidem præsentis, fuit lectum decretum suæ electionis, in quo omnes cardinales se subscripserant. Quo lecto, cardinalis de Chalanco rogauit Concilium vt oraret pro statu papæ & sanctæ Romanæ ecclesiæ. Quo facto, papa fecit vnum sermonem, themate sic incipiente: *Erit vnum ouile & vnus pastor:* multa pulcra dixit, narrando quomodo pastor se habere debet erga gregem, & grex erga Deum: & regratiabatur cardinalibus, & promittebat multa bona facere eis. Quo facto cardinalis sancti Eustachii dictus Bononiensis, ascendit pulpitum, & ex parte papæ Alexandri V. aliqua promulgauit, quæ ordinauerat dictus dominus noster papa.

Et primo, omnes processus, sententias & ordinationes factas per dominos cardinales circa factum vnionis ecclesiæ, a die tertia mensis Maii anni Domini millesimi quadringentesimi octaui, & omnia facta in Concilio generali approbauit & ratificauit, & omnem defectum iuris & fa-

cti, si quis interueniſſet, ſuppleuit, ſi & in quantum opus eſſet. ANNO CHRISTI 1409.

Item, duo collegia cardinalium vniuit, & vnum fecit collegium, & pro vno in poſterum voluit haberi; & dabit ſingulis ſingulos titulos, & de concurrentibus ordinabit.

Item impedimentum appoſitum in beneficiis cardinalis de Chalanco, ſub prætextu, quod diu ſteterat cum Petro de Luna, ſub prætextu ſuarum excuſationum, alias per cardinales admiſſarum, relaxauit.

Item dixit, quod tantum faceret erga prælatos qui ad Concilium venerant, quod ad eorum lares læti & gaudentes reuerterentur.

Item dixit, quod ipſe volebat vacare circa reformationem eccleſiæ, prout fuerat per cardinales promiſſum ante eius promotionem, & quod eligerentur probi viri & literati de qualibet natione, pro ſuis, ad deliberandum cum ipſis cardinalibus ad reformationem eccleſiæ.

Item fuit ordinatum, quod die dominica ſequenti coronaretur cum ſolennitatibus, & aliis neceſſariis ad præmiſſa.

Item fuit ordinata alia ſeſſio ad diem Mercurii tunc proxime ſequentis, quæ erit die decima menſis Iulii: & ſic dictum Concilium receſſit.

SESSIO XXI.

Qua die Mercurii decima Iulii adueniente, Miſſa celebrata per archiepiſcopum Ianuenſem, & aliis ceremoniis ſeruatis circa officium diuinum, domino noſtro papa præſidente, pro parte communitatis Florentinorum aſcendit quidam iuriſperitus pulpitum, incipiens pro themate, *Offer te Domino tuo, & redde ei debitum tuum.* In hoc themate cepit tria intelligenda. Primum fuit veneratio, ſecundum gratulatio, & tertium oblatio. Veneratio debita tantæ & tam ſolenni congregationi prælatorum & aliorum Concilium generale conſtituentium. Secundum, gratulatio quam habebant Florentini de tam nobili aggregatione, quam pro tanto bono venerantur, vt finem debitum & intentum inueniat, ſanctam ſcilicet vnionem eccleſiæ in vnico vniuerſali vero & indubitato paſtore. Tertium fuit oblatio. Nam poſtquam dixit labores, miſerias & ambaſ-

ſiatas

ANNO CHRISTI 1409. fiatas quas communitas Florentina fecerat in perſecutione vnionis eccleſiæ, addidit quod ciuitas prædicta ſe offerebat ſecundum poſſibilitatem & vſque ad excidium proprium, proſequi extirpationem ſchiſmatis: & literas exhibuit credentiæ, quas legit poſtmodum archiepiſcopus Piſanus.

Poſtea vnus alius iuriſperitus ex parte ciuitatis Senarum aſcendit pulpitum, & tria ex parte ipſorum expoſuit. Primo diuinum auxilium implorauit: ſecundo orationem ſuam ſe abbreuiaturum proteſtatus fuit: tertio condeſcenſuros ad ea quæ ſibi commiſſa fuerant. Primitus dicere habuit, quod quarta Iulii totus populus & clerus Senarum ſubtraxerat obedientiam Gregorio, & declarauerat ſe velle obedire domino noſtro papæ Alexandro, & ſuo ſancto collegio. Recitauit diligentias & labores quos ciuitas Senarum fecit proſequendo vnionem, & accepit pro themate: *Populus gentium qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam*, Iſaiæ 9. quod applicuit populo Senarum pro tempore quo obediuit Gregorio. Sed poſtquam conuerſus eſt ad obedientiam domini noſtri papæ, vidit lucem magnam. Secundum thema quod applicuit ſacro Concilio eccleſiæ fuit genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis quem reuocauit de tenebris ad manum ſuam: & omnes partes huius thematis oſtendit debite conuenire huic ſacro Concilio. In fine dixit, ciuitatem Senarum paratam exponere quidquid haberet ad proſecutionem vnionis & extirpationem ſchiſmatis. Et recitauit quod inimici domini noſtri papæ ſuccumbebant quotidie, & quod in vno conflictu recenter facto magna multitudo inimicorum perierat. Quibus ſic actis, cardinalis de Chalanco aſcendit pulpitum, & legit ſchedulam infra ſcriptam.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. Nos Alexander diuina prouidentia papa V. conſiderans, quod tam per Petrum de Luna, Benedictum XIII. & Angelum de Corario, Gregorium XII. a nonnullis nominatos, nuper de papatu contendentes, *ſ. quam per * quoniam per duos quondam, Bartholomæum archiepiſcopum Barenſem, Vrbanum VI. Petrum de Thomacellis, Bonifacium IX. Coſmatum, Innocentium VII. & Robertum de Gebenna, Clementem VII. nominatos, dictorum

nuper contendentium prædeceſſorum, durante tempore ſchiſmatis & occaſione eiuſdem, nonnulli proceſſus, ſententias excommunicationum, priuationis, irregularitatis, inhabilitationis, ſuſpenſionis & interdicti, & alias cenſuras eccleſiaſticas in ſe continentes, in & contra collegia, diuiſas perſonas, regna, iuriſdictiones, communitates, vniuerſitates, collegia, loca, diſtractus & territoria, fuerunt & ſunt hinc inde facti & promulgati, ac propter *antiquos dictum ſchiſma, ac etiam quia multi notabiles doctores vtriuſque iuris, & magiſtri in ſacra pagina ſcripſerunt pro & contra, ac publice & ſolenniter determinauerunt, ita vt in dubium vertatur a multis, quis a tempore dicti ſchiſmatis fuerit verus Romanus pontifex, ſeu quis veri vicarii Ieſu Chriſti fungeretur officio, ad exonerationem conſcientiarum vtriuſque obedientiæ, quæ etiam per Dei gratiam ad vnum ouile ouium redactæ ſunt; omnes & ſingulos huiuſmodi proceſſus & ſententias, qui vel quæ occaſione * prætextu ſchiſmatis & adhærentiæ vtriuſq; partis ſeu viæ neutralitatis aſſumptæ vel introductæ, hinc inde, vt præmittitur, lati, decretati, ſeu fulminati fuerunt: quos omnes & ſingulos hic pro expreſſis haberi volumus, hoc ſacro approbante Concilio, ex noſtra certa ſcientia tollimus & abolemus, ac pro ſublatis & abolitis in perpetuum haberi volumus, * nomine præfatis ſentẽtiis aut proceſſibus eſſe ligatũ vel inuolutum declarantes, & nihilo minus ex abundanti ad cautelam, ac ſi & in quantum indigent, quoſcumque ſubditis proceſſibus comprehenſos a dictis ſententiis & cenſuris abſoluimus, & abſolutos haberi decernimus & declaramus, & ſuper irregularitatibus, ſi quas propter præmiſſa vel occaſione præmiſſorum contraxerint, diſpenſantes.

ANNO CHRISTI 1409.

*f. antiquum

*f. & prætexta

*f. nemi-nem

Item fuit ordinatum, aliam ſeſſionem fieri debere ad diem Mercurii tunc proximam, quæ poſtea fuit de mandato domini noſtri papæ prorogata propter aduentum regis Ludouici interim ſuperuenientis ad diem vigeſimam ſeptimam Iulii.

SESSIO XXII.

Qua die vigeſima ſeptima Iulii adueniente, Miſſa, ceremoniis, & aliis ſolennitatibus ſeruatis, dominus cardinalis de Chalanco indutus tunica diaconali & mitra, de

ANNO CHRISTI 1409. mandato domini nostri papæ ascendit pulpitum, pluribus prælatis associatus, legitque articulos & capitula subsequentia.

Item, sacro approbante Concilio, omnes & singulas promotiones, translationes, confirmationes, collationes, & quascumque prouisiones, quibusuis personis huic sacro Concilio & eius determinationi adhærentibus, de quibuscumque prælaturis, dignitatibus, beneficiis & officiis ecclesiasticis, curatis, vel non curatis, consecrationesque episcoporum, & ordinationes clericorum, per ipsos contendentes de papatu, aut eorum alterum, seu ipsorum prædecessores, vel eorum mandato, aut auctoritate, temporibus & locis in quibus eisdem realiter & libere præstabatur obedientia, dum tamen ante sententiam definitiuam & alias canonice factæ sint, & publice, ac pacifice tempore sententiæ possederint, & in præiudicium vnionis, aut persecutionis eiusdem, vel huic Concilio adhærentium, factæ non fuerint, ex certa scientia & motu proprio ratificamus & approbamus, ac ratas haberi volumus atque firmas, & etiam si oporteat, de nouo prouidemus.

Vbi autem aliquis casus emergeret, per quem appareret aliquem huic Concilio adhærentem, grauatum per alterum ex contendentibus, a die tertia Maii quoad Angelum Corarium, & a die 15. Iulii quoad Petrum de Luna, anni videlicet millesimi quadringentesimi octaui, placet Concilio, quod dictus dominus noster papa prouideat, vt sibi iustum esse videbitur. Item placet Concilio, quod super facto archiepiscopi Ianuensis dominus noster prouideat.

Item electiones, postulationes, ipsarum admissiones, confirmationes, mutationes, consecrationes clericorum, ordinationes, præsentationes, institutiones, collationes & priuationes quasuis, prouisiones & dispositiones quibusuis personis, huic sacro Concilio & eius determinationi adhærentibus, de quibuscumque beneficiis ecclesiasticis, de prælaturis, per electores, confirmatores, patronos, ordinarios, & quoscumq; prouisores, ad hoc potestatem & auctoritatem habentes, canonice factas, temporibus & locis subtractionis & neutralitatis, in quibus huiusmodi contendentibus obedientia præstabatur, dummodo alias cano-

nice factæ sint, hoc sacro approbante Concilio ratificamus & approbamus, & ratas habere volumus atque firmas, ac omnem susscipere roboris firmitatem, reseruationibus non obstantibus quibusque: declarationibus tamen & decretis hoc capitulum concernentibus, in aliis sessionibus lectis, in suo robore permanentibus. ANNO CHRISTI 1409.

Item, vt vnione & pace iam in Dei ecclesia per ipsius gratiam in capite confirmata, pax & tranquillitas subditorum perfectius procuretur, & litium anfractus, quarum dubii sunt euentus, consultius euitentur, hoc sacro approbante Concilio decernimus & declaramus, quod omnes & singuli beneficia ecclesiastica, dignitates, personatus, vel officia curata, vel non curata, titulo ordinario assecuti, & possessionem pacificam iam adepti, dum tamen canonice, & alias quam per priuationem adhærentium huic sacro Concilio & eius determinationi, assecuti fuerint, beneficiis huiusmodi libere & pacifice gaudeant, nec in iure, titulo seu possessionibus suis quomodolibet inquietentur, turbentur, seu grauentur, etiam si specialiter vel generaliter beneficia prædicta sedi apostolicæ fuerint reseruata.

Per præmissa vero, seu aliquod præmissorum, non intendimus derogare ordinationibus circa præmissos articulos factis in vltima congregatione prælatorum, & aliorum virorum ecclesiasticorum, facta Parisiis. Nec etiam ex præmissis, vel aliquo præmissorum volumus aliquod præiudicium generari venerabilibus fratribus nostris cardinalibus, aut alicui ipsorum huic sacro Concilio & eius determinationi nunc adhærentium, in beneficiis, & alias per ipsos & quemlibet ipsorum canonice possessis. Per hoc autem etiam non intendimus fieri aliquod præiudicium venerabili fratri nostro cardinali Albanensi, in iure quod habet in archidiaconatu ecclesiæ Lucionensis.

Item, sacro approbante Concilio, decernimus fore procedendum contra obedientes & adhærentes pertinaciter, seu fautores Petri de Luna & Angeli Corarii, nuper de papatu contendentibus & colludentibus, per hoc sacrum Concilium de schismate & hæresi notoriis, per definitiuam sententiam condemnatis, modis quibus est contra credentes & fautores hæreticæ prauitatis, secundum sacros Canones procedendum.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1409. Item, ſacro approbante Concilio, decernimus nos vel ſucceſſorem noſtrum ex certis magnis & arduis cauſis nos & hoc ſacrum Concilium mouentibus, iterum generale Concilium fore conuocandum hinc ad triennium, videlicet anno quo dicetur, anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, in menſe Aprili, in ciuitate ſeu loco habili & decenti, qui locus declarabitur per annum ante tempus Concilii, per nos vel per ſucceſſorem noſtrum.

Item, ſacro approbante Concilio, decernimus & declaramus, quod ſi cardinalis de Fliſco infra duos menſes proximos perſonaliter ad nos venire, & obedientiam nobis præſtare, & determinationi huius ſacri Concilii adhærere voluerit, benigniter recipiatur, cum integritate ſtatus & honoris, atque beneficiorum quæ decimo quinto Iunii anni milleſimi quadringenteſimi octaui obtinebat.

Item, omnes diſpenſationes factas per epiſcopos diœceſanos in partibus neutralibus, ſuper defectu ætatis, cauſa aſſequendi & obtinendi beneficia, dignitates & prælaturas.

Item, omnes abſolutiones & habilitationes in foro pœnitentiali, tam per contendentes, quam per ordinarios prædictos ſchiſmate pendente factas, ſuper caſibus ſanctæ ſedi apoſtolicæ reſeruatis, ex certa noſtra ſcientia, hoc ſacro approbante Concilio, ratificamus & approbamus.

Poſt prædicta archiepiſcopus Piſanus in pulpito prædicto pronuntiauit, quod dominus noſter Alexander papa V. oculum miſericordiæ & viſcera compaſſionis & pietatis ſuæ conuertens ad eccleſias deſolatas, ruinoſas, & in magna neceſſitate conſtitutas, liberaliter remittit & indulget omnia arreragia maiora, minora ſeruitia ab eis ſuæ cameræ apoſtolicæ debita de toto tempore præterito vſque ad tempus ſuæ aſſumptionis.

Item, idem dominus noſter notificauit omnibus per organum dicti domini archiepiſcopi Piſani, quod non intendit amodo vt antea reſeruare bona ſeu ſpolia prælatorum & aliorum morientium prælatorum.

Item, quod non intendit reſeruare fructus medii temporis beneficiorum vacantium.

Item ſupplicauit idem dominus archiepiſcopus nomine totius Concilii dominis cardinalibus, quod portionem competentem eiſdem de arreragiis præteriti temporis vellent eccleſiis & viris eccleſiaſticis remittere liberaliter, quemadmodum dominus noſter fecerat in portione ipſum tangente: & petiit a Concilio, an hoc placeret ſibi, & quod expreſſe diceret, placet: dominus cardinalis Albanenſis ſolus ſe oppoſuit. ANNO CHRISTI 1409.

Item, idem archiepiſcopus pronuntiauit proxime futuram ſeſſionem fiendam ad diem Veneris ſequentem, de mandato domini noſtri papæ; & quod nullus interim recederet ſine licentia papali. De iſtis omnibus hac die expeditis promotor ſeu procurator eccleſiæ petiuit vnum vel plura inſtrumenta confici per clericos cameræ & notarios Concilii, ad perpetuam rei memoriam.

Item in hac ſeſſione dictum fuit, quod dominus noſter prouideret archiepiſcopo Ianuenſi ſuper archiepiſcopatu ſuo. Etiam placuit Concilio, quod dominus cardinalis Albanenſis proſequeretur ius quod habere prætendebat in archidiaconatu Lucionenſi. Succeſſiue præfatus dominus noſter papa ſeſſionem fiendam, certis de cauſis animum ſuum mouentibus, continuauit vſque ad diem Mercurii ſeptimam menſis Auguſti tunc proxime ſequentis.

SESSIO XXIII.

Die Mercurii ſeptima Auguſti adueniente, ſolennitatibus & ceremoniis ſeruatis circa officium diuinum, ſanctiſſimus in Chriſto pater dominus noſter, ſacro approbante Concilio, ordinauit, quod bona immobilia eccleſiæ Romanæ, ſeu aliarum eccleſiarum, nullatenus per ipſum vel alios prælatos alienentur, ſeu hypothecentur, vſque ad proxime indictum Concilium, in quo ſuper hoc articulo maturius poterit deliberari.

Item, idem dominus noſter, eodem approbante Concilio, ordinat & mandat celebrari ante Concilium generale Concilia prouincialia, per metropolitanos & ſynodos, ac eorum ſuffraganeos, ſecundum formam iuris & Concilii generalis: quia ex eorum omiſſione multa inconuenientia ſequerentur.

Item, idem dominus noſter, eodem approbante Con-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1409. cilio, ordinat & mandat, celebrari capitula monachorum, magiſtrorum, & canonicorum regularium, ſecundum formam Concilii generalis, & conſtitutiones felicis recordationis..... & Benedicti XII. & quia limitatio prouinciarum facta per Benedictum XII. non poſſit de præſenti, obſtante temporis malitia, obſeruari, ordinat dictus dominus noſter, quoad dicta capitula celebranda, ſtandum iuri antiquo, durante impedimento prædicto; videlicet, vt prouincia communis & vulgaris poſſit per ſe capitulum prouinciale celebrare, ex quo commode cum alia non poſſit conuenire: & deputabit dominus noſter præſidentes & executores ad præmiſſa exequenda.

Item, idem dominus noſter, eodem approbante Concilio, diſponit non facere tranſlationes de inuitis, niſi parte vocata & audita, & de conſenſu maioris partis cardinalium, vſque ad proxime indictum Concilium, niſi ex cauſis iuſtis & rationalibus.

Item, dominus noſter, ſacro approbante Concilio, decernit, quod ex parte ipſius domini noſtri cum cardinalium conſilio deputabuntur nuntii ſolennes, qui mittentur ad reges & principes, & certos fideles, ad publicandum & proſequendum auctoritate domini noſtri papæ & ſacri Concilii, acta in hoc Concilio.

Item, dominus noſter auctoritate Dei, apoſtolorum Petri & Pauli, & ſua, concedit omnibus qui in hoc Concilio interfuerunt, & eius determinationi adhærentibus abſolutionem plenariam a pœna & culpa, ſemel tamen in vita, ita quod quilibet de prædictis infra duos menſes, poſtquam ad eius notitiam conceſſio huiuſmodi peruenerit, poſſit dictum beneficium abſolutionis aſſequi, in forma eccleſiæ. Similem conceſſionem facit dominus noſter ſingulis ſupradictis in mortis articulo, intelligendo tam de dominis, quam de familiaribus.

Item, cum dominus noſter papa cum conſilio Concilii intenderet *reformare eccleſiam in capite & in membris*, & iam multa per Dei gratiam ſint expedita per ipſum dominum noſtrum papam, & multa alia ſtatum & fauorem prælatorum, & aliorum inferiorum concernentia reſtent, quæ propter regreſſum prælatorum & ambaſſiatorum de præſenti expediri non poſſunt, propterea idem dominus

noſter, ſacro requirente & approbante Concilio, dictam reformationem ſuſpendit & continuat vſque ad proximum iam indictum Concilium, & præſens Concilium prorogat & continuat vſque ad illum terminum, qui præfixus eſt omnibus ad Concilium conuocatis, redeundum ad proprias ædes, vſque ad terminum præfixum ſupradictum. ANNO CHRISTI 1409.

NOTA.

[a] *Concilium.*] Qua occaſione hæc Synodus indicta fuerit, refert Theodoricus a Niem lib. 3. ſchiſmatis, cap. 38. his verbis: *Cum autem dictus Petrus de Luna ad prædictum regnum Arragoniæ peruenisſet, octo vel nouem de cardinalibus ſuis, qui ſecum erant, ad diuerſa loca propinqua, quia tunc erat æſtas, ſub recreationis colore declinarunt ab ipſo: quorum aliqui ad Liburnum, alii ad portum Piſanorum, ſed nouiter ab eo ſegregatum, & dominio eorumdem Ianuenſium qualitercumque additum, acceſſerunt, cauſa cum eiſdem cardinalibus, qui ab ipſo Errorio fugerant, illuc accedentes, per plures dies inſimul conuerſati fuerunt, ſed tamen ſine fine concluſionis, quia necdum habebant determinatum locum idoneum eis conceſſum, in quo ſimul conuenire, atque generale Concilium ex vtraque obedientia conuocare pro facienda vnione libere poſſent. Sed tandem dominus Balthaſar, ſancti Euſtachii diaconus cardinalis, per eumdem Bonifacium ad illum gradum aſſumptus, tunc & nunc fungens officio legationis in ciuitate Bononienſi & eius comitatu pro Romana eccleſia, ac modernus papa Alexander tunc cardinalis, & dominus Ioannes nepos dicti Innocentii, & per eum in cardinales creati, circa feſtum aſſumptionis beatæ Mariæ virginis anni proxime præteriti de Bononia, vbi tunc fuerunt, volentes eoſdem alios cardinales tunc Piſis exiſtentes viſitare, ad Florentiam iter egerunt, & ibi honorabiliter recepti, obtinuerunt a Florentinis concedi ciuitatem Piſanam prædictam ad conueniendum ibidem ſimul cum eiſdem cardinalibus Gallicis, ad faciendum omnia quæ eis videbantur fore pro dicta vnione ſubſequenda quomodolibet opportuna, & ſic vlterius dicta licentia obtenta ad Piſas declinarunt, vbi tunc eorum confratres & dictos cardinales Gallicos congregatos inuenerunt, in qua ad proſequendam dictam vnionem generale Concilium vtriuſque obedientiæ tunc celebrandum conuocarunt in feſto annuntiationis beatæ Mariæ virginis tunc inſtanti proxime: ſed iſte terminus ad alium breuem terminum poſtea ſubrogatus fuit, & duo ex eiſdem cardinalibus obedientiæ noſtræ iuerunt ad ciuitatem Senenſem præfatam, in qua Errorius cum ſua curia reſidebat, cauſa eum citandi, ſiue vocandi, vt ad prædictum generale Concilium accederet, ac eius determinationi, ſi vellet, per ſe, vel per alium, ſeu alios intereſſet: quos tamen præfatus Errorius ad ſe venire non ſinebat, imo per aliquos magnæ auctoritatis viros interpellatus & rogatus, vt ipſos audiret, illud pertinaciter facere non curabat: ſed ipſi miſſi cardinales facientes ſolicitam diligentiam in commiſſis, & publicantes apud eccleſiam maiorem Senenſem, & in quibuſdam aliis locis publicis coram*

Theodoricus a Niem aliique aduerſæ partis fautores, Gregorium per contemptum Errorium vocabant.

ANNO CHRISTI 1409.

ram tabellionibus & teſtibus multis cauſam, quare illuc venerant ad citationem, quam eidem Errorio intimare volebant, publice legi fecerant, cuius copiam etiam diuerſis portis in eadem ciuitate Senenſi affixerunt, & affixam relinquentes, ad eorum confratres redierunt. Ipſe autem Errorius dicebat, quod dictam citationem non curaret, adiiciens, quod prædicti cardinales generale Concilium abſque eius licentia & voluntate conuocare non poſſent: in quo etiam vehementer errauit, vt peritis in iure notum eſt, quod etiam ratione probatur. Nam quod duo vel plures contendentes de papatu, & in diuerſis regionibus morantes, niſi concorditer in aliquo loco ſuper hoc inſimul conuenirent, generale Concilium celebrare poſſent, non videtur. Ex quo infertur, quod cum quilibet eorum ſeorſum cum prælatis ſuæ obedientiæ celebraret Concilium, hoc reuera nullatenus dici poſſet generale, ſed particulare Concilium, aut Conciliabulum; ſicuti ſeorſum quilibet ipſorum, Errorius & Petrus de Luna ſuum Conciliabulum in valde remotis ſeu ſeiunctis locis celebrarunt. Et pro hac parte ſunt multæ euidentiſſimæ rationes in iure, quæ hic non vendicant ſibi locum: ea de cauſa illas præſentibus inſerere non curaui: quamuis forte multi pacis eccleſiæ æmuli, nec intelligere volentes, vt bene agant, contrarium aſſerere, ipſoſque Erroriũ & Petrum in eorum erroribus defendere non formident. Hæc de occaſione indicti Concilii Theodoricus aduerſæ partis fautor maximus, Gobelinus Paderbornenſis officialis eadem breuius recenſens, cardinalium querelas, & duarum vniuerſitatum conſilia ſuperaddens iſta, ait: *Quarta die menſis Maii huius anni Gregorius papa exiſtens in ciuitate Luca, & præſumens aduerſarium ſuum doloſe ſecum agere, mandauit cardinalibus ſuis, ne ſine licentia ſui ſpeciali Lucam exirent, & ne inuicem in aliquo loco ſine ſpeciali eius mandato conuenirent, ſub pœna periurii. Et ſi Lucam aliter exirent, ipſo facto eſſent cardinalatu priuati, ſimiliter & beneficiis omnibus quæ haberent. Item mandauit eis ne tractatus aliquos haberent cum anticardinalibus aut oratoribus Gallicis. A quibus mandatis, & ab ipſo papa Gregorio, tamquam male informato, ad eumdem tamquam melius informandum, & ad Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum iudicem venturum, & ad Concilium generale, & ad futurum papam, ſeptem cardinales in ciuitate Piſana, ad quam ſe tranſtulerant, 13. die menſis eiuſdem appellauerunt. Inter hæc Ladiſlaus rex Siciliæ, ſeu Neapolitanus, filius Caroli de Pace, vſurpauit ſibi dominium vrbis Romanæ, & multarum ciuitatum & caſtrorum patrimonii ſancti Petri, & ad titulum Romani imperatoris viſus eſt aſpirare. Supradicti cardinales tandem miſerunt epiſtolas ſuas regibus, archiepiſcopis, epiſcopis & principibus diuerſis, conquerendo de papa; & Gregorius papa ſimili modo contra cardinales literas ſuas direxit eiſdem, & quidam ex eis ſcripſerunt, quomodo ipſi receſſiſſent ab obedientia illius. Et deinde cardinales Petri de Luna, qui ſe Benedictum nominabat, derelinquentes eum, conuenerunt cum cardinalibus Gregorii apud Ligurinum portum, videlicet Piſanum: & illi ſimul concordauerunt indicere Concilium generale celebrandum in ciuitate Piſana, in feſto annuntiationis beatæ Mariæ virginis tunc proxime venturo: & hæc deliberatio vtriuſque collegii facta eſt 24. die menſis Iunii. Cumque hæc deliberatio venit ad notitiam Gregorii & Benedicti,*

ANNO CHRISTI 1409.

vterque generale Concilium celebrandum indixit. Gregorius quidem ad festum pentecostes tunc proxime futurum, in prouincia Aquileiensi, vel in archiepiscopatu Rauennatensi, nullum certum locum assignando; & Benedictus apud Perpinianum ciuitatem Aragoniæ, ad festum omnium sanctorum. Et cardinales in literis suis, quas ad diuersas miserunt prouincias, declarabant puncta iurata per Gregorium in conclaui: inter quæ principale fuit, cedere papatu: & inferebant eisdem literis quasdam conclusiones, in quibus vniuersitates Bononiensis & Parisiensis studiorum consentire docebant, quarum prima fuit ista. Vterque de papatu contendens, ex debito pastoralis officii veri, vel prætensi, iuri communi, vel circumscripto quolibet iuramento, stante schismate tam inueterato cum tanto populi scandalo, tenetur & debet cedere: ex quo propter dubia iuris & facti super papatu aliter non potest commode dari vnio & pax in ecclesia Dei, ne plus temporalem dignitatem, quam populi salutem & vnitatem appetere videatur. Secunda conclusio longe fortius ad hoc adstringitur concurrentibus tam solennibus vinculis, promissionis, voti & iuramenti. Tertia conclusio: Papa stante tali schismate pertinaciter resistendo, non implendo quod vouit & iurauit, ad quod etiam absque voto & iuramento tenetur, incurrit crimen notorium, propter quod subiicitur prouisioni Concilii. Et vltra hoc concluditur schismatis nutritor & fautor, cuius obstinatione & vetustate descenditur in hæresin, & fides læditur, cuius prouisio spectat ad Concilium. Quarta conclusio: Stante dubio, an hoc iuramentū schismatis transeat; vel an tale sit delictum, e quo prouisio spectat ad Concilium, hoc cognoscere in dubio ad idem pertinet. Quinta conclusio: Stante dubio papatus inextricabili propter dubium facti & iuris, ne in subuersionem fidei ecclesia sic maneat diuisa perpetuo, cum tanto scandalo & animarum perditione, prouisio spectat ad Concilium & ecclesiam vniuersalem, vt vtrumque, eis non cedentibus, possit a papatu eiicere. Sexta conclusio: Stantibus terminis, vt stant, & ambobus detrectantibus implere quod iurauerunt & vouerunt, cum ex hoc nutriatur schisma manifestum, subditi possunt & debent ab eorum obedientia recedere; & etiam peccant, si se non subtrahunt, tamquam principaliter schisma facientes, vel saltem auxilium indirecte præbentes nutritoribus schismatis antiqui; nec sententias contendentium de papatu aliquatenus propter hoc valere vel alligare. Septima conclusio: Ex factis & dictis quæ supra ponuntur, quæ vniuersō mundo notoria sunt, satis notorie patet, vtrumque detrectare quod implere debeat, & ad quod tenetur ex debito officii & iuramenti, cum saltem potuerunt cedere per procuratores idoneos, vel vterque in manibus collegii sui, & sic dare pacem populo Christiano; maxime cum vterque de iure & forma iuramenti arctetur ad nihil de vtilibus, necessariis, aut quomodolibet opportunis, omittendum. Cum etiam ab vtriusque dependet pietate, soluere perplexitatem conditionum iuramenti, si qua subsit: & quæ contra hoc excusationes allegantur, friuolæ sunt, & earum cognitio est Concilii. Item cardinales in prædictis literis accu-

Gregorius a cardinalibus quorumdam accusatur.

sabant Gregorium, quomodo Saonem ciuitatem pro loco conuentionis vtriusque partis approbauit, & postea recusauit, allegans plures securitates sibi necessarias esse, quas tamen exprimere non volebat. Item quod ipse postea consenserit in ciuitatem Pisanam, sed certum tempus

ANNO CHRISTI 1409.

exprimere recusauerit. Item quod ipse multos creauerit cardinales contra formam iuramenti. Hæc & alia plura in prædictis literis continebantur.

Antoninus cap. 5. §. 3. de eodem Concilio ista ait, quæ sequuntur: *Congregatione igitur facta pro Concilio Pisis, tempore statuto de diuersis regnis & nationibus aduenientes numerati sunt multi prælati. Et relatione omnibus facta de scandalo, quod inferebant duo illi pontifices colludentes adinuicem, & nolentes vnionem ecclesiæ quærere, prout promiserant; decretum est, vt oratores mitterentur ad vtrumque, vt ad locum accederent: quorum operam Benedictus derisit, dicens controuersiam fore de iure patatus inter se & Gregorium, & nihil ad eos spectare de re ipsa. Gregorius vero respondit, non ad eos pertinere congregare Concilium, sed ad ipsum, vt pontificem Romanum, quod & celebrare volebat non Pisis, sed in alio loco, videlicet in foro Iulii circa Aquileiam, ipsosque cardinales eum sequi debere ad locũ, non ipsum eos: quia non decet a capite membra discedere, sed omnia membra caput sequi. Vnde ipse Gregorius cum curia sua, etsi parua, ad locum determinatũ, & prælatis, principibus & communitatibus publicatum, accessit tempore statuto. Sed solum de obedientia sua prælati, quæ adhuc vigebat in regno, profecti sunt, aliis potius ad Pisanam Synodum vel congregationem accedentibus. Ibi breuiter expleuerunt quæ visa sunt eis expedientia illi negotio. Cardinalis Ragusinus inter ceteros assistentes, ab vno ex familiaribus suis ab aduersariis corrupto, veneno potionatus, vix mortem euasit, infirmatus grauiter, & ex vi veneni pellem vetustam dimisit vt serpens.*

Ex Concilio autem ipso redeuntibus Ariminum, in via paratæ fuerunt Gregorio insidiæ ad capiendum eum. Quibus sibi secreto insinuatis, in habitu transformato cum paucis aliis præcessit, non vt papa; aliusque secutus in apparatu papali, & comitiua non modica illum se fingens, captus est. Sed cognito eum non esse, dimissus est, non sine iniuriis. Sicque manus illorum euadens, in nomine Domini Ariminum cum suis reuersus est. In tot autem aduersis & persecutionibus tam constans & magnanimus fuit, vt nil videretur de his curare, sciens, quia secundum prophetiam, non est malum in ciuitate, scilicet mundi, quod non fecerit Dominus; de malo pœnæ intelligendo, aut etiam de malo culpæ, non agendo, sed permittendo. Sic fixus erat in iis quæ sibi conscientia dictabat, vt nullus posset eum a suo proposito reuocare: sic modestus, vt probus videretur: sic sapientiæ deditus, vt a speculatione & disputationibus non cessaret.

Congregati interea Pisis processerunt in cœptu suo. Post legitimas enim modo suo citationes non comparentes, sed contumaces, contra eos sententiã depositionis & priuationis protulerunt, Gregorium & Benedictum, vt hæreticos & schismaticos, prohibentes Christicolis cunctis, ne quem eorum papam nominarent, aut tamquã Romano pontifici obedirent. His peractis, ad electionem alterius processerunt. Vnde conclaue ingressi cardinales vtriusque partis, more consueto pertractantes rem ipsam, elegerunt in præsulem summum Petrum de Candia cardinalem Mediolanensem, ordinis Minorum, virum vtique valde peritum in theologia speculatiua. hunc nominarunt Alexandrum V. anno Domini 1409. Qui anno vno sedem Petri tenuit, secundum communem opinionem. Et Pisis, non multo post Pistoriũ

ANNO CHRISTI 1409.

acceßit, ex quo diebus aliquibus tranſactis Bononiã ſe tranſtulit. Ad eum accedens Ludouicus dux Andegauiæ, filius alterius Ludouici qui cum Carolo tertio de regno contenderat, ſed non præualuit, veneratus eſt vt papam. Tandem migrauit a ſæculo (vt dicitur) toxicatus in clyſterio. Hæc Antoninus prædicto loco.

De eodem Azorius parte 2. lib. 5. cap. 17. iſta: *Decimum ſextum generale Concilium fuit Piſanum, indictum & congregatum a cardinalibus Gregorii XII. & Benedicti XIII. annõ ſalutis* 1409. *ad ſchiſma tollendum. Res ſic geſta eſt, vt patet ex Blondo lib.* 10. *decade* 2. *& ſancto Antonino, parte* 3. *titulo* 22. *cap.* 5. § 2. *cardinales obedientiæ Gregorii XII. videntes negotium extirpandi ſchiſmatis paulatim ad nihilum reduci, & non ſolum Gregorium XII. ſed etiam Benedictum XIII. concordiam recuſare contra iuſiurandum & fidem in ipſorum electionibus datam, Gregorium quoque contra idem iuſiurandum & fidem alios cardinales abſque vlla neceßitate & ipſis inuitis creare, hanc nacti occaſionem, ab eo tunc Lucæ commorante recedentes, Piſas petiere. Quod cum plerique eorum qui Benedictum XIII. ſequebantur, vidiſſent, ſimili exemplo ipſum Benedictum deſerentes, ceteris cardinalibus Gregorii qui Piſis erant, ſeſe adiunxerunt, ibique indicto Concilio generali, & cum maxima prælatorum frequentia inchoato, vterque pontifex ab iis damnatus eſt, & vtroque tamquam periuro, ſchiſmatico, hæretico, colluſore, & ſchiſmaticorum fautore, publico omnium decreto, Nonis Iunii, anno Domini* 1409. *e pontificatu deiecto, in vtriuſque locum vigeſimo poſt abrogationem die tertium elegerunt Petrum Philaretum natione Græcum prouinciæ Cretenſis, inſtituti & ordinis fratrum Minorum, & ſacræ theologiæ doctorem eximium, presbyterum cardinalem baſilicæ SS. apoſtolorum, & Alexandrum quintum vocarunt.*

Interfuerunt in eo Concilio cardinales 23. *patriarchæ tres, archiepiſcopi & epiſcopi* 300. *monaſteriorum præfecti* 280. *theologi & legati principum Europæ.*

Dubitatum eſt valde, an canonice & legitime eſſet Concilium conuocatum, eo quod ſine vlla Romani pontificis auctoritate eſſet indictum. De ea re, teſte ſancto Antonino loco citato, Laurentius Rodulphus Florentiæ triduo diſputauit, & tandem concluſit, Concilium eſſe legitimum. Ioannes Gerſon in libello, An papa exauctorari poßit: Hi Dei nutu, *inquit*, & Spiritus ſancti, ſicut credendum eſt, tacti fuerunt. *Item cum Alexander V. Bononiæ grauiter ægrotaſſet, & cognouiſſet ſibi mortem imminere, cardinales ad ſe venientes ad concordiam & pacem, & ad tuendam eccleſiæ dignitatem adhortatus, dixit per eam mortem quam ſe continuo ſubiturum putabat, ſe exiſtimare & credere, quæ in Concilio Piſano acta fuerant, recte & integre, ſine dolo malo facta fuiſſe. Inſuper ipſe Alexander V. in eo Concilio creatus, in numero pontificum Romanorum reponitur, & qui multo poſt tempore ſecutus eſt eodem nomine, Alexander VI. dictus eſt.*

Antoninus loco citato dicit fuiſſe Conciliabulũ, quia abſque Romani pontificis auctoritate fuit congregatum. Sed quia Gregorius XII. Concilii conuocationẽ non recuſabat, ſed ſolum reſtitit, ne Piſis congregaretur, ſub-

ANNO CHRISTI 1409.

iungit Azorius. *Denique quidquid sit, Concilium Pisanum congregatum est a cardinalibus tempore schismatis, quo duo pontifices erant dubii & incerti: & indictũ est non ad res fidei definiendas, sed ad schisma in ecclesia noxium abscindendum: quamuis reuera sublatũ non sit, sed potius auctum, quia Gregorius XII. & Benedictus XIII. pontificatum deponere noluerunt. Quando plures sunt dubii & incerti Romani pontifices, iis inuitis cardinalium auctoritate Concilium generale conuocari, eiusque potestate omnes e pontificatu amoueri posse,* hoc exemplo id parte secunda lib. 4. quæstione tertia probat, & ratione ista naturali: *Quia cum non est certus pontifex, perinde est ac si pontifex nullus omnino esset; & sic eum ecclesia eligit. Cum ergo multi dubii & incerti pro pontificibus habentur, iure potest ecclesia nouum creare pontificem, & præcipere, vt ceteri omnes pontificatu se abdicent: quod ni fecerint, potest eos sententia lata pontificatu deiicere, & omnibus fidelibus imperare, ne eos vllo modo pro pontificibus agnoscant, habeant & venerentur.*

Sed vndenam, dicat aliquis, colligi potest tantum iuris & potestatis esse penes ecclesiam? Resp. Id ex Christi institutione per necessariam & euidentem rationem deduci; ne scilicet Christus suam ecclesiam deseruisse videatur. Alioqui enim multis dubiis & incertis pro pontificibus summis in ecclesia se gerentibus, sane innumeris calamitatibus & malis ipsa premeretur & vexaretur ecclesia. Hæc dictis locis Azorius.

Ob hanc rationem Hadrianus II. in epistola quæ lecta est & approbata in Synodo octaua generali, actione septima, scribit: *Romanum pontificem de omnium ecclesiarum præsulibus iudicasse legimus: de eo vero quemquem iudicasse non legimus. Licet enim Honorio ab orientalibus anathema dictum sit, sciendum tamen est, quia fuerat super hæresi accusatus. Propter quam solum licitum est minoribus maiorum suorum moribus resistere: scilicet, quia nisi tali casu Christus ecclesiæ suæ concessisset potestatem & auctoritatem de hæresi sui pastoris cognoscendi & diiudicandi, eam contra promissionem factam deseruisset, & pro pastore, doctore ac duce, eamdem lupo hosti ac corruptori commisisset.*

ANNO CHRISTI 1409.

VITA ALEXANDRI PAPÆ V.

ALEXANDER V. instituti sancti Franciſci religiosus, antea Petrus Philaretus de Candia vocatus, natione Cretensis, commentariis quos in libros sententiarum scripsit, diuinique verbi concionibus clarissimus, theologiæ doctor profundissimus, ex archiepiscopo Mediolanensi & cardinali presbytero basilicæ sanctorum apostolorum, communi omnium cardinalium vtriusque obedientiæ suffragio, Gregorio XII. quondam vero pontifici, & Be-

nedicto XIII. antipapæ ſchiſmatico, renuntiantibus ſubrogatus eſt in Concilio œcumenico & generali Piſano ſexto Kalendas Iulii, anno Domini 1409. tempore Ruperti imperatoris. Regnum Neapolitanum Ladiſlao eccleſiæ perſecutori ademptum, conſenſu patrum omnium in Piſano Concilio præſentium, [ex eo gradu ad ſummum eccleſiæ culmen euectus eſt,] Ludouico Andegauenſi contulit. Piſas diſcedens, Bononiam ſe recepit: ibique in morbum incidit, ex quo dum ſibi mortem imminere ſentiret, cardinales ad ſe accerſiri iuſſit. Cumque ad pacem & concordiam, communemque eccleſiæ vtilitatem eos adhortatus fuiſſet, omnia quæ in Concilio Piſano decreta erant, ſibi iuſta videri dixit. Ad extremum cum dixiſſet illud Chriſti, *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis*, ſpiritum Deo reddidit quinto Nonas Maii, anno 1410. poſtquam octo menſibus eccleſiam rexiſſet. Bononiæ in eccleſia ſancti Franciſci ſepultus eſt. Pauperes vnice diligebat, plurimum humanus erat, & in quemuis liberalis, adeo vt interdum omnibus exhauſtis per iocum dicere ſoleret, ſe diuitem epiſcopum fuiſſe, cardinalem pauperem, pontificem vero mendicum eſſe.

Ioan. 14.

VITA IOANNIS PAPÆ XXI. VVLGO XXIII.

ANNO CHRISTI 1410.

IOANNES huius nominis vulgari opinione XXIII. patria Neapolitanus, prius Baltazar Coſſa vocatus, illuſtri familia natus, ex cardinale ſancti Euſtathii, & legato Bononienſi, factus eſt pontifex conſenſu omnium fere cardinalium vtriuſque obedientiæ, decimoſexto Kalendas Iunii anno Domini 1410. Ad pontificiam dignitatem promotus, electores imperii adhortatus eſt, vt Sigiſmundum Bohemiæ regem imperatorem deligerent. Quo facto, eidem in Italiam venienti, vt Ladiſlaum Romanam eccleſiam inquietantem compeſceret, obuiam apud Laudem proceſſit, cumque eodem Mantuam perrexit, vbi dum regia quadam magnificentia per D. Franciſcum Gonzagam

excepti essent, consultatum fuit de bello Ladislao inferendo, qui plurimas ecclesiæ ditiones inuolauerat, & ne ipsi quidem vrbi pepercerat. Hortatu imperatoris ad tollendum schisma triginta sex annorum, vniuersale Concilium Constantiæ celebrandum indixit. Quo cum venisset, tantis & tam enormibus accusationibus oneratus est, vt mutato habitu, non sine magno timore, clam se subtraxerit. Verum decreto contra ipsum lato, apprehensus, & in carcerem coniectus, criminibusque quadraginta, de quibus accusatus erat, conuictus, communi omnium consensu depositus fuit, sententiamque aduersum se pronuntiatam approbauit: ac Ludouico Bauaro ad custodiendum traditus, tribus annis captiuus detentus est. Exinde Gregorius quoque citatus est initio quidem, qui comparere recusatus, verum bonis Sigismundi admonitionibus persuasus, Carolum Malatestam eo misit; qui omnium sententia intellecta, nomine ipsius renuntiauit. Tertius antipapa Petrus de Luna, siue Benedictus XIII. occupata arce Panicolæ in Perpiniano, adeo se contumacem præstitit, vt eius causa discussa per Concilium, depositus fuerit. In eadem Synodo Bohemorum error damnatus est, eorumque antesignani Ioannes Hus & Hieronymus Pragensis exusti sunt. Omnibus hisce rebus transactis, ad eligendum nouum pontificem animum adiecerunt: ad quam rem debito modo perficiendam, ex omnibus nationibus probatæ vitæ viros sex, qui cum cardinalibus conclaue ingrederentur, selegerunt. Quibus introductis tertio Idus Nouembris anni 1417. ipso die sancti Martini, contra omnium opinionem, communi tamen gaudio, cardinalis Columna pontifex eligitur: qui sibi nomen ab eo sancto qui in eum diem incidebat, accepit. Sed de eo in subsequentibus latius. Quod ad Ioannem & Gregorium attinet, vnus Concilii decretis agri Piceni legatus designatus est: alter vero per Martinum (cui se Florentiæ humiliter submiserat) cardinalis & episcopus Tusculanus creatus fuit. Verum paulo post, mœrore animi afflicti perierunt. Gregorius quidem Recaneti, Ioannes vero Florentiæ, cuius Cosmas a Medicis heres factus, supra modum locupletatus est.

ANNO CHRISTI 1410.

CONCILIVM CONSTANTIENSE GENERALE.

ANNO CHRISTI 1414.

HISTORIA CONCILII.

CONCILIVM *Constantiense cum præcipue congregatum fuerit extinguendi schismatis causa, quo iam diu ecclesia laborabat, & in tres diuisa partes, quis esset verus omnino & certus pontifex, vix agnoscebat: res grauissima, quæ diu multumque Christianos torsit, suo iure postulare videtur, vt huiusce schismatis initia paulo altius repetantur, & quis tum fuerit ecclesiæ status, atque illorum temporum conditio, breuiter explicetur. Ac primum quidem illud inter omnes constat, Clementem V. pontificem maximum anno a Christo nato 1305. sedem apostolicam in Galliam transtuliſſe, ac tum ipsum, tum eiusdem successores septuaginta annorum spatio, non sine magno Romanæ ecclesiæ atque Italiæ detrimento, ibidem perstitisse. Tandem Gregorius XI. cum secum ipse reputaret clades magnas, quæ ex hac pontificis absentia in Italiam totam, præsertim vero in Romanam ditionem redundabant; cum videret patrimonium sancti Petri magna ex parte a tyrannis occupatum, ciuitates nobilissimas seruitute oppressas, totamque illam regionem ciuili bello deformatam; denique propter studia partium homines odio & furore inflammatos, nullam æquitatis, nullam iustitiæ, nullam humanitatis rationem habere: decreuit tandem grauissimis hisce causis commotus, relicta Gallia Romam commigrare. Quamuis enim*

ANNO CHRISTI 1414. *enim Gallus esset, sciretque Gallos ægre laturos; voluit tamen (vt optimum pontificem decebat) patriæ splendori, & Gallorum vtilitati reipublicæ salutem & ecclesiæ dignitatem anteferre. Venit itaque Romam Gregorius, magnoque ciuium omnium concursu, & incredibili lætitia exceptus, cum statim in concilianda pace, in alliciendis ad virtutem atque ad officium ciuibus, in restituendis ædificiis vetustate collapsis, & in aliis huiusmodi optimo pastore atque pontifice dignis omne suum studium atque operam collocare cœpisset, paulo post morbo oppressus, summo ciuium & Christianorum omnium mœrore ex vita discessit. Cum autem post eius obitum se cardinales ad electionem successoris compararent, ecce tibi populus Romanus, veritus ne forte Gallus quispiam, qui Auenionem rediret, pontifex deligeretur, cardinales adiit, rogauitque, vti de Italo pontifice creando cogitarent, qui Romæ perpetuo commoraretur, neque in Galliam remigraret. His populi precibus cum cardinales paucis respondissent, sibi in animo esse ecclesiæ dignitati atque vtilitati (vt par erat) totis viribus prospicere: mox dimisso populo, in conclaue, vt mos est, inclusi, confestim de electione pontificis diligenter agere cœperunt. Erant ipsi magna ex parte Galli, sed cum inter se primo non consentirent, aliique aliis cedere nollent, tandem communi omnium consensu Bartholomæum Prignanum Neapolitanum, archiepiscopum Barensem, extra collegium summum pontificem designarunt. Affirmant nonnulli eos esse testatos, se populi Romani metu, suis suffragiis illum nominasse. Verum quomodocumque se res habeat, re vera* [a] *Bartholomæus pontifex constitutus est, & Vrbanus VI. appellatus. Quocirca magno apparatu, Romanorumque lætitia, insignia pontificatus accepit. Sed cum postea nimiam eiusdem seueritatem improbarent cardinales, omnes, vno excepto, per speciem vitandi caloris æstiui primo Anagniam, deinde Fundos secesserunt. Ibi, cum se timoris causa Vrbano pontificatum detulisse affirmarent, eius electionem irritam esse declararunt, cunctisque suffragiis Robertum Gebennensem, qui Clemens VII. dictus est, pontificem designarunt: qui mox in Galliam recedens cum cardinalium collegio, more superiorum pontificum, Auenione, quæ vrbs sita est in Prouincia, sui pontificatus sedem collocauit. Hinc igitur ortum schisma teterrimum, totaque Europa in contrarias partes distracta. Vrbanus se iure, atque aliorum pontificum more creatum esse affirmabat, neque posse cardinales timoris excusationem prætexere, cum etiam aliquot post electionem men-*

[a] Blondus decad. 2. libr. 10. Tho. Vvalsing. hist. Anglic. in Ricardo secundo, Baptista, Platina in Vrbano VI. & alii.

ANNO CHRISTI 1414.

ſibus Romæ commorati, libere actis pontificiis adfuerint, ipſumque tamquam verum pontificem ſæpe venerati ſint. Contra Clemens populi Romani minas in medium proferebat, & cardinales non ſponte, ſed metu coactos ad Vrbanum inclinaſſe, eumque verbo dumtaxat, non re ipſa pontificem creatum eſſe dicebat. His igitur rationibus vterque pontifex adductus, alterum contemnebat, ac tum ipſum, tum eius cardinales execrabatur. Cum autem reges & prouinciæ non aperte intelligerent, vter verus eſſet pontifex, alii hunc, alii illum variis rationibus permoti ſequebantur. Et quamuis multi, temporis decurſu, ſententiam mutauerint, tamen principio Italia tota (regno Neapolitano excepto) Germania, Hungaria, Anglia, Polonia, & aliæ prouinciæ Vrbanum ſecutæ ſunt, eumque tamquam verum pontificem ſumma obſeruantia coluerunt. At vero partes Clementis amplexa eſt Gallia, & fere Hiſpania tota, item Scotia, regnum Neapolitanum, & multæ præterea prouinciæ, ac principes viri. Vterque pontifex in eo maxime elaborauit, vt omnes ad ſe alliceret. Vrbanus vero, quia relictus fuerat a cardinalibus (vno excepto) nouum collegium inſtituit, multoſque viros virtute & eruditione præſtantes in cardinalium numerum cooptauit. Verum, quia hoc loco non agitur de rebus ipſorum pontificum geſtis, ſed tantum de ſchiſmatis cauſis, illud commemorare ſit ſatis, in locum Vrbani, qui annos fere duodecim vixit, Bonifacium IX. ſucceſſiſſe; & in locum Clementis Benedictum Hiſpanum XIII. qui triginta & eo amplius annos pontificis nomen apud ſuos retinuit. Bonifacio ſucceſſit Innocentius VII. & Innocentio Gregorius XII. Is cum pontificatum gereret, iamque Chriſtiani omnes hoc ſchiſma ægerrime ferrent, egerunt ſæpe nonnulli viri generis nobilitate & auctoritate clariſſimi cum ipſo & Benedicto, vt iam tandem hoc ſummum eccleſiæ detrimentum delerent: quod ſi id neceſſarium eſſet ad ſchiſma reſtinguendum, vterque de ſuo iure cederet, aliuſque tandem verus ac certus pontifex deligeretur. Cardinales in primis tum Gregorii, tum Benedicti totis viribus vtrumque ad concordiam hortabantur, dabantque in primis operam, vt ambo conuenirent, ſimulque communem illam perniciem depellerent: ac ſi res poſtulare videretur, vterque ſe pontificatu abdicaret. Aſſenſerunt pontifices Gregorius & Benedictus, amboque quaſi deſiderio proſpiciendi laboranti eccleſiæ flagrarent, illico cardinalium comitatu ſepti, iter ingreſſi ſunt: ſed paulo antequam accederent, cum vterque alterius inſidias timeret, aut ſe timere certe ſimularet, neuter, quantumuis cardinales animos darent,

ANNO CHRISTI 1414. *ad locum destinatum voluit peruenire. Id vero molestissime ferentes vtriusque pontificis cardinales, cum insidias illas fictas & commentitias existimarent, ac tum Gregorium, tum Benedictum ecclesiæ dignitati suam vtilitatem anteponere arbitrarentur, continuo ab ipsis discedentes,* [b] *Pisas aduolant, Concilium congregant, accedunt multi episcopi, quibus ecclesiæ salus cara in primis erat, eamque tam graui ac diuturno schismatis morbo tot annos laborare perinquo animo patiebantur. Defertur hoc negotium grauissimum ad Concilium, vocantur in ius Gregorius & Benedictus, examinatur causa: ad extremum cum illi adesse nollent, summa totius Synodi approbatione vtrique pontificatus abrogatur. Ac ne amplius ecclesia certo pontifice esset orbata, statim a cardinalibus, Petrus Philaretus Cretensis vir optimus atque doctissimus renuntiatur, qui Alexander V. vocatus, summa bonorum omnium gratulatione in sancti Petri sede collocatur. His peractis cum omnes gaudio exultarent, cum cardinales & Synodus se iam ecclesiæ dignitati optime consuluisse, ipsique ecclesiæ sanitatem omnino attulisse existimarent, reuixit continuo schisma, quod extinctum putabatur: imo vero non reuixit (neque enim erat extinctum) sed cum in occulto flamma lateret, repente maiore impetu erupit, maiusque incendium excitauit. Cum enim Gregorius & Benedictus Synodo parere, sequepontificatu abdicare nollent, statim illud in controuersiam venit: Num Synodus Pisana in illos animaduertere potuerit, præsertim cum eorum alteruter verus esset pontifex, tametsi vter is esset, non plane constaret. Itaque cum hoc schisma duo tantum capita haberet initio, Synodusque vtrumque vellet abscindere, tria simul eodem tempore subito extitere. Nam præter Alexandrum, qui in Concilio pontifex fuerat constitutus, retinebat adhuc Gregorius nomen pontificis, eumque nonnullæ Italiæ ciuitates tamquam verum pontificem colebant: nominabatur etiam Benedictus pontifex, eumque maxima Hispaniæ pars, & nonnulli Galliæ proceres sequebantur. Erant denique tres nomine pontifices, ipsaque ecclesia, quæ in duas partes antea fuerat diuisa, tunc in tres partes quodammodo distrahebatur. Sed opem tulit aliquando tantis malis Deus optimus maximus, postque turbulentas adeo tempestates, quibus ecclesia iactata fuerat, sedatis fluctibus, attulit tranquillitatem. Alexander igitur Pisis delectus, cum Concilium ipsum ad negotia ecclesiæ constituenda maxime necessarium arbitraretur, noluit illud dissoluere: attamen grauissimas ob causas in tempus magis opportunum reseruauit: atque inde Bononiam profectus, paulo post morbo*

[b] Tho. Vvalsing. in Henr. 4. Blond. loc. cit. & alii.

extinctus est, cum decem menses pontificatum gessisset. Successit in eius locum Ioannes XXIII. qui de transferendo Concilio Pisano in commodiorem aliquem locum, ad quem tutus omnibus pateret accessus, ac de restituenda ecclesia in pristinum statum serio cogitare cœpit. ANNO CHRISTI 1414.

Incitabat illum, præter negotium schismatis, aliud maximum ecclesiæ detrimentum, quod eodem tempore impendebat. Cum enim Ioannes Vuicleffus[c] Anglus, homo sceleratus, multas hæreses disseminasset, easque variis libris complexus esset, tantam perniciem huiusmodi scriptis etiam mortuus attulit, vt multi venenum illud mortiferum libenter haurirent, ac tamquam furiosi, amentiaque præcipites periculum summum, quod in illis latebat, quamuis admoniti vitare nollent. Quinetiam (quod mirum est) cum in Bohemiam iam libri peruenissent, tanta fuit illorum hominum stultitia, vt cum primo iussu pontificis maximi archiepiscopi, tum Cantuariensis, tum Eboracensis in Anglia, & Pragensis in Bohemia, eos libros damnassent, ac deinde Pragensis eos palam comburi iussisset, postea vero patres in Synodo Romana eos libros iterum condemnassent; multi tamen plus Ioanni Hus, qui illorum librorum, errorumque patrociniũ susceperat, quam reliquis omnibus crederent; nec solum domi retinerent, verum etiam auro & argento codices pestilentissimos exornarent. Erat sacerdos Ioannes Hus,[d] & simulatione sanctitatis multos sibi in Bohemia deuinxerat, in suis autem concionibus, repugnante archiepiscopo, summis laudibus Vuicleffum efferebat, populumque ipsum tum ad eius doctrinam amplectendam hortabatur, tum vero homo nefarius alias hæreses impudenter addebat, quas apud patres in Synodo generali se defensurum esse iactabat. Cum igitur tantum malum in dies latius serperet, magnamque Bohemiæ partem occuparet, vix iam sine Concilio huic detestabili pesti remedium poterat adhiberi. Huc accedebant simoniæ labes, aliaque vitia maxima, quæ occasione schismatis paulatim irrepserant, statumque ecclesiæ ita deformabant, vt etiam si nulla alia causa subesset, vel hæc vna suo iure Concilium postularet.

[c] Tho. Vvalsing. in Eduardo III. & Ricardo II. & Concil. Constan. sess. 8.

[d] Æneas Siluius histor. Bohem. c. 35. & seqq.

Itaque Ioannes hisce causis permotus, & Sigismundi Romanorum imperatoris electi consilio adductus, quinto Idus Decembris anno a Christo nato 1413. [e] Concilium indixit, cumque Constantiam vrbem in Germania prope Heluetios sitam delegisset, ipse anno proximo [f] quinto Kalendas Nouembris cum maximo ornatissimoque cardinalium, & aliorum antistitum comitatu

[e] Bulla conuocationis Cõcilii, quæ in prima sess. continetur.

[f] sess. 1. in princip.

ANNO CHRISTI 1414. *Constantiam venit, pauciſque poſt diebus initium Concilio dedit.*

g *Conuenerunt ad hanc Synodum multi patres, viri doctrina & probitate clariſſimi; multi item viri potentia, generiſque ſplendore, in primis vero ipſe Romanorum rex Sigiſmundus, qui magnam ſpeciem in eo pietatis & religionis dedit. Comitati ſunt eum permulti Germaniæ atque Hungariæ principes ampliſſimi, qui etſi non omnes eodem tempore, ſemper tamen aliqui Conſtantiæ permanſerunt. Inchoato deinde Concilio, tametſi eam ob cauſam potiſſimum erat coactum, vt ſchiſma extingueretur, nunquam tamen in eo elaborarunt patres, vt ſingulorum pontificum ius perpenderent, aut quis reliquis præferendus eſſet, rationibus & argumentis exquirerent. Erat id enim difficillimum, vixque vnquam ad exitum fuiſſet cauſa perducta. Itaque patres id vnum curarunt, vt illi tres pontifices de ſuo quiſque iure decederent, aliuſque verus & certus, de quo nulla poſſet eſſe dubitatio, pontifex deligeretur. Quamuis autem Ioannes XXIII. Synodum congregaſſet, ſeque pontificatu ceſſurum promiſiſſet, ſi Gregorius & Benedictus ſe vellent abdicare, tamen mutato conſilio clam noctu, pontificiis inſignibus abiectis, Conſtantia diſceſſit, & ſe in oppidum quoddam ducis Auſtriæ, cuius auxilium imploraſſet, metu perterritus recepit. Tulit grauiter Synodus Ioannis diſceſſum, acerbeque in eum inuecta eſt. Fuerant Ioanni præterea multa obiecta crimina, de quibus continuo patres cognouerunt, iudiciorumque ordine ſeruato, primo quidem eum a pontificatus adminiſtratione remouerunt: paucis vero poſt diebus poſtrema lata ſententia, eidem pontificatum abrogarunt. Tulit Ioannes moderate, atque adeo ſuo aſſenſu Synodi ſententiam comprobauit. Ac ne qua vnquam dubitatio poſſet exiſtere, de iure ſuo ſponte deceſſit, ſeque pontificatu abdicauit. Atque ita eſt Ioannis ad exitum cauſa perducta. Hæc acta ſunt, vſque ad actionem* XII. *quæ habita eſt quarto Calendas Junii, anno* MCCCCXV.

g Hæc omnia conſtant ex actis.

Præterea h *errores Ioannis Vuicleffi & Ioannis Hus examinati ſunt, eorumque cauſa doctiſſimis hominibus commiſſa; qui cum attente libros eorum legiſſent, multa in iis repererunt a religione Chriſtiana aliena: in primis vero apud Vuicleffum quadraginta quinque, & apud Ioannem Hus triginta articulos perniciosos, qui etſi non omnes in eodem impietatis gradu verſarentur, aliique eſſent aliis deteriores; tamen in omnibus peſtiferum latebat virus, omneſque ſalutari eccleſiæ doctrinæ aut omnino, aut aliqua certe ex parte aduerſabantur. Quare Synodus articulis in*

h Seſſ. 8. & 15

medium prolatis, non solum libros damnauit, eorumque lectionem Christianis omnibus interdixit, verum etiam auctorem ipsum inter hæreticos retulit, atque anathemate perculit, & eius ossa iussit, si quo modo agnosci possent, e sepulcro eruta concremari. Porro cum ipse Ioannes Hus Constantiam veniisset, vt Vuicleffi hæreses & suas coram patribus tueretur, ac principio assentiri Synodo se velle dixisset; deinde tamen ad ingenium rediens, suos & Vuicleffi errores defendere, quam veram ecclesiæ doctrinam sequi, maluit; in illisque persistens, a patribus de hæresi damnatus, viuus exustus est. Accessit ad idem Concilium Hieronymus de Praga, eiusdem Ioannis socius, & eorumdem errorum propugnator acerrimus. [i] Huic fidem publicam postulanti Concilium dedit, salua tamen iustitia (hæc enim sunt verba Synodi) quibus verbis eidem, nisi ab hæresi discederet, aperte supplicium minabatur. Ergo Constantiam profectus, primo quidem palam hæreses [l] detestatus, fidemque catholicam confessus est: sed paulo post ad pristinos errores [m] reuersus, eamdemque Vuicleffi & Ioannis Hus doctrinam a Synodo iam damnatam (vna tantum re excepta) defendere ausus, statim suæ temeritatis & audaciæ pœnas iustas debitasque persoluit. Hæc acta sunt in hæreticorum causa, quæ vt non eodem tempore sint omnia gesta, tamen cum eiusdem sint generis, consimul ea coniungere consentaneum visum est.

Anno Christi 1414.

[i] Sess. 6.

[l] Sess. 19.

[m] Sess. 21.

Restat iam, vt aliæ Synodi res gestæ in medium breuiter primo afferantur. Post sententiam contra Ioannem XXIII. latam, omnia magna ex parte feliciter euenere. Gregorius enim vir bonus & pius paucis post diebus, cum ecclesiæ statum videret, religione obstrictus, Ioannem Dominicum cardinalem Ragusinum, & Carolum Malatestam virum clarissimum Constantiam misit; nec solum auctoritatem suam interposuit, ac per hos legatos Synodum suo nomine comprobauit, verum etiam per eumdem Carolum, cui hanc rem totam commisit, magna omnium approbatione pontificatum deposuit. Accepit ex ea re Concilium eximiam voluptatem, cum videret duas iam partes inter se coniunctas, tantumque reliquam esse tertiam Benedicti, eamque solam obstare, quo minus negotium grauissimum ad exitum perduceretur. Quod autem suspicarentur patres ex iis quæ viderant, Benedictum non facile cessurum, omnes neruos in eo contenderunt, vt pertinacem eius animum expugnarent. Quare, cum summa esset eo tempore Sigismundi imperatoris auctoritas, Synodus [n] ipsum

[n] Sess. 16. & 17.

Anno Christi 1414. magnopere rogauit, vt ecclesiæ susciperet patrocinium, & ipsemet cum legatis Concilii Benedictum adiret, & ad officium cohortaretur. Quod si eum adducere minus posset, Ferdinandum certe Aragoniæ regem, qui præter ceteros Benedicto fauebat, & alios qui eumdem vt verum pontificem venerabantur, ab ipso Benedicto auertere, & ad delendam insignem illam maculam, & ad ecclesiam vno omnium consensu in antiquum statum restituendam, conaretur impellere. Susceperat iam antea Sigismundus negotium, egeratque per literas cum ipso Ferdinando Aragoniæ rege, vt Nicæam Prouinciæ vrbem ambo conuenirent, ad eamdemque Gregorius & Benedictus accederent: tum vero etsi Gregorius plane iam suo officio satisfecerat, vnaque tantum Benedicti pars Synodo repugnabat, non solum Sigismundus iter aggressus est, verum etiam cum Ferdinandus graui ac diuturno morbo laborans, nullo modo ad Nicæam venire posset; imperator clarissimus, cui ecclesiæ dignitas cara in primis erat, purpura & maiestate imperatoria indignum non putauit in Hispaniam se conferre, ac regem auctoritate & potentia inferiorem, cum tam longe abesset, quoniam ita ecclesiæ expediebat, intra Aragoniæ fines conuenire. Erat Ferdinandus eo tempore Perpiniani, quod oppidum vt sit in regni Aragoniæ ditione, tamen citra montes Pyrenæos in Gallia Narbonensi situm est. Ibi Sigismundus vna cum sex Concilii legatis, quorum princeps erat Iacobus Turonensis archiepiscopus, magnifice ac regio apparatu acceptus, statim cum rege Ferdinando de negotio egit: deinde cum Benedicto qui eiusdem Ferdinandi opera Perpinianum venerat, atque inibi tum diu diuersabatur. Obsecrarunt eum reges ac legati, vt ecclesiæ aliquando consuleret: & quoniam nihil præter ipsius voluntatem detestabili pesti depellendæ tunc obstabat, daret ipse quoque manus, tribueretque hoc summum ecclesiæ beneficium, eiusque vtilitatem, vt virum Christianum decet, nomini & insignibus pontificis anteferret. Restitit vsquequaque Benedictus, nullisque vnquam precibus moueri potuit: atque adeo cum causam suam defendendam suscepisset, septem horas in tuendo suo iure & explicando consumpsit. Tantum attulit fastidium omnibus, præsertim vero Ferdinando, summa illa duri hominis pertinacia, vt Benedictus pertimuerit, ne sibi forte aliqua vis afferretur. Quapropter noctu clam ad Colliberis portum, in quo duas ipse triremes promptas habebat, celeriter profugit, ac statim portu soluens, Penisscolam nauigauit. Est Penisscola oppidum Hispaniæ citerioris

apud Ilercaones non longe ab vrbe Dertosa, quod oppidum ferme vndique mari alluitur. Ibi Benedictus arcem habebat loci natura, militum præsidio, omnique rerum genere munitissimam. In ea inclusus deinceps vitam egit, nihilque amplius de abdicatione, aut de Synodo audire voluit: & quamuis ab omnibus regibus & prouinciis desertus, ad extremum tamen vsque spiritum retinuit pontificatus insignia. Interea Ferdinandus rex, singulari Benedicti contumacia commotus, ab eo discedere decreuit: reque cum aliis regibus ac principibus qui Benedicti partes sequebantur, quam primum communicata, prope omnes Ferdinandi consilium summo consensu comprobarunt; omniumque nomine missi sunt legati Narbonem, vbi Sigismundus negotii exitum expectabat. Cum igitur Narbone concordiæ conditiones essent a regum legatis propositæ, eas continuo Sigismundus, & episcopi qui cum eo venerant, acceperunt: Synodusque ipsa Constantiensis, ad quam delatæ sunt, easdem sine vlla cunctatione approbauit °: & quia longum esset omnia huius concordiæ capita commemorare, satis erit proferre præcipua. Illud igitur primum inter regum legatos & Synodum conuenit, vt omnia decreta quæ a ceteris pontificibus, atque a Synodo Pisana prius, postea vero a Constantiensi contra eos qui Benedictum tamquam verum pontificem coluerunt, sunt constituta, rescinderentur, & irrita essent. Deinde vt ea quæ Benedictus vt pontifex suis concessisset, a Synodo confirmarentur. Præterea vt cardinales Benedicti, si ad Synodum venirent, in numero cardinalium essent, idemque honor eis haberetur, qui veris cardinalibus haberi solet. Item vt ministris Benedicti, qui ab ipso deficerent, honesta aliqua ratione Synodus prouideret. His rebus ita constitutis, legati Alphonsi regis Aragoniæ, qui in locum patris Ferdinandi nuper demortui successerat, ac deinceps aliorum regum, Constantiam venerunt, ac tum ipsi, tum multi episcopi & abbates Hispani, aliique viri summa auctoritate præditi se (vt in pactis cautum erat) cum Synodo coniunxerunt. Erat iam tum Concilium Constantiense generale, cum trium partium, in quas ecclesia fuerat antea distracta, concursus factus esset; videbaturque iam schisma magna ex parte sublatum. Sed ne vllus scrupulus amplius resideret, antequam pontifex verus ac certus designaretur, voluerunt patres de negotio Benedicti cognoscere, eique, nisi se ipse prius abdicaret, causa cognita, pontificatum abrogare. Fuit itaque Benedictus in ius vocatus: [P] sed contempsit ipse tum Synodum, tum eius edictum, neque vnquam adduci potuit, vt adesset,

Anno Christi 1414.

° Sess. 20. & 22.

P Sess. 23. 24. 29. & seqq.

ANNO CHRISTI 1414. adesset, aut quidquam responderet. Quare Synodus hominis insolentiam grauiter ferens, seruata omni ex parte iudiciorum forma, in Benedictum animaduertit, sententiaque lata ipsum de variis criminibus damnauit, atque anathematis pœna prius multatum, omnino de pontificatu deiecit. Post hanc sententiam communi omnium consensu confirmatam, cum nihil iam prohibere videretur, quo minus pontifex ecclesiæ præfici posset, statim patres [q] se ad eius electionem compararunt, & ad eos cardinales, qui tum Constantiæ aderant, alios XXX. viros probos & eruditos adiunxerunt, quos suffragii ius in ea tantum electione habere voluerunt. Ingressi sunt hi in conclaue sexto Idus Nouembris, & sexto post die pontifex renuntiatus est Otho Columna patria Romanus ex illustri Columnensium familia natus, vir prudentia & pietate insignis, qui quod in feriis sancti Martini esset electus, ab eo voluit nomen accipere; atque ita Martinus quintus est appellatus. Ceperunt patres omnes mirificam ex ea re lætitiam, tum quia sublato schismate pontifex iam certus erat electus, tum quia Martinus præter ceteros illo munere dignissimus videretur. Mansit pontifex Constantiæ amplius quam quinque menses: quo toto tempore quamquam generale Concilium sine dubio & maximæ auctoritatis fuit, cum Martinus pontifex maximus illi præesset, non tamen multa extant ipsius Concilii decreta. Tandem anno 1418. cum iam patres qui ab initio venerant, quatuor annos & sex menses Constantiæ traduxissent, resque ipsa postulare videretur, vt absoluto negotio cuius causa venerant, & constituto gregis vniuersi pastore, ad suas ipsi quoque oues pascendas redirent, decimo Calendas Maii Concilium pontificis iussu, maximaque patrum omnium consensione est ad exitum perductum. Cuius Concilii decreta, quæ ad fidem declarandam pertinent, hæresesque damnandas, sua auctoritate Martinus pontifex confirmauit. [r] Verumtamen, quia multa restabant adhuc præcipue de Christianorum moribus corrigendis; ea omnia in proximam Synodum reseruata sunt: quam iam tum Martinus indixit, [s] & post septem annos Ticini congregari iussit. Synodo absoluta Martinus in Italiam venit, Florentiæque aliquamdiu diuersatus, tandem Romam se recepit, vbi reliquam vitam egit. Ac de Concilio quidem Constantiensi hactenus.

[q] Sess. 40. & 41.

[r] Sess. vlt.

[s] Sess. 44.

Quoniam autem huius exitiosi schismatis quod in ea Synodo fuit oppressum, adhuc superfuerunt scintillæ nonnullæ, quæ magno labore sunt extinctæ; reliquum est, vt de his mentio breuiter fiat. Ac

primum quidem illud liquet, Gregorium & Ioannem XXIII. ANNO CHRISTI 1414.
[t] vel potius Angelum Corarium & Baltassarem Cossam, nullam
[t] Plat. in Ioan. 23. & Mart. V. postea ecclesiæ molestiam exhibuisse. Angelus enim antequam Concilium absolueretur, ex vita discessit: Baltassar vero cum in carcere seruaretur, tandem custodibus pecunia corruptis euasit, Florentiam venit, seque ad Martini pedes supplex abiecit; a quo benigne exceptus, & in cardinalium collegium cooptatus, paulo post in eadem vrbe morbo consumptus est, & magna funeris pompa inibi in sancti Ioannis templo sepultus. At vero Benedictus XIII. siue Petrus de Luna, septem annos post Synodum Constantiensem vixit, neque vnquam pontificis nomen deposuit: imo vero cum eodem tempore Alphonsus Aragoniæ rex bellum grauissimum in Italia cum Ludouico Andegauensi gereret, ac Martinus in partes Ludouici propendere videretur, iratus pontifici Alphonsus dedit operam, vt cardinales duo, qui reliqui erant post obitum Benedicti, pontificem alterum designarent. Delegerunt ipsi Aegidium Munionem canonicum Barcinonensem, cui Clementi VIII. nomen fuit. Idem cardinales creauit, & alia obiit munera pontificia. Sed postea cum idem Alphonsus in gratiam cum Martino rediisset, facili negotio schisma est omnino sublatum. Nam Alphonsus Borgia vir optimus ac prudentissimus, qui paucis post annis factus est pontifex maximus, tunc ad hoc negotium delectus, egit cum hoc Clemente, ac deinde Petrus cardinalis Fuxensis: tantumque vterque apud eum sua opera & auctoritate potuit, vt Clemens sponte se pontificatu abdicarit. Coniecti sunt in vincula duo illi cardinales qui eum delegerant, quia nunquam errorem deponere, neque Martino vero pontifici obtemperare voluerunt. Atque ita demum schismatis incendio omni ex parte restincto, & Martinus vnus clauum securus ecclesiæ tenuit, & ipsa summam tranquillitatem ac pacem optatissimam consecuta est.

ACTA
SACRI GENERALIS
CONSTANTIENSIS CONCILII.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hic liber continet ordinationes, statuta, constitutiones, decreta, & alia acta & gesta in generali Constantiensi Concilio, præsidente sanctissimo in Christo patre & domino no-

ANNO CHRISTI 1414. ſtro, domino Ioanne diuina prouidentia papa XXIII. recollecta, viſa, & ordinata per nos protonotarios, notarios & ſcribas infra ſcriptos, ad id per eumdem dominum noſtrum papam, ipſo approbante Concilio, deputatos, ſub annis Domini, indictione, pontificatu, menſibus, & diebus inferius annotatis.

Introitus papæ Ioannis XXIII. ad Conſtantiam.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, anno a natiuitate eiuſdem milleſimo quadringenteſimo decimoquarto, indictione ſeptima, die Lunæ quinta menſis Nouembris, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri D. Ioannis diuina prouidentia papæ vigeſimitertii anno quinto, præfatus ſanctiſſimus dominus noſter papa, qui alias continuando Piſanum generale Concilium, ſtatuit ipſum Concilium iterum conuocandum ad hanc ciuitatem Conſtantienſem: quam ciuitatem die dominica 28. menſis Octobris proxime decurſi, ſolenniter & honorifice intrauit, & ita conuocauit ad primum diem huius menſis, vt patet per literas apoſtolicas, de quibus infra in ſeſſione diei ſextædecimæ huius menſis fit mentio. Sed propter celebritatem feſti omnium ſanctorum, & commemorationem defunctorum, ad diem Sabbati tertiam, & deinde ipſam tertiam ex certis cauſis diſtulit ad hanc diem. In ipſa tamen die omnium ſanctorum dum idem dominus noſter Miſſarum ſolennia celebraret, inter ipſa ſolennia facto ſermone ad clerum per egregium doctorem decretorum dominum Ioannem * Volim, per reuerendiſſimum in Chriſto patrem D. Franciſcum, ſanctorum Coſmæ & Damiani diaconum cardinalem, lecta fuit ſchedula huius tenoris, videlicet:

*Polin *Polim

Ad laudem omnipotentis Dei, & incrementum ſtatus, tranquillitatis, & pacis vniuerſalis eccleſiæ ſanctæ Dei. Cum ſanctiſſimus dominus noſter D. Ioannes diuina prouidentia papa XXIII. paterna pietate reſpiciens in ciuitate Laudenſi, v. Idus Decembris, pontificatus ſui anno v. continuando ſacrum Piſanum & generale Concilium ſuper reformatione ſtatus eiuſdem eccleſiæ, de venerabilium fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio indixerit iterum generale Conci-

lium huiuſmodi celebrandum in hac ciuitate Conſtantienſi prouinciæ Moguntinenſis, in proximis Calendis Nouembris inchoandum, ipſum Piſanum Concilium rurſum continuaturus, intimat de eorumdem fratrum conſilio, quod* intrabit dictum futurum Conſtantienſe Concilium, Deo fauente, die Sabbati de mane proxime futura, in hac eccleſia Conſtantienſi, *cum Miſſarum, ſermonis ac proceſſionum celebratione in talibus conſuetorum.* Datum Conſtantiæ Calendis Nouembris, pontificatus eiuſdem domini noſtri anno v. ANNO CHRISTI 1414. *initiabit

Inchoatio ſacri Concilii Conſtantienſis.

Item dominus noſter papa ipſa die quinta, pro felici inchoatione dicti Concilii præmiſſa ſolenni proceſſione, adſtante cum mitris & habitibus pontificalibus, tam reuerendiſſimorum dominorum cardinalium, quam archiepiſcoporum, epiſcoporum, electorum abbatum, & aliorum prælatorum cœtu copioſo, Miſſam de ſancto Spiritu in eccleſia Conſtantienſi ſolenniter celebrauit: & per religioſum virum fratrem Ioannem de Vercellis, ſacræ theologiæ magiſtrum, priorem prioratus de * Pamonte Bellicenſis diœceſis, procuratorem ordinis Cluniacenſis, pronuntiatus eſt ſermo ad clerum, pertinens ad materiam & propoſitum; & reuerendiſſimus pater dominus Franciſcus, ſanctorum Coſmæ & Damiani diaconus cardinalis prædictus, ex pulpito ligneo quod aſcendit, hæc verba alta & intelligibili voce protulit, ſcilicet: Sanctiſſimus dominus noſter papa, ſacro approbante Concilio, ſtatuit ſeſſionem tenendam die Veneris x v i. huius menſis, de & ſuper quibus omnibus & ſingulis magiſter Ioannes de Scribanis, procurator * fiſci, alta & intelligibili voce per protonotarios domini noſtri papæ, & clericos, & notarios cameræ apoſtolicæ, petiit fieri publicum * & publica inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam. *Ymmonte *Immonte *f. inſtrumentum &

SESSIO I.

DIE Veneris decima ſexta menſis* Nouembris, anno, indictione & pontificatu, quibus ſupra, ſacra & vniuerſali Synodo in eccleſia Conſtantienſi, præſidente præfato domino papa, ſolenniter congregata, celebrataque *Decembris,

ANNO CHRISTI 1414. Missa de Spiritu sancto per reuerendissimum in Christo patrem dominum Iordanum episcopum Albanensem, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem, de Vrsinis vulgariter nuncupatum, cantatisque litaniis, & aliis deuotis orationibus pie porrectis ad Deum, idem dominus noster papa inchoans, *Veritatem diligite*, Zachariæ 8. cap. & adducens auctoritates noui & veteris testamenti, allocutus est Synodum, exhortans omnes ad meditandum, & solerter insistendum super ordinandis his quæ ad ecclesiæ pacem & statum pertinent. Quo sermone perlecto, reuerendissimus in Christo pater dominus Franciscus, sanctorum Cosmæ & Damiani diaconus cardinalis, Florentinus vulgariter nuncupatus, stans in thalamo eminenti, vbi dictus dominus noster sedebat, alta & intelligibili voce legit schedulam sequentem, videlicet: *Zach. 8.*

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Intendentes ad executionem eorum quæ per felicis recordationis Alexandrum papam V. prædecessorem nostrum in Pisano Concilio decreta fuerunt circa conuocationem Concilii generalis iterum faciendam, dum alias præsens Concilium conuocauimus per literas nostras, quarum tenorem hic duximus inserendum.

BVLLA CONVOCATIONIS CONCILII.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

AD pacem & exaltationem ecclesiæ, & tranquillitatem Christiani populi prompto corde & efficaci desiderio intendentes, ea libenter ordinamus & quærimus, per quæ huiusmodi pax & exaltatio tranquillitatis merito valeat promereri. Dudum siquidem felicis recordationis Alexander papa V. antecessor noster, in sacro generali Pisano Concilio tunc præsidens, ex quibusdam magnis & arduis causis eumdem mouentibus, ipso approbante Concilio, inter cetera decreuit, iterum generale Concilium extunc ad terminum per se vel successorem suum, in lo-

co de quo sibi vel eidem successori videretur, fore solen- ANNO CHRISTI 1424.
niter conuocandum. Idemque prædecessor ea quæ circa reformationem ecclesiæ expedienda restabant, pro tunc susspendit, ipsumque Concilium vsque ad tempus triennii præfatum continuandum statuit, & prorogauit. Postmodum vero ipso Alexandro prædecessore nostro (sicut Deo placuit) vita functo, nobisque diuina fauente clementia ad apicem summi apostolatus assumptis, dum tempus triennii eiusdem iam aduenerat, & nos per vestigia eiusdem prædecessoris incedere, & ordinationem præfatam ab eo in Concilio (vt præfertur) factam puro corde & recta voluntate adimplere properaremus, quibusdam rationibus tunc expressis animum nostrum mouentibus, Concilium huiusmodi in Romana vrbe (quæ paulo ante de manibus hostium recuperata, præsentiam nostram pro ipsius conseruatione plurimum flagitabat) debito tempore conuocauimus. Verum quia veniente postea tempore constituto, prælati & ceteri qui huiusmodi Concilio interesse debebant, nequaquam in tanto numero conuenerunt, quantum rerum agendarum pondus & magnitudo requirere videbatur: nos post alias prorogationes per nos factas, tandem Concilium ipsum ad mensem * Decembris nunc præsentem solenniter prorogauimus, ac celebrandum statuimus. Locum autem infra certum tempus reliquimus declarandum, vt interim super eo maturius consuleremus. Post hæc vero, infra dictum tempus nondum elapsum, per literas carissimi in Christo filii nostri Sigismundi, electi in regem Romanorum, & Hungariæ regis illustris, instantissime requisiti, vt non properaremus in declaratione huiusmodi loci pro Concilio faciendo, sed tam in declaratione loci prædicti, quam etiam in tempore dicti Concilii celebrandi supersedere vellemus, donec ipse nuntios suos super hoc instructos ad nostram præsentiam destinaret: nos votis eiusdem regis, quæ ex zelo deuotionis, & puritate fidei emanare conspiciebamus, annuentes, aduentum præfatorum nuntiorum de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, & prælatorum, qui Romæ in generali consistorio ad hoc vocati fuerunt, voluntate, consilio & assensu duximus expectandum. Deinde cum post Romanæ vrbis miserabi-

* f. Nouembris

Anno Christi 1414. lem casum ad nos tunc apud Florentiam existentes eiusdem regis nuntii accessissent, & ex parte eiusdem regis multa nobis circa materiam suggessissent, eorum auditis relatibus, pro pleniori expeditione dilectos filios nostros Antonium tituli sanctæ Cæciliæ presbyterum, & Franciscum tituli sanctorum Cosmæ & Damiani diaconum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, cum plena potestate super huiusmodi electione loci & deputatione temporis, ac simul cum eis dilectum filium nostrum nobilem virum *Chrysoloram Manuelem * Chissolarensem militem Constantinopolitanum, ad præsentiam eiusdem regis transmisimus: qui ad eum venientes, tandem de ipsius regis consilio & assensu ciuitatem Constantiensem prouinciæ Moguntinensis pro loco huiusmodi Concilii celebrandi concorditer elegerunt, ac tempus ad initiandum huiusmodi Concilium statuerunt diem primum mensis Nouembris proxime venturi. Deinde vero nos, qui pro quibusdam arduis & magnis negotiis cum eodem rege iuxta nostrum & ipsius desiderium personaliter conuenientes, certificati ab eo de habilitate, capacitate & securitate ciuitatis Constantiæ antedictæ, quam securitatem ipse rex se præstiturum, & in ipso Concilio personaliter affuturum pollicetur, volentes, & ab intimis cupientes, vt præfata celebratio Concilii salubriter impleatur, & optatum consequatur effectum, huiusmodi electionem loci & temporis (vt præfertur) factam, auctoritate apostolica tenore præsentium, de eorumdem fratrum nostrorum consilio & assensu ratificamus, approbamus & confirmamus, ac ei apostolici roboris adiicimus firmitatem, præfatumque Concilium in ciuitate prædicta Constantiensi die prima mensis Nouembris proxime venturi initiandum, & auctore Domino exinde celebrandum, eadem auctoritate & consensu harum serie statuimus, pronuntiamus & decernimus, venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos & dilectos filios, electos abbates, & ceteros ecclesiarum & monasteriorum prælatos requirentes, hortantes, & monentes, ac in virtute præstiti iuramenti & sanctæ obedientiæ eisdem mandantes, quatenus personaliter: nec non carissimos in Christo reges & nobiles viros, duces, principes, marchiones, & alios qui huiusmodi Concilio interes-

se debent, vel qui prodesse possunt quoquo modo, per viscera caritatis Domini nostri Iesu Christi inuitantes & exhortantes, quatenus pro pace ecclesiæ, & omnium Christianorum, etiam personaliter; vel si personaliter non possint, per solennes oratores congruo tempore Concilio dicto debeant interesse: vt sic congregata fidelium multitudine copiosa, ea quæ in eodem Concilio agenda incumbunt, Deo auctore & adiutore salubriter ordinentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ ratificationis, approbationis, confirmationis, pronuntiationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. Datum Laude quinto Idus Decembris, pontificatus nostri anno quarto. ANNO CHRISTI 1414.

Qua lectione per præfatum magistrum Iob completa, idem dominus Franciscus cardinalis surgens & stans supra, schedulam ipsam primam resumens, legit eius residuum, cuius residui tenor talis est.* Iob

Et subinde cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus & nostra curia ad hanc ciuitatem Constantiensem venimus tempore constituto: & nunc per Dei gratiam hic existentes, cum huius sacræ Synodi consilio intendimus insistere ad pacem, exaltationem & reformationem ecclesiæ & tranquillitatem populi Christiani: & quia in hac re tam ardua non est propriis viribus aliquid præsumendum, sed Dei adiutorio confidendum, ideo a cultu diuino inchoantes, hoc sacro approbante Concilio ordinauimus, quod hac ipsa die specialis Missa ad hoc constituta diceretur, sicuti per Dei gratiam nunc celebrata est: quam Missam etiam statuimus, & in hac, & singulis aliis ecclesiis collegiatis sæcularibus & regularibus huius ciuitatis, semel in hebdomada, videlicet feria quinta, hoc sacro Concilio durante, collegialiter celebrari. Et vt eo feruentius huic sacræ celebrationi fideles insistant, quo ampliori gratiæ munere senserint se refectos, omnibus & singulis vere pœnitentibus & confessis, videlicet sacerdotibus dictas Missas celebrantibus, pro singulis Missis vnum annum, interessentibus vero quadraginta dies de iniunctis* eis pœnitentiis in Domino relaxamus.

Ad

ANNO CHRISTI 1414. Ad cuius etiam Missæ celebrationem exhortamur venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, nec non patriarchas, archiepiscopos, episcopos & dilectos filios electos abbates, ceterosque in sacerdotio constitutos, vt & ipsi ad impetrandum prædictum diuinum auxilium cum deuotione singulis septimanis prædictam Missam celebrent semel: quibus celebrantibus, & celebrationi interessentibus, similes indulgentias elargimur. Exhortamur etiam in Domino omnes & singulos qui Christi nomine gloriantur, vt ad obtinendam optatam consummationem tantæ rei diligenter insistant orationibus, ieiuniis, eleemosynis, & aliis piis operibus, vt Deus ex nostra & ipsorum humiliatione placatus, dignetur felicem exitum huic sacræ congregationi concedere.

Præterea considerantes, quod præcipuum agendum in Concilio generali, secundum laudabiles consuetudines antiquorum Conciliorum, esse debet de his quæ concernunt catholicam fidem: & attendentes, quod talia propter * summam arduitatem exigant diligentiam, tempus sufficiens & studium, exhortamur omnes habentes peritiam sacrarum literarum, vt diligenter secum & cum aliis illa cogitent atque tractent, quæ eis videbuntur ad hanc rem vtilia & opportuna, & quamprimum commode poterunt, illa ad nostram & huius sacræ Synodi notitiam perducant, vt tempore opportuno possint ea determinari, quæ videbuntur tenenda vel repudianda pro vtilitate & incremento ipsius catholicæ fidei: & specialiter cogitent circa nonnullos errores, qui a certis temporibus dicuntur in nonnullis partibus pullulasse, & maxime circa illos qui ortum dicuntur habuisse a quodam Ioanne dicto Vuicleff. Insuper etiam exhortamur omnes catholicos hic congregatos, & alios ad hanc sacram Synodum venturos, vt velint cogitare diligenter & prosequi, & ad nos, & ad eamdem sacram Synodum perducere ea, per quæ possit ecclesia & congregatio catholicorum ad debitam reformationem & optatam tranquillitatem, Deo iuuante, perduci. Nostræ namque intentionis ac voluntatis est, vt omnes hac de causa hic congregati cum omnimoda libertate possint dicere, consulere & facere omnia & singula, quæ ad præmissa putauerint pertinere.

* suam

Anno Christi 1414.

Vt autem notus sit modus, qui in huius sacræ Synodi processu seruandus est, tam quo ad ea quæ dicenda & determinanda erunt, quam etiam quo ad consensum & gestum & morem & compositionem, putamus in hoc recurrendum esse ad obseruantias antiquorum patrum, quæ maxime colliguntur ex Canone Toletani Concilii, cuius tenorem duximus hic inserendum.

Tolet. Concil. XI. c. 1.

In loco benedictionis considentes domini sacerdotes, nullis debent aut indiscretis vocibus perstrepere, aut quibuslibet tumultibus perturbari, nullis etiam fabulis vanis vel risibus agi, & (quod est deterius) obstinatis disceptationibus tumultuosas voces effundere. *Si quis enim* (vt apostolus ait) *putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, huius vana est religio.* Cultum enim suum iustitia perdit, quando silentium iudicii obstrepentium turba confundit, dicente propheta: *Erit cultus iustitiæ, silentium.* Debet ergo, quidquid aut consultationibus considentium agitur, aut a causantium parte proponitur, sic mitissima verborum relatione proferri, vt nec contentiosis vocibus audientiam turbent, nec iudicum vigorem de tumultu eneruent. Quicumque ergo in conuentu Concilii hæc quæ præmissa sunt, violanda crediderit, & contra hæc interdicta, aut tumultu, aut contumeliis, vel risibus Concilium conturbauerit, iuxta diuinæ legis edictum, quo præcipitur: *Eiice derisorem, & exibit cum eo iurgium:* cum omni dedecore de * confessione abstractus, a communi cœtu secedat, & trium dierum excommunicationis sententiam perferat. Et quoniam communiter contingere potest, quod aliqui ex considentibus non erunt in sedilibus debitis collocati, eodem sacro approbante Concilio decernimus, quod ex sessione huiusmodi nulli ecclesiæ vel personæ præiudicium generetur.

Iacob. 1.

Isai. 32.

Prouer. 22.

* f. confessione

Deputantur hic ministri & officiales Concilii.

Quia vero ad prosecutionem huius Concilii requiruntur certi ministri & officiales, ideo hoc sacro

Articulus approbationis scripturarum protonotariorum per quatuor nationes deputatorum.

Item constituit, deputat & ordinat dicta sancta Synodus pro qualibet natione vnum protonotarium, videlicet pro natio-

ANNO CHRISTI 1414. approbante Concilio deputamus infra scriptos, videlicet dilectos filios *Aragonũ de Malispinis (loco cuius, quia promotus fuit postea ad ecclesiam Esinam, per nationem Italicam fuit electus & appositus dominus Iacobus Rhodini de Ianua) Paulum* de Iuuenaco, Hermannum de Duuerchk, Thomam * Polten, & Ioannem de * Trembleyo, notarios nostros, qui videndi omnes scripturas quæ in eodem Concilio fient, curam habeant specialem, ita quod concorditer & ordinate fiant, sicut decens est: & omnibus ordinatis in præfato Concilio se subscribant. Nec non dilectos filios magistros Antonium de Iuschis, Angelum de Reate, Iob de Gestis, & Petrum de * Irilia, præfati Concilii notarios & scribas, qui subalternent notariis supradictis. Dilectum filium nobilem virum Bertholdũ de Vrsinis, comitem Suauonensem & Palatinum, ipsius Concilii custodem: dilectos filios magistros, Ioannem Basiræ literarum apostolicarum * scriptorem, Iacobum de * Campis, causarum palatii nostri auditorem, Angelum de * Stublionibus causarum apostolicæ cameræ auditorem, & Petrum Gallicana Joannem de Trambleyo, pro natione Italica Iacobum Rhodini de Ianua, pro natione Germanica Hermannum Duergh, pro natione Anglicana Thomam Polcon. Item notarios nationum, videlicet pro natione Gallicana Michaelem de Blosonis, & Ioannem Guiardi: pro natione Italica Bartholomæum de Guastis, & Ioannem Azel: pro natione Germanica Gumpertum Fabri, & Ciselerum Bouencen: & pro natione Anglicana Vuilhelmum Porcel. Quibus dat auctoritatem & plenariam potestatem omnia & singula in præsenti sacro Constantiensi Concilio dicta, acta, actitata, promulgata, publicata, lecta, petita, & omnia alia quæcumque gesta, facta; & omnia quæcumque in posterum dicenda, agenda, iactitanda, promulganda, publicanda, legenda, petenda; & quæcumque alia in & pro dicto sacro Concilio, & ad dictum sacrum Concilium quomodolibet pertinentia, & facienda, & peragenda, in formam publicam redigendi, & alias conscribendi. Approbatque dicta sancta Synodus omnia & singula per ipsos protonotarios & notarios in dicto sacro Concilio, & ad ipsum Concilium quomodolibet pertinentia, conscripta, & tam in publicam formam, quam alias in scriptis,

*Iuuenatio
*Polcon
*Ternubio
*Trilhya
*correctorem,
*Camplo
*Stullionibus
*Balionibus

trum Pauli de Iuſtinopoli canonicum Rauennatenſem, decretorum doctores, ſcrutatores votorum, quorum duo ex vna, alii vero ex altera præfati Concilii parte vota ſcrutentur: & cum ipſis duo ex eiſdem notariis, ac duo ex ſcribis ſupradictis in votorum * ſcrutamine ſemper debeant intereſſe. Dilectos filios magiſtros, Petrum de Anchorano vtriuſque iuris, Simonem de Peruſio iuris ciuilis, Raphaelem de Fulgoſiis vtriuſque iuris, & Ardecinum de Nouaria iuris ciuilis, doctores, præfati Concilii aduocatos; nec non dilectos filios magiſtros, Ioannem de Scribanis & Henricum de Piro, dicti Concilii procuratores & promotores; magiſtros * Gareteum de Piſtorio, Ioannem * Ponſeti, Bartholomæum de * Paudo, & Michaelem Boloſonis, ordinatores ſedere debentium in Concilio ſupradicto.

& actis quomodocumque redacta vſque nunc, ſub quibuſcumque verbis per dictum ſacrum Concilium fuerint ſtatuta, decreta, ordinata, pronuntiata, & quomodolibet definita.

Anno Christi 1414.

* ſcrutatione

* Garetum
* Baroncum
* Pando

Item eodem ſacro approbante Concilio decernimus ſequentem ſeſſionem, Deo fauente, tenendam die Lunæ decima ſeptima menſis Decembris proxime futuri.

Lectis itaque ſchedula & bulla prædictis, præfatus dominus cardinalis alta & intelligibili voce interrogans, ſciſcitatus eſt, vtrum omnia & ſingula in ſupradicta ſchedula contenta ipſi ſacræ Synodo placerent. Ad cuius interrogationem omnes & ſinguli prælati in ipſa Synodo exiſtentes concorditer, nemine diſcrepante, reſponderunt, Placet. De & ſuper quibus omnibus & ſingulis magiſter Ioannes de Scribanis fieri petiit per protonotarios ad hoc per Concilium deputatos, de quibus in præmiſſa ſchedula fit mentio, publicum inſtrumentum, & publica inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam.

Die prima menſis Martii, anno 1415. *a natiuitate, &c. in magna aula palatii inferioris apoſtolici, vndecima hora poſt mediam noctem, domino noſtro Joanne papa XXIII. ibidem exiſtente & præſente, ac Romanorum rege imperatore ſereniſſimo, & quatuor congregatis nationibus inibi, fuit per dominum patriarcham Antiochenum nomine & ex parte totius Concilii præſentata præfato domino noſtro papæ quædam ſchedula: ſibique nomine dicti Concilii fuit humiliter ſupplicatum per eumdem patriarcham,*

ANNO CHRISTI 1414. *quatenus dignaretur dictam schedulam benigne acceptare. Et dictus dominus noster papa, recepta schedula, & ea secrete lecta, dixit quod fuit semper intentionis, dare pacem ecclesiæ, & quod ad hoc venerat Constantiam. Et etiam dixit, qualiter dicto Concilio, non vi nec metu compulsus, non coactus, sed liberaliter & sponte obtulerat viam cessionis sui papatus, & obtulit, & quod nunquam fuit alterius intentionis. Demum dictus dominus noster dictam schedulam legit, cuius tenor talis est: Ego Ioannes papa XXIII. &c. vt in bulla continetur. Qua lecta, fuit regratiatum dicto domino nostro papæ per serenissimum principem regem Romanorum de bona & sancta oblatione: deinde cardinales ad idem fuerunt regratiati. Demum dominus patriarcha ad idem, & etiam vniuersitas Parisiensis ad idem. Quo facto, dominus noster voluit, quod in crastinum, quæ fuit secunda Martii, teneretur sessio, in qua publicarentur hæc solennius per eumdem.*

SESSIO II.

Quando dominus noster papa obtulit cessionem sui papatus.

ANNO CHRISTI 1415. ANNO a natiuitate Domini 1415. indictione 8. pontificatus quo supra, die vero Martis secunda mensis Martii fuit celebrata sessio, in qua dominus noster celebrauit Missam in ecclesia maiori de Spiritu sancto. Qua celebrata, fuerunt lectæ solennitates, quæ consueuerunt fieri in sessionibus. Demum dominus noster sedens in cathedra ante altare, conuersus ad Concilium ibidem congregatum, legit schedulam tenoris sequentis per dominum Vitalem patriarcham Antiochenum nomine Concilii traditam, alta voce sic incipiendo:

Ego Ioannes papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani profiteor, spondeo, promitto, voueo & iuro Deo & ecclesiæ, & huic sacro Concilio, sponte & libere dare pacem ipsi ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu iuxta deliberationem præsentis Concilii, si, & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus de Corario, Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati, papatui quem prætendunt, per se vel procuratores suos legitimos simpliciter cedant, & etiam in quocumque casu cessionis vel decessus, aut alio in quo per meam cessionem poterit dari

vnio ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis schismatis. Et dum legebat illam clausulam in præscripta schedula, Spondeo, promitto, voueo, & iuro Deo, flexit genua versus altare, ponendo manus ad pectus, & dixit hæc verba: Et ita promitto obseruare. Quo facto, imperator surgens de sua cathedra, regratiatus fuit eidem domino nostro nomine Concilii & suo, flectendo genua, deponendo coronam, & osculando pedes eiusdem domini nostri. Et etiam dominus patriarcha fuit regratiatus eidem nomine Concilii. Post hæc cantores inceperunt cantare: Te Deum laudamus, &c. Et procurator Concilii, Ioannes de Scribanis, petiit nomine Concilii confici publicum instrumentum a protonotariis & notariis ac scribis sedis apostolicæ. ANNO CHRISTI 1415.

Et expost de mandato domini nostri fuit super præmissa schedula oblationis, vna bulla confecta.

PRIMA SESSIO POST MISSAM PAPÆ, SEV TERTIA IN ORDINE SESSIONVM.

* Martis 26. DIE * Lunæ vigesima quinta mensis Martii supradicti fuit sessio generalis, in qua præsidebat dominus Petrus cardinalis Cameracensis, tituli sancti Chrysogoni presbyter cardinalis, qui dixit officium Missæ, in qua rex Romanorum in habitu imperiali fuit cum suis nobilibus, prout decuit regem Romanum: cui regi assistebat dominus Franciscus cardinalis Florentinus, diaconus cardinalis tituli sanctorum Cosmæ & Damiani. In qua quidem sessione cantata Missa de Domina nostra de annuntiatione, factum fuit officium litaniarum cum introitu, Exaudi nos Domine, quoniam benigna, &c. & collecta pro pace.

Subsequenter dominus cardinalis Florentinus iuxta deliberationem sanctæ Synodi pronuntiauit certos articulos, siue constitutiones, seruandos ad perpetuam rei memoriam, quorum tenores sequuntur.

Primitus tamen oratione lecta, quæ fuit sumpta de libro pontificali. Tenores vero dictæ orationis & constitutionum lectarum sequuntur, & sunt tales: Ecce sanctissimi sacerdotes, præmissis Deo precibus, fraternitatem vestram cum pia exhortatione conuenio, & per diuinum nomen obtestor, vt ea quæ a nobis de Deo & sacris ordinibus vel sanctis moribus nobis fuerint dicta, cum omni pie-

Anno Christi 1415. *tate ſuſcipiatis, & cum ſumma reuerentia perficere intendatis. Quod ſi forſan aliquis veſtrum aliter quam dicta fuerint, ſenſerit, ſine aliquo ſcrupulo contentionis in veſtrorum omnium copulatione, & ipſa de quibus dubitauerit, conferenda reducat, qualiter (Deo auxiliante) aut doceri poſſit, aut doceat. Deinde vos obteſtatione obſecro, vt nullus noſtrum in iudicando aut perſonam accipiat, aut quomodolibet fauore vel munere pulſatus, a iuſto iudicio ſcienter auertatur aut diſcedat, ſed cum tota pietate quidquid cœtui noſtro ſe iudicandum intulerit, pertractare curet; vt nec diſcordans contentio ad ſubuerſionem iuſtitiæ inter nos locum inueniat, nec in perquirenda æquitate vigor noſtri ordinis, vel ſolicitudo tepeſcat.*

Qua exhortatione facta, idem dominus cardinalis Florentinus, iuxta deliberationem Concilii & Synodi prædictarum, pronuntiauit conſtitutiones quæ ſequuntur, videlicet has.

Ad honorem, laudem & gloriam ſanctiſſimæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti, pacemque in terris hominibus bonæ voluntatis diuinitus promiſſam, in Dei eccleſia conſequendam, hæc ſancta Synodus, ſacrum generale Concilium Conſtantienſe nuncupata, pro reformatione & vnione dictæ eccleſiæ in capite & in membris fienda, in Spiritu ſancto legitime congregata, decernit, declarat, diffinit & ordinat, vt ſequitur.

Et primo, quod ipſa Synodus fuit, & eſt rite & iuſte conuocata ad hunc locum ciuitatis Conſtantienſis, & ſimiliter recte & rite & iuſte initiata & celebrata.

Item quod per receſſum domini noſtri papæ de hoc loco Conſtantienſi, vel etiam per receſſum aliorum prælatorum, ſeu aliorum quorumcumque, non eſt diſſolutum hoc ſacrum Concilium, ſed remanet in ſua integritate & auctoritate, etiam ſi quæ ordinationes factæ eſſent in contrarium, vel in futurum fierent.

Item quod iſtud ſacrum Concilium non debet diſſolui, neque diſſoluitur vſque ad extirpationem præſentis ſchiſmatis, & quouſque eccleſia ſit reformata in fide & moribus, & capite, & membris.

Item quod ipſum ſacrum Concilium non transferatur ad alium locum, niſi ex cauſa rationabili, & de conſilio huius Concilii deliberanda & concludenda.

Item quod prælati, & alii qui debent intereſſe huic Concilio, non recedant de hoc loco ante finitum Conci-

lium, nisi ex causa rationabili, examinanda per deputatos, seu deputandos ab hoc sacro Concilio. Qua causa examinata & approbata, possunt recedere cum licentia huius vel illorum, qui habet vel habent auctoritatem: & tunc recedens teneatur dimittere potestatem suam aliis remanentibus, sub pœnis iuris, & aliis per hoc sacrum Concilium indicendis, & in contrarium facientes exequendis. ANNO CHRISTI 1415.

Super his autem articulis lectis & approbatis per cardinales & Concilium, magister Henricus de Piro, promotor & procurator Concilii, nomine totius Concilii & imperatoris petiit instrumentum.

SESSIO IV.
in ordine.

DIE Sabbati trigesima & penultima mensis Martii supradicti, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi prædicta; & celebrauit Missam de Spiritu sancto dominus patriarcha Antiochenus: in qua sessione fuit Romanorum rex in habitu & insigniis ad regem Romanorum spectantibus; & cardinalis Florentinus pronuntiauit articulos & constitutiones sequentes:

* *mane ante prandium, in qua fuerunt ducenti patres, &c. Et fuit ibidem peractum officium de Spiritu sancto, cuius officii Missam celebrauit dominus patriarcha Antiochenus. In qua sessione fuit Romanorum rex in habitu & cum insigniis ad regem Romanorum spectantibus. Nec non reuerendi patres domini Iordanus de Vrsinis, Angelus Laudensis, Antonius de* *Salancho, *Antonius Aquileiensis, Amadeus Salutiarum, Ludouicus de Fliſco, Guilielmus sancti Marci, Alamannus Pisanus, Franciscus Florentinus cardinalis. Officio vero Missæ facto, legebantur litaniæ cum introitu*, Exaudi nos Domine. *Quibus factis, statim dominus cardinalis Florentinus legebat quasdam constitutiones seruandas per Concilium, quarum tenores sunt inserti inferius. Quibus lectis & approbatis per generalem Synodum, siue Concilium, Henricus de Piro procurator & syndicus nationis Germanicæ, petiit sibi fieri nomine dictæ nationis a nobis notariis Concilii, & eorum quolibet, ipsius Concilii nomine, vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Sic similiter procuratores & syndici omnium nationum, regis Romanorum, vniuersitatum studiorum, & ambasiatorum, præsentibus ibidem illustribus princi-*

* Calancho

Anno Christi 1415. *principibus, Friderico burgrauio Nurembergenſi, Rodulpho duce Saxoniæ, comite Suuartzburgenſi, magiſtro curiæ regis Romanorum, comite Bertholdo de Vrſinis, ambaſiatoribus regis Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Noruegiæ, Cypri, Nauarræ; nec non Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, marchione Montisferrati, aliiſque pluribus nobilibus, & reuerendis patribus in multitudine copioſa, teſtibus, &c.*

Tenor vero dictarum conſtitutionum, de quibus ſupra fit mentio, ſequitur, & eſt talis.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis generale Concilium faciens, pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, & vnione ac reformatione eccleſiæ Dei in capite & in membris fienda, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu ſancto legitime congregata, ad conſequendum facilius, ſecurius, liberius & vberius vnionem & reformationem eccleſiæ Dei, ordinat, diſponit, ſtatuit, decernit & declarat, vt ſequitur.

Et primo, quod ipſa Synodus in Spiritu ſancto congregata legitime, generale Concilium faciens, eccleſiam catholicam militantem repræſentans, poteſtatem a Chriſto immediate habet, cui quilibet cuiuſcumque ſtatus vel dignitatis, etiam ſi papalis exiſtat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti ſchiſmatis, & reformationem generalem eccleſiæ Dei in capite & in membris.

Item quod ſanctiſſimus dominus noſter papa Ioannes vigeſimus tertius Romanam curiam, & officia publica illius, vel illorum officiarios, ab hac ciuitate Conſtantienſi ad alium locum non mutet aut transferat, ſeu perſonas dictorum officiariorum ad ſequendum eum directe vel indirecte cogat, ſine deliberatione & conſenſu ipſius ſanctæ Synodi; & hoc, quo ad illos officiarios, vel illa officia, per quorum abſentiam Concilium veriſimiliter diſſolueretur, vel læderetur. Et ſi contrarium feciſſet, ſeu faceret in futurum, aut aliquos proceſſus, ſeu mandata contra dictos officiarios, vel alios quoſcumque huic Concilio adhærentes, etiam cenſuras eccleſiaſticas, aut alias pœnas quaſcumque continentes, vt ipſum ſequerentur, fulminaſſet, fulminaret, ſeu fulminauerit, id totum ſit

irritum & inane, nec eisdem processibus, censuris & pœnis, tamquam irritis & inanibus, quomodolibet obediendum fore, & eas & eos irritat: quinimo dicti officiarii in dicta ciuitate Constantiensi suis officiis vtantur, & illa exerceant libere vt prius, quamdiu ipsa sacra Synodus in eadem ciuitate celebrabitur. Anno Christi 1415.

Item quod omnes & singulæ translationes prælatorum, nec non priuationes eorumdem, aut aliorum beneficiorum quorumcumque, commendarum aut donationum reuocationes, monitiones, censuræ ecclesiasticæ, processus, siue acta & gesta, gerenda, agenda & fienda per præfatum dominum nostrum, aut suos officiarios, seu commissarios, in læsionem Concilii, seu adhærentium eidem, a tempore sui recessus, contra adhærentes huic sacro Concilio, vel existentes in eodem, aut in ipsorum præiudicium, seu alicuius eorumdem, quomodolibet ipsis inuitis facta vel fienda, factæ vel facti, faciendæ vel faciendi, ipso iure sint nulla, cassa, irrita & inania, cassæ, irritæ & inanes, ac nullius roboris vel momenti, ex sua auctoritate cassat, irritat & annullat.

Item fuit declaratum & concluſum, quod de qualibet natione eligantur tres, qui cognoscant de causis recedere volentium, & pœnis recedentium sine licentia infligendis.

Item quod pro bono vnionis non creentur noui cardinales. Et ne fraude vel dolo dicantur facti dudum cardinales aliqui, declarat sacrum Concilium pro non cardinalibus haberi, qui non erant cardinales publice reputati & tenti in recessu eiusdem domini nostri papæ a ciuitate Constantiensi.

Quibus lectis & approbatis per generalem Synodum, Henricus de Piro, promotor Concilii, petiit fieri a notariis Concilii & eorum quolibet, ipsius Concilii nomine, instrumentum & instrumenta, præsentibus ibidem illustribus principibus Friderico burgrauio Nu-

*Item placeat reuerendissimis paternitatibus**, *quod quælibet natio habeat eligere duos deputatos, qui vel eorum duo habeant cognoscere de causis recedere volentium, atque habeant potestatem referendi præsidenti qui erit pro tempore: qui præsidens habebit auctoritatem dandi licentiam secundum casus exigentiã:*

* f. expsu

ANNO CHRISTI 1415. rembergensi, Rodulpho duce Saxoniæ, comite de Suartzburg, magistro curiæ regis Romanorum, comite Bertholdo de Vrsinis, ambasiatoribus regis Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Norvegiæ, Cypri; nec non Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, & aliis pluribus in multitudine copiosa.

procuratores dimittendo, ac pœnas infligere recedentibus licentia non obtenta. Et quod in præmissis habeat dictus præsidens potestatem auctoritate præsentis Concilii, iuxta relationem & certificationem dictorum deputatorum.

Eadem die hora Vesperarum, vel circa, ad supplicationem regis Romanorum fuerunt omnes deputati omnium nationum, & quamplures ambasiatores regum, principum, vniuersitatum studiorum, congregati in ecclesia maiori Constantiensi; vbi serenissimus Romanorum rex prælibatus proposuit, qualiter alias dominus Riginaldus de Carneto archiepiscopus Rhemensis, portasset literam creditiuam de domino Joanne papa vigesimotertio: qua recepta idem dominus archiepiscopus dixit sub nomine papæ, qualiter ipse recessisset de ciuitate Constantiensi, quod hoc erat propter aerem sibi inconuenientem, non propter aliquam impressionem, vim, vel metum aut timorem, sibi illatam seu illatum, inferendam seu inferendum per ipsum dominum regem, neque suos. Et alias prout dixit constare apud acta mei notarii. Modo autem haberet idem papa scribere dominis cardinalibus hic existentibus contrarium, videlicet, quod propter timorem ipsius domini regis, & aliorum dominorum suorum, recessit. Et ad finem, quod omnis homo scire possit tunc verba proposita & dicta per dictum dominum archiepiscopũ Rhemensem nomine dicti domini papæ, supplicauit ipse domino archiepiscopo, vt ipse surgeret, & referret ambasiatam suam tunc ipsi regi nomine papæ factam. Qui dominus Riginaldus archiepiscopus leuauit se, & dixit, quod nuper post recessum papæ de Constantia, ipse mittebatur per dominos ambasiatores regis Franciæ suos collegas, ad oppidum Schafhusen. In quo reperiebat papam in vigilia palmarum, referens & exponens papæ sibi iniuncta per suos collegas. Quo exposito, papa sibi dixit, quod non deberet recedere, quin loqueretur sibi, cum vellet sibi aliqua committere relatiua carissimo filio suo regi Romanorum, & aliis Constantiæ existentibus: & si in casu, quo ipsemet non committeret sibi, tunc faceret sibi dici per dominum cardinalem de Salancho, qui ibidem similiter existebat. Ipseque dominus Riginaldus archiepiscopus iuit ad

certam cameram, ibidem pausando; & post eius dormitionem venit ad eum dominus de Salancho, & iniunxit sibi certa quæ deberet referre domino regi, & aliis certis Constantiæ existentibus, nomine papæ, dans sibi quatuor breuia. Quorum vnum domino regi, aliud cardinalibus, tertium ambasiatoribus regis Franciæ, & quartum ambasiatoribus vniuersitatis studii Parisiensis. Receptisque per eum huiusmodi breuibus & informationibus a dicto domino cardinali de Salancho nomine papæ, recessit de Schafhusen, rediens ad Constantiensem ciuitatem. Ascendensque palatium papale, reperit ibidem sereniſſimum principem regem Romanorum sæpe dictum cum dominis cardinalibus, cumque ambasiatoribus regis Francorum, ambasiatoribus studii Parisiensis, & aliis deputatis nationum, porrigens ibidem breuia sibi commissa, & præsertim breue directum Romanorum regi. Quo viso & lecto, ipse de mandato domini papæ, & eius iussu dixit, qualiter dominus noster papa non recessisset de Constantia ob aliquam impressionem, vim, metum, timorem, siue aliam causam, siue culpam, quam posset imponere domino regi, neque suis; sed propter sanitatem corporis: & offerret se impleturum omnia quæ promisisset in Concilio Constantiensi, & quod diligeret dominum regem sicut vnquam, & libenter vellet secum conuenire, si contingeret ipsum ire Niciam ad Petrum de Luna, & secum conferre de modo vnionis & reformatione ecclesiæ: & alia dixit, prout superius in eius relatione continetur, in die Lunæ post diem palmarum facta: & illa dixit tunc, quod papa iniunxisset sibi, non obstante quod acceperat ab ore cardinalis de Salancho, cum vnum & idem reputasset papam & cardinalem de Salancho, quo ad huiusmodi relationem: & si aliqui dicerent vel scriberent contrariũ, non posset in contrarium: & quod satis admiratur de hoc. Cardinalis vero de Salancho, qui ibidem erat præsens, dixit, quod papa iniunxisset sibi talia dare in mandatis, licet dixit, quod deberet dicere, quod non propter impressionem, vim, metum, aut timorẽ domini regis præcise, sed bene ob timorem aliquorum nobilium de curia sua, de quibus habuisset papa timorem. Sed de persona regis non diffidisset, quam diligit sicut vnquam. Super quibus sereniſſimus dominus rex Romanorum petiit ibidem per protonotarium sedis apostolicæ, Concilii, nationum, aliosque notarios & tabelliones ibidem existentes, fieri vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Similiter ambasiatores regis Francorum nomine archiepiscopi Rhemensis, & magister Benedictus de vniuersitate Parisiensi, præsentibus ibidẽ ambasiatoribus

Anno Christi 1415.

ANNO CHRISTI 1415. *Sueciæ & Poloniæ regum, filio marchionis Montisferrati, Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, Rodulpho duci Saxoniæ, aliisque ambasiatoribus, prælatis & doctoribus in numero copioso.*

SESSIO V.

DIE Sabbati sexta mensis Aprilis, anno a natiuitate Domini 1415. indictione octaua, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi deputata, in qua fuit sereniſſimus Romanorum rex præfatus in veste imperiali cum nobilibus suis ministrantibus sibi in insigniis. In qua sessione inter alios cardinales ibidem existentes præsidebat Concilio dominus Iordanus episcopus Albanensis, cardinalis de Vrsinis. Et cantabatur Missa de Domina nostra per dominum Raynaldum archiepiscopum * Rauennatem, fueruntque pronuntiati articuli & constitutiones sequentes per reuerendum dominum Andream electum Poznanienſem.

* *Rhemenſem. Qua cantata, iuxta ritum aliarum ſeſſionum legebantur litaniæ cum introitu,* Exaudi nos Domine, *&c. & collecta pro pace vnionis, ac euangelio* *, *& hymno,* Veni creator Spiritus, *&c. præsentibus ibidem dominis, Angelo Laudensi, Antonio Aquileiensi, Guilielmo sancti Marci, Antonio de* Salancho, *Almanno Pisano, presbyteris; Amadeo Salutiarum, & Franciſco Florentino, diaconis cardinalibus: absentibus vero Ioanne Viuariensi, Petro Cameracensi, Franciſco Venetiarum, & Ludouico de Fliſco, cardinalibus, licet in dicta ciuitate præsentibus, vt publice ferebatur. Dictoque officio Missæ, litaniis cantatis & dictis, surrexit de mandato totius sanctæ Synodi reuerendus pater dominus Andreas electus Poznanienſis, & certa capitula per modum constitutionum ſynodalium, prius per singulas quatuor nationes concluſa & deliberata, legit & publicauit: quorum tenores sequuntur, & sunt tales.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, pro extirpatione ipsius schismatis, & vnione & reformatione ecclesiæ Dei in capite & in membris, ad laudem omnipotentis Dei, in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius, securius, liberius vnionem & reformationem ecclesiæ Dei, ordinat, dif- Sup. sess. 4.

finit, decernit, & declarat, vt sequitur. ANNO CHRISTI 1415.

Sup. sess. 4. Et primo declarat, quod ipsa in Spiritu sancto legitime congregata, Concilium generale faciens, & ecclesiam catholicam repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, etiam si papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem & extirpationem dicti schismatis, & reformationem dictæ ecclesiæ in capite & in membris.

Item declarat, quod quicumque cuiuscumque conditionis, status, dignitatis, etiam si papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus, aut præceptis huius sacræ Synodi & cuiuscumque alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis, seu ad ea pertinentibus, factis, vel faciendis, obedire contumaciter contempserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subiiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia iuris subsidia (si opus fuerit) recurrendo.

Item diffinit & ordinat dicta sancta Synodus, quod dominus Ioannes papa XXIII. Romanam curiam, & officia publica illius, vel illorum officiarios de hac ciuitate Constantiensi non mutet ad alium locum, seu transferat, seu personas dictorum officiariorum ad sequendum eum directe vel indirecte cogat, sine deliberatione & consensu ipsius sanctæ Synodi. Et si contrarium fecisset, aut faceret in futurum, aut aliquos processus, seu mandata contra dictos officiarios, aut alios quoscumque huic sacro Concilio adhærentes, etiam censuras ecclesiasticas, vel alias pœnas quascumque continentes, vt ipsum sequantur, fulminasset, fulminaret, seu fulminauerit, totum id sit irritum & inane, nec eisdem processibus, censuris & pœnis, tamquam irritis & inanibus, quomodolibet obediendum fore: quinimo dicti officiarii in dicta ciuitate Constantiensi suis officiis vtantur, & illa exerceant libere vt prius, quamdiu ipsa sancta Synodus in eadem ciuitate celebrabitur.

Sup. sess. 4. Item, ordinat & diffinit, quod omnes & singulæ translationes prælatorum, nec non priuationes eorumdem, aut aliorum beneficiatorum, officialium, administratorum, quarumcumque commendarum & donationum reuocationes, monitiones, censuræ ecclesiasticæ, processus, sententiæ, & quæcumque acta, gesta, gerenda, agenda & fienda per præfatum dominum Ioannem papam, aut

ANNO CHRISTI 1415. suos officiarios & commissarios, in læsionem dicti Concilii, seu adhærentium eidem, a tempore inchoationis eiusdem Concilii, & contra adhærentes huic sacro Concilio, vel existentes in eodem, aut in ipsorum seu alicuius eorumdem præiudicium, quomodolibet ipsis inuitis facta vel fienda, factæ vel facti, faciendæ vel faciendi, auctoritate huius sacri Concilii ipso facto sint nulla, cassa, irrita & inania, cassæ, irritæ & inanes, ac nullius roboris vel momenti, ex eadem auctoritate cassat, irritat & annullat.

Item declarat, quod dominus Ioannes papa & omnes prælati, & alii ad hoc generale Concilium vocati, & alii in eodem Concilio existentes, in plenaria libertate fuerunt & existunt, vt visum est dicto sacro Concilio, nec ad notitiam dictorum vocatorum, seu dicti Concilii contrarium deductum est: & hoc testificatur dictum sacrum Concilium coram Deo & hominibus.

Item declarat, decernit, statuit & diffinit dicta sancta Synodus, quod dictus dominus noster papa renuntiare tenetur, nedum in quocumque casu in schedula oblationis suæ comprehenso, sed etiam in quocumque, in quo sua renuntiatio afferre potest magnam & euidentem vtilitatem ad bonum vnionis ecclesiæ Dei: quodque super hoc dictus dominus noster papa declarationi & diffinitioni huius sacri Concilii stare tenetur.

Item statuit, diffinit, decernit, declarat & deliberat dicta sancta Synodus, quod si dictus dominus noster requisitus pro bono vnionis per hoc sacrum Concilium, papatui renuntiare contempserit, vel plus debito distulerit, ex nunc prout ex tunc, & ex tunc prout ex nunc, pro abiecto a papatu omnibus Christi fidelibus habeatur, & omnis obedientia eidem sit subtracta.

Item statuit, diffinit & decernit dicta sancta Synodus, quod recessus dicti domini nostri papæ a ciuitate Constantiensi clandestine factus, fuit illicitus, bonoque vnionis ecclesiæ Dei præiudicialis & nociuus. Quodque dictus dominus noster papa requirendus est ex parte dicti sacri Concilii, quod ad illud reuertatur, facturus & adimpleturus quod promisit, vouit & iurauit pro vnione danda ecclesiæ Dei: & cum intimatione, quod si infra terminum sibi ex parte dicti sacri Concilii præfigendum, ad ipsum Concilium redire contempserit, aut plus debito distulerit, contra eum tamquam fautorem schismatis & suspectum de hæresi procedetur, vt requirunt sacræ & canonicæ sanctiones.

Item statuit, diffinit, decernit & declarat dicta sancta Synodus, quod si dictus dominus noster papa ad ipsum sacrum generale Concilium redire voluerit, & quæ promisit, vouit & iurauit, efficaciter iuxta deliberationem dicti sacri Concilii pro dicta vnione adimplere, eidem prouideatur de bona securitate, quod nec ante renuntiationem, nec post capietur aut incarcerabitur, nec alias in persona vel bonis molestabitur. Quinimo in plena securitate & libertate tenebitur & tuebitur per dominum regem Romanorum serenissimum, & etiam per dictum generale Concilium. Et vlterius de bono statu eidem domino nostro, & suis familiaribus post dictam renuntiationem habendo, ad arbitrium quatuor per eum, & aliorum quatuor per dictum sacrum Concilium eligendorum, prouideatur. Quibus peractis, supradictus reuerendus pater dominus Andreas electus Poznanienſis, in materia fidei & super materia Ioannis Hus legebat quædam auisamenta, quæ sequuntur, & sunt talia. ANNO CHRISTI 1415.

Primo, quod iuxta determinationem doctorum sacræ theologiæ & iuris canonici confirmatur & approbatur sententia lata in Concilio Romano de damnatione & doctrina Ioannis Vuicleff, etiam per combustionem librorum eiusdem.

Item, quod in eadem sessione committatur materia fidei per hoc sacrum Concilium cum plena auctoritate, quo ad doctrinam ipsius Ioannis Vuicleff, nec non Ioannis Hus & suorum sequacium, reuerendissimis patribus dominis Cameracensi & sancti Marci cardinalibus, nec non dominis episcopo Dolensi & abbati Cistercii, qui etiam assumptis doctoribus theologiæ & iuris canonici, videant super materia Ioannis Hus,* hic propter errorem ipsius Joannis Vuicleff; quibus etiam assignetur regimen processus causæ per commissarios contra eumdem Ioannem Hus facti. *f. detenti hic

Item, quod iidem domini commissarii videant de modo procedendi super condemnatione articulorum quadragintaquinque in specie, in Parisiensi & Pragensi vniuersitatibus condemnatorum super materia Ioannis Vuicleff.

Item, quod scribantur literæ missiuæ regibus, principibus, ducibus, comitibus, vniuersitatibus studiorum per mundum, ex parte huius sacri Concilii de recessu papæ, & aliis circa præmissa occurrentibus; & quod quatuor prælati ex quatuor nationibus deputandi auctoritate eiusdem Concilii, dictas missiuas suis sigillis vna cum sigillo serenißimi principis regis Romanorum sigillent & corroborent. Super quibus Concilium respondebat: Placet.

Item, & subsequenter idem dominus Andreas electus per simile auisa-

ANNO CHRISTI 1415. *auisamentum verbale proposuit, & per modum consultationis, quod necessarium esset, quod Concilium supplicaret domino regi Romanorum hic præsenti, super reductione domini Ioannis papæ XXIII. ad ciuitatem Constantiensem, præsentem requirendo eum, quod adimpleret promissa facta ecclesiæ, & Concilio Constantiensi, cum honore ipsius papæ, & in libertate eius. Responsumque fuit, Placet, per Concilium.*

Ad hoc enim respondendo surrexit rex Romanorum, proferendo & dicendo, quod scit, quod dictus dominus Joannes papa est in oppido Louffemburg Basileensis diœcesis, & in manibus Friderici ducis Austriæ. Nescit si supplicaret sibi, quod reuerteretur, an vellet redire ad Concilium & ciuitatem Constantiensem: etiam si libenter vellet redire, an posset: quia forsan eum dux non vellet dimittere de manibus suis. Sed quidquid sit de hoc, idem dominus rex Romanorum obtulit se ad omnia mandata & præcepta Concilii, & in casu quo ipsi Concilio placeret, sibi papæ scribere, & eum rogare vt rediret, & dirigere saluum conductum iuxta deliberationem Concilii pro ipso papa & omnibus secum redire volentibus, & ante & post, dummodo redire vellet, & adimplere promissa. Etiam in casu, quo Concilium velit, obtulit se idem dominus rex paratum, quod vellet ire, & dare omnem operam ad reducendum ipsum papam, etiam ipso duce volente, vel nolente. Responsum fuit communiter per Concilium: Placet. Idem etiam dominus rex proposuit, qualiter misit exercitum suum gentes armorum contra ducem Austriæ versus & contra oppidum Schafhusen, in quo aliqui cardinales & curiales esse dicuntur. Dans in mandatis illustri principi Friderico burgrauio Nurembergensi capitaneo suo, vt mandaret dici dictis cardinalibus in Schafhusa existentibus, ceterisque curialibus, & aliis redire volentibus ad Constantiam ciuitatem, quod nomine ipsius regis dictis dominis cardinalibus & curialibus redire volentibus dare deberet saluum conductum, & eos facere conduci per gentes libere cum eorum personis, familia & rebus, ad ciuitatem Constantiam. Qui dominus Fridericus burgrauius iuxta commissionem misit dictis dominis cardinalibus & curialibus dici verbo, & in scriptis. Et ad ipsorum dominorum cardinalium notitiam deuento, rescripserunt ipsi Friderico burgrauio, quod non vellent saluum conductum suum, nec redire ad ciuitatem Constantiensem, neque etiam sequi dominum Ioannem papam XXIII: sed ire ad vrbem Romanam; & similis opinionis essent cardinales, qui essent Constantiæ. Protestans nihilo minus dominus rex, quod sit paratus dare ipsis cardinalibus & papæ, ac

quibuſcumque redire volentibus ſaluum conductum ſuum iuxta deliberationem & ordinationem Concilii, & eos facere reduci per gentes ſuas libere ad præſentem ciuitatem Conſtantienſem, & nolentibus id habere, ſi quæ impreſſio, ac alii caſus fortuiti & euentuales iis acciderint, velit eſſe excuſatus. Super quibus omnibus & ſingulis a protonotariis & tabellionibus ibidem præſentibus petiit fieri publica inſtrumenta, præſentibus teſtibus ſupradictis. ANNO CHRISTI 1415.

Ad illud reſpondendo ſurrexit reuerendiſſimus pater dominus Franciſcus cardinalis Florentinus nomine ſuo & aliorum dominorum cardinalium ibidem præſentium, dicens, quod domini cardinales qui remanſerunt in ciuitate Conſtantienſi, omnes poſt receſſum papæ de Conſtantia, ipſi exiſtentes in palatio apoſtolico concordarunt in hoc: videlicet, quod ſi dominus noſter papa vellet ſequi viam quam obtulit, videlicet ceſſionis, ipſi vellent eum ſequi & fouere prout tenerentur, & eum defendere & tueri in honore ſuo. Et in caſu quo declinaret ab ea via, & non adimpleret promiſſa, vellent ab eo deſiſtere, & remanere cum Concilio: & vſque huc non fuit ipſis viſum iuxta eius ſcripta & dicta, quod declinaret in contrariam viam. propterea ſaluaſſent honorem ſuum de hoc, quod cardinales (vt dicitur & refertur) ſcripſerunt, & dicunt de Schafhuſa, quod non velint venire, neque ſequi papam, ſed ire Romam. Et quod eiuſdem intentionis cardinales Conſtantiæ exiſtentes exiſtant, nihil conſtat ſibi, neque aliis dominis cardinalibus Conſtantiæ exiſtentibus, mirando ſatis, vnde huiuſmodi relata procedant.

Vltimo fuit per eumdē dominum Andream electum Poznanienſem propoſitum, quod in vltima ſeßione fuit concluſum & deliberatum, quod nullus recederet, aut recedere deberet de Concilio non obtenta licentia, licet compertum ſit contrarium, & quod aliqui recedunt in habitu diſſimulato, & tunc fuiſſet petitum, licet non concluſum, quod executio contra tales ita recedentes deberet fieri per dominum regem, & pœna infligi, iuxta deliberationem præſidentis Concilio: fuit per ipſum Andream propoſitum & dictum, ſi adhuc placet illis, reſpondeat Concilium, Placet. fuitq; reſponſum per Concilium: Placet.

Super omnibus his per modum auiſamenti propoſitis, & alias per modum ſupplicationum, &c. dictis & concluſis, hinc inde præfatus magiſter Henricus de Piro promotor huius Concilii, nomine & vt procurator nationis Germanicæ, petiit per reuerendos patres dominos ſedis apoſtolicæ protonotarios & tabelliones quoſcumque vnum & plura ſuper his publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta, ad perpetuam rei memoriam.

ANNO CHRISTI 1415. Quibus articulis, siue constitutionibus lectis, dictum Concilium eos & eas vniformiter approbauit & concluſit. Super quibus Henricus de Piro promotor & procurator ipſius Concilii, nomine eiuſdem Concilii petiit inſtrumentum.

SESSIO VI.

DIE Mercurii decima ſeptima menſis Aprilis ſupradicti, fuit ſeſſio generalis in cathedrali eccleſia Conſtantienſi ſupradicta celebrata: in qua primo, iuxta morem & ritum aliarum ſeſſionum, fuit celebratum officium de Spiritu ſancto per reuerendum patrem dominum Nicolaum archiepiſcopum * Gueznenſem, & cantatæ litaniæ ac orationes more aliarum ſeſſionum, cum euangelio: *Ego ſum paſtor bonus.* In qua ſeſſione fuit rex * Romanorum in inſigniis regalibus, cui aſſiſtebant domini Iordanus de Vrſinis, & Angelus Laudenſis, epiſcopi cardinales. Et eidem ſeſſioni præſidebat pro tunc reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, vicecancellarius, cardinalis Viuarienſis. Et aſcenderunt ambonem, in quo publicari ſolent conſtitutiones, & alia auiſamenta in Concilio, reuerendi patres epiſcopus Atrebatenſis pro natione Gallica, archiepiſcopus Rigenſis pro natione Germanica, Lichfeldenſis epiſcopus pro natione Anglicana, & abbas Florentinus pro natione Italica. Et de mandato Concilii fuerunt pronuntiati articuli ſequentes per dictum dominum Atrebatenſem.

*f. Gneſnen.

Ioan. 10.

Ioan. 10.

* *Romanorum in ſuis inſigniis imperialibus, cum ſuis nobilibus: & eidem ſeſſioni præſidebat dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, cardinalis Viuarienſis, præſentibus octo aliis cardinalibus. Qua Miſſa finita, ac hymno, Veni creator Spiritus, & euangelio,* Ego ſum paſtor bonus, *&c. ſolenniter finitis, aſcendebat ambonẽ, in quo legi & publicari ſolent articuli & cõſtitutiones & alia auiſamenta proponenda in Concilio, epiſcopus Atrebatenſis pro natione Gallicana, archiepiſcopus Gneznenſis pro natione Germanica, Thomas Polcon ſedis apoſtolicæ protonotarius pro natione Angliæ, & abbas Florentinus pro natione Italiæ: & de mandato ſanctæ Synodi epiſcopus Atrebatenſis legit & pronuntiauit articulos alias per quatuor nationes deliberatos, huiuſmodi ſub tenore.*

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen. ANNO CHRISTI 1415.

Hæc sancta Synodus Constantiensis generale Concilium faciens, & ecclesiam catholicam repræsentans, in Spiritu sancto legitime congregata, ad consequendum facilius pacem & vnionem ecclesiæ Dei, decernit, declarat, ordinat, statuit, diffinit, vt sequitur.

Et primo decernit & declarat, procuratorium super renuntiatione papatus facienda per dominum Ioannem papam XXIII. per quatuor nationes huius sacri Concilii deliberatum & ordinatum, esse bonum, vtile & expediens pro vnione sanctæ matris ecclesiæ.

Item decernit & declarat, quod dictus dominus Ioannes papa XXIII. tenetur dare & facere dictum procuratorium, ad cedendum papatui pro bono vnionis & pacis ecclesiæ, iuxta formam schedulæ per ipsum oblatæ: cuius procuratorii tenor sequitur in hunc modum.

Procuratorium dandum per papam Ioannem XXIII. decretum per Concilium.

Ioannes episcopus seruus seruorum Dei.

Pridem ad laudem omnipotentis Dei, pacem & quietem totius populi Christiani, vnitatisque ecclesiæ consummationem, ac extirpationem præsentis schismatis, generali Constantiensi approbante Concilio, viam cessionis papatus libere obtulimus, illamque per nos fiendam cum effectu, promissione, voto & iuramento firmauimus, sicuti in quadam schedula per nos in sacro Concilio lecta latius continetur, & est talis.

Sup. sess. 2. Ego Ioannes papa XXIII. propter quietem totius populi Christiani profiteor, spondeo, promitto, voueo & iuro Deo & ecclesiæ & huic sacro Concilio, sponte & libere dare pacem ipsi ecclesiæ per viam meæ simplicis cessionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu iuxta deliberationem præsentis Concilii, si, & quando Petrus de Luna, Benedictus XIII. & Angelus de Corario, Gregorius XII. in suis obedientiis nuncupati, papatui quem prætendunt, per se vel procuratores suos legitimos simpliciter cedant, & etiam in quocumque casu cessionis vel decessus, aut alio, in quo per meam cessionem poterit dari vnio

ANNO CHRISTI 1415. ecclesiæ Dei ad extirpationem præsentis schismatis. Ne autem prouentus tanti boni quibusuis sortis humanæ casibus impediri valeat, aut modo quolibet retractari, sed expedite desideratum producat effectum, quod desideriorum nostrorum maximum est, ad dictam cessionem & renuntiationem faciendam in omni casu in dicta schedula præfatæ obligationis nostræ comprehenso, procuratores nostros & nuntios speciales in plenaria libertate & securitate constituti, sponte & ex nostra mera liberalitate constituimus & ordinamus tales & tales, & ex ipsis quoslibet duos, ipsisque ex eis quibuslibet duobus cedendi & renuntiandi nostro nomine & pro nobis papatui concedimus omnimodam auctoritatem, facultatem & potestatem, ita quod occupantis conditio melior non existat, nec per occupationem aliorum potestas impediatur. Et quod duo quicumque ex dictis procuratoribus constitutis, siue aliis contradicentibus, ignorantibus & irrequisitis, & coram nobis præsentibus, & cessionem personaliter facere volentibus, vel quod per alios quam per nos renuntiatio fieret, quomodolibet contradicentibus, vti eodem procuratorio possint, valeant & debeant ipsius renuntiationis actum expedire, paciscentes & extunc contrahentes pacto & contractu irreuocabilibus, cum sancta vniuersali ecclesia, & hoc sacro Constantiensi Concilio, ipsam vniuersalem ecclesiam repræsentante: promittentes, vouentes & iurantes Deo & ecclesiæ, & dicto sacro Concilio, quod nunquam dictos procuratores, aut eorum aliquem, & potestatem illis modo præmisso concessam, ex quauis occasione & causa orta vel oritura, etiam a iure expressa, & propter quam causam vel causas constitutus procurator reuocatur, tacite vel expresse reuocari potest vel possit, directe vel indirecte, reuocabimus; nec ipsum procuratorium ratione formæ aut personarum constituendarum, vel constitutarum, impugnabimus: nec contra ipsum procuratotium, aut personas constitutas in eodem, quoquo modo, de iure vel de facto, in iudicio vel extra excipiemus: quodque non diximus aut fecimus, nec dicemus aut faciemus in futurum, vel directe vel indirecte, quo minus dicti procuratores potestate sibi data in eodem procuratorio, iuxta eius teno-

rem libere vti possint & valeant, renuntiantes expresse omnibus exceptionibus & iuribus, quæ nobis competere possent de iure vel de facto, in præsenti vel in futuro, circa reuocationem, annullationem, inualidationem procuratorii & procuratorum huiusmodi: quas quidem exceptiones & iura nolumus in hac parte aliqualiter nobis suffragari. Et huiusmodi constitutionem & formam procuratorii, nec non renuntiationem per duos ex eis (vt præmittitur) fiendam, valere volumus & statuimus, non obstantibus quibuscumque excommunicationis, suspensionis, & aliis inhabilitudinis sententiis, a iure, a nobis, vel alio quocumque in eos, vel eorum aliquem, quacumque auctoritate vel causâ promulgatis, seu promulgandis, quibus forsan nunc, vel tempore cessionis & renuntiationis huiusmodi, seu interim procuratores huiusmodi, seu aliqui eorumdem sunt vel erunt ligati, quos & quorum quemlibet ad huiusmodi procuratorium accipiendum, & prædictam renuntiationem faciendam, absoluimus & habilitamus per præsentes, non obstantibus etiam aliis contrariis quibuscumque: volentes, quod renuntiatio huiusmodi per eos fienda perinde valeat, ac si cessionem huiusmodi personaliter feciſſemus: supplentes etiam de plenitudine apostolicæ potestatis omnes defectus in hac nostra constitutione procuratorum, si qui interuenerint; ita quod huiusmodi procuratores per quascumque clausulas, etiam contra naturam constitutionis procuratorum in ea expressas, ipsi & eius effectui nociuas aut inutiles, seu in ipso vtiles & necessarias non expressas, sed deficientes, cuiuscumque tenoris vel effectus existant, nequeat quoquo modo impugnari, sed firmum & validum in omnibus & per omnia existat, ac si in eo clausulæ necessariæ vel vtiles existerent expressæ: quod quidem procuratorium, quo ad totalem eius effectum, firmum & validum volumus remanere: quodque ad clausulas huiusmodi obseruandas, quæ essent contra naturam constitutionis procuratorum, si quæ essent appositæ, nos ex certa scientia, omni via & modo, quibus melius possumus, promittimus, iuramus, & obligamus Deo & ecclesiæ, ac dicto Concilio, declarantes ac statuentes ex superabundanti ipsa iura in quantum volunt, concedunt, aut fauent, procura-

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415. torem vel procuratores ex certis cauſis, vel alias reuocari poſſe, vel irreuocabiliter non conſtitui ea, quantum ad caſum prædictum expreſſe, & ex certa noſtra ſcientia, cum hic agatur de ſtatu vniuerſalis eccleſiæ, & pace, ac publica vtilitate totius Chriſtianitatis, volumus locum non habere, nec præiudicium aliquod afferre. Nec nos per præmiſſam procuratorii conſtitutionem, ab obligatione qua fuimus adſtricti ad renuntiationem papatus facere iuxta deliberationem dicti ſacri Concilii, in quocumque caſu in dicta ſchedula obligationis noſtræ comprehenſo, volumus quomodolibet liberari: quinimo illam in ſuis integritate, robore & firmitate perſiſtere & permanere, quouſque per ceſſionem vel deceſſionem huiuſmodi, aut alium caſum quemcumque in prædicta ſchedula noſtræ obligationis comprehenſum, vnio perfecta fuerit in eccleſia ſancta Dei. Et ſi quouis modo contingeret, huiuſmodi procuratorium aut procuratores reuocare, etiam cum adiectione harum dictionum, videlicet, de fratrum noſtrorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio & aſſenſu, ſeu ipſum procuratorium, ſeu procuratores ipſos inualidare, impugnare, aut annullare, ſeu contra ipſum procuratorium vel procuratores, de iure vel de facto, & ex quauis cauſa vel occaſione excipere, ſeu ipſos procuratores directe vel indirecte, quo minus iuxta tenorem ipſius procuratorii poteſtate, auctoritate & facultate ſibi data libere vti valeant, poſſint & debeant, impedire, in omnibus & ſingulis caſibus prædictis exnunc prout extunc, ipſi papatui cedimus & renuntiamus ipſo facto, & deinceps pro non papa haberi ab omnibus Chriſti fidelibus volumus penitus & decernimus, abſoluentes exnunc a iuramento fidelitatis & obedientiæ debito ligamine omnes & ſingulos dictæ Romanæ eccleſiæ cardinales, nec non patriarchas, primates, archiepiſcopos, epiſcopos, prælatos, ac noſtros & ſedis apoſtolicæ officiales, ac etiam noſtros familiares & officiarios Romanam curiam ſequentes, & quoſcumque alios eccleſiæ fideles, eccleſiaſticos & ſæculares, cuiuſcumque ſtatus, gradus vel conditionis exiſtant, ac etiam totum populum Chriſtianum, quos etiam tenore præſentium abſoluimus, & vltra præmiſſa promittimus habere ratum & gratum, quidquid per prædictos procurato-

res, aut eorum duos, actum, gestum, factumve fuerit in præmissis, seu aliquo præmissorum, firmiter habiturum sine aliqua contradictione. Datum &c. ANNO CHRISTI 1415.

Quod papa constituat in procuratorio personas infra scriptas.

Item decernit, ordinat, diffinit & declarat, quod dictus dominus Ioannes papa in dicto procuratorio ad dictam suam renuntiationem faciendam, præter alios quos constituere velit, constituat procuratores suos personas infra scriptas. Et primo pro natione Gallicana, dominos Theobaldum archiepiscopum Bisuntinum, Guillermum episcopum Ebroicensem, Ioannem episcopum Gebennensem, magistrum Benedictum * Gentiam, magistrum in theologia, ordinis sancti Benedicti. Pro natione Italica, Pileum archiepiscopum Ianuensem, Antonium episcopum Concordiensem, Iacobum episcopum Adriensem, & Iacobum episcopum Taruisinum. Pro natione Anglicana, Nicolaum episcopum Bathonensem, Robertum episcopum Saresbirensem, Ioannem episcopum Lichfeldensem, Thomam abbatem sanctæ Mariæ extra muros Eboracenses, ordinis sancti Benedicti. Pro natione Germanica, Ioannem archiepiscopum Rigensem, Ioannem episcopum Lutomuslensem, Petrum episcopum Ripensem, Andream electum Poznaniensem. Omnes constituat, vel saltem de qualibet natione duos. *Genciani

Concilium deputat legatos ad requirendum papam super procuratorio faciendo.

Item deputat dicta sancta Synodus, ac constituit & ordinat ex parte huius Concilii suos legatos infra scriptos. De dominis cardinalibus, reuerendissimum patrem dominum tituli sancti Marci, & Florentinum, cardinales. Pro natione Gallicana, * Theobaldum episcopum Carcassonensem, Ioannem * Datani in theologia, Iacobum de Spars in medicina, magistros. Pro natione Italica, episcopum Feltrensem, abbatem sanctæ Mariæ de Florentia. Pro natione Germanica, Conradum abbatem Pinganiensem, Lambertum de Stipite, decretorum doctores, ordinis sancti Benedicti. Pro natione Anglicana, Thomam Poltensem Protonotarium sedis apostolicæ, Bernardum *Gerardum *Datum

Anno Christi 1415. nardum de Planhea decretorum doctorem, ordinis sancti Benedicti, ad dictum dominum Ioannem papam XXIII. ad petendum & requirendum ex parte dicti Concilii, quod constituat procuratores ad renuntiandum papatui, infra duos dies, postquam fuerit requisitus, & procuratorium ad dictam renuntiationem faciat & expediat pro bono vnionis & pacis ecclesiæ, sub dicta forma, & sub bulla.

Quod prælati prædicti requirant papam, quod veniat ad Concilium.

Item decernit & ordinat, quod dicti legati ipsum Ioannem papam exhortentur, & requirant ex parte sacri dicti Concilii, vt veniat ad hanc ciuitatem Constantiensem, siue ad villam Vlmæ, aut ad villam Rauenspurg, vel ad ciuitatem Basileensem, ad tractandum & perficiendum per eum, quantum in eo, omnia & singula quæ expedire videbuntur pro vnione & reformatione ecclesiæ, per hoc sacrum Concilium deliberata & deliberanda.

Quod dicti legati portent papæ securitates debitas.

Item quod dicti legati securitates debitas ex parte huius sacri Concilii, & sereniſſimi principis domini regis Romanorum, ipsi domino Ioanni papæ portent, & cum effectu realiter illi offerant atque tradant, casu quo iuxta præmissa ad alterum de dictis locis cum effectu accedat.

Item quod dictus dominus Ioannes papa promittat & iuret vnum de prædictis locis eligere infra duos dies, post requisitionem super hoc eidem faciendam computandos, & infra decem dies a tempore dictæ requisitionis, ad dictum locum per eum eligendum accedere, & abinde non discedere sine consensu dicti Concilii, vel quousque præmissa fuerint cum effectu adimpleta. Et in casu quo oppositum faceret, recedendo sine consensu dicti Concilii, vel præmissa non adimplendo, extunc prout exnunc consentiat per bullam haberi pro non papa, &c. cum clausulis opportunis. Et si non consentiat, tunc propter hæc & multa alia procedatur contra eum, tamquam contra

notorium fautorem huius schismatis, & suspectum hæreticæ prauitatis, vt fuerit iuris & rationis. ANNO CHRISTI 1415.

Quod supersedeatur a processu contra papam, donec habeatur responsio.

Item quod pendentibus istis, supersedeatur de citatione & processu contra eum faciendo, donec super præmissis habeatur eius responsio, dummodo saluusconductus ducis Austriæ in forma petita infra horam sessionis diei crastinæ, quæ erit Iouis decimaoctaua præsentis mensis Aprilis, pro dictis legatis & cardinalibus mittendis habeatur. Et si non habeatur infra dictum terminum, decernatur citatorium per edictum, & alias procedatur contra dictum dominum Ioannem papam, vt fuerit rationis.

Si papa adimpleuerit præmissa, cessabitur a citatione.

Item quod in casu quo dictus dominus Ioannes papa pro bono pacis & vnionis ecclesiæ præmissa adimpleuerit cum effectu, & dictum sacrum Concilium super eisdem contentauerit, cessabitur a citatione & processu, & agetur secum de securitate & prouisione status eius cum omni caritate & honestate.

Quod dominus vicecancellarius signet supplicationes consistoriales, partibus auditis.

Item decernit, diffinit & ordinat dicta sancta Synodus, quod dominus cardinalis Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarius, supplicationes consistoriales de iustitia, partibus auditis, & alias vt in talibus in publico consistorio est fieri solitum, signet & expediat: quod si non fecerit, procedatur contra eum, vt fuerit rationis.

Dantur commissarii contra Ioannem Hus.

Item quod in materia fidei contra Ioannem Hus auctoritate huius sacri Concilii procedant archiepiscopus Ragusinus pro natione Italica, pro natione Germanica episcopus * Flebbiensis, magister Vrsinus Taluenda pro natione Gallicana, magister Guillermus Comes

* *f.* Frisingen. *al.* Frebbien. *al.* Sleswicen.

ANNO CHRISTI 1415. pro natione Anglicana, in sacra pagina magistri, causam dicti Ioannis Hus & suorum sequacium examinando, & in illa procedendo vsque ad diffinitiuam sententiam inclusiue.

Commissarii prædicti recipiant relationem dominorum cardinalium.

Item quod prædicti commissarii recipiant relationem dominorum cardinalium, Cameracensis tituli sancti Marci, & Florentinensis, de processu facto super condemnatione librorum & articulorum, tam quadraginta-quinque in Parisiensi & Pragensi, quam etiam ducentorum sexaginta in Oxoniensi, studiis facta: nec non super condemnatione memoriæ Ioannis Vuicleff, ac confirmanda sententia lata in Concilio Romano super condemnatione & combustione librorum prædicti Ioannis Vuicleff: & relationem super præmissis faciant nationibus & huic sacro Concilio, quam citius commode illam facere poterunt.

Decernitur citatio contra Hieronymum de Praga.

Item decernit dicta sancta Synodus citationem contra Hieronymum de Praga de hæresi infamatum, quodque dicta citatio contra eum exequatur in forma quæ sequitur.

Sacrosancta Constantiensis Synodus generale Concilium faciens, in Spiritu sancto fideliter congregata, vniuersalem ecclesiam militantem repræsentans, Hieronymo de Praga, qui se magistrum in artibus quam plurimorum studiorum fore scribit & prætendit, quæ recta sunt, ad sobrietatem, & non amplius sapere quam oportet. Scriptum quoddam tamquam ex tui persona affixū in portis ecclesiæ ciuitatis Constantiensis, alias die Dominica qua cantabatur in ecclesia dei, Quasi modo geniti, ad nostram notitiam noueris peruenisse, in quo tuis obtrectatoribus crimina erroris & hæresis tibi obiicientibus, te asseris publice responsurum, de quibus apud nos multipliciter infamatus existis, & præsertim de doctrina Ioannis Vuicleff, nec non aliis doctrinis catholicæ fidei obuiantibus, dummodo ad veniendum tibi saluus & secu- *Rom.* 18.

rus conductus præbeatur. Et quia noſtrum principalius intereſt, capere vulpeculas vineam Domini ſabaoth conantes demoliri, idcirco perſonam tuam tamquam de multorum errorum doctrina temeraria aſſertione ſuſpectam, & multipliciter diffamatam, euocamus & citamus præſentium ſub tenore, quatenus infra terminum quindecim dierum a data præſentium computandorum, quorum quindecim dierum, quinque pro primo, quinque pro ſecundo, & reliquos quinque dies pro tertio & peremptorio termino, ac monitione canonica tibi præfigimus & aſſignamus in publica ſeſſione huius ſacri Concilii, ſi ipſo die ſeſſio fuerit celebrata; alias prima die ſequenti, qua ſeſſionem eſſe contigerit, compareas ſecundum tenorem prædicti tui ſcripti, reſponſurus ad ea quæ tibi aliquis vel aliqui in cauſa fidei voluerit obiicere, recepturus & facturus in omnibus iuſtitiæ complementum, ad quod a violentia, iuſtitia ſemper ſalua, omnem ſaluum conductum noſtrum, quantum in nobis eſt, & fides exigit orthodoxa, præſentium tenore offerimus, & etiam plenius aſſignamus: certificantes, quod ſiue in dicto termino compareas, ſiue non, nihilo minus contra te per ipſum ſacrum Concilium, vel eius commiſſarios, vel commiſſarium, lapſo termino ſupra dicto, procedetur, tua contumacia in aliquo non obſtante. Datum Conſtantiæ in ſeſſione Concilii generalis decima ſeptima die menſis Aprilis, ſub ſigillis præſidentium quatuor nationum. ANNO CHRISTI 1415.

Cant. 2.

Contra famoſe libellantes.

Item inhibet hæc ſancta Synodus omnibus, cuiuſcumque ſtatus, gradus, dignitatis vel conditionis exiſtant, ne libellos famoſos per ſe vel per alium, ſeu alios, faciant contra quemcumque in hac ciuitate Conſtantienſi exiſtentem, ſub pœna excommunicationis, quam, monitione canonica præmiſſa, contra facientes contrarium fert in his ſcriptis, etiam ſub pœna carceris. Quodque contra tales qui in præmiſſis culpabiles ſeu infamati reperientur, procedatur auctoritate huius ſacri Concilii, vt fuerit rationis.

Anno Christi 1415.

Concilium decernit literas missiuas per mundum, informatorias de gestis synodalibus.

Item decernit sancta Synodus, literas missiuas ad dominos reges, principes & vniuersitates per nationes huius sacri Concilii ordinatas & ordinandas, quam citius fieri poterit fore mittendas, sub sigillis quatuor prælatorum & quatuor nationum præsidentium.

Post quorum articulorum publicationem fuit petitum per dictos dominos, Atrebatensem & alios sibi assistentes, an placerent. Et fuit responsum per omnes, nemine discrepante, Placet, approbando. Et promotor Concilii petiit instrumenta fieri. Dominus vero vicecancellarius, quantum ad articulum eum contingentem, respondit, quod vellet signare commissiones de iustitia, sed non quæ contra ius scriptum.

Quibus factis & auditis, prouidus vir magister Henricus de Piro promotor præfatus, nomine Concilii & nationum, ac omnium quorum interest, super omnibus lectis, publicatis & approbatis, ordinatis atque diffinitis, petiit sibi fieri per nos protonotarios sedis apostolicæ, ibidem de quatuor nationibus, videlicet Iacobum Rodini de Ianua pro natione Italica, Thomam * Polcon *pro natione Anglicana, Benedictum præpositum Albæ regalis pro natione Germanica, & Joannem de Ternubio pro natione Gallicana, existentes, ceterosque notarios quatuor nationum, & alios tabelliones publicos, vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem illustribus & magnificis viris dominis Rompoldo duce Silesiæ, Ioanne Jacobo filio marchionis Montisferrati, Friderico comite de Oetingen, Alberto pincerna de Suiden barone, Joanne de vicecomitibus de Mediolano, ambasiatoribus regis Angliæ, Noruegiæ,* * Sueciæ *& Daciæ, Poloniæ, Franciæ, Cypri, & aliis, &c.*

* Polten

* f. Suedia

Subsequenter vero venerabilis & circumspectus vir dominus Benedictus magister theologiæ, ordinis sancti Benedicti, vnus de ambasiatoribus vniuersitatis studii Parisiensis, ascendebat dictum ambonem, vbi huiusmodi decreta siue publicationes per Concilium fieri solent: & legebat ibidem certas literas missiuas directas, videlicet vnam Concilio, aliam ambasiatoribus præfatæ vniuersitatis. In qua fuit insertus tenor alterius literæ missiuæ directæ papæ Ioanni per eamdem vniuersitatem, quorum tenores inferius sunt in-

ANNO CHRISTI 1415.

ſerti: Recommendans nihilo minus vniuerſitatem prædictam Concilio memorato, offerens eamdem ad beneplacitum & confortationem Concilii memorati. Tenor vero literarum miſſiuarum ambaſiatoribus vniuerſitatis Pariſienſis directarum ſequitur, & eſt talis.

Venerabilibus & eruditis viris noſtris fidelibus & ſincere dilectis nuntiis ad ſacrum generale Concilium Conſtantienſe noſtra ex parte deſtinatis. Grauiter & cum magna cordis acerbitate ferimus, venerabiles viri, magiſtri & amici dilectiſſimi, ſanctiſſimi domini noſtri diſceſſum. Nihilo minus ſua vota atque iuramenta amplectentes, & ea omni ſtudio proſequi volentes, eidem domino noſtro ſcribimus in forma quæ ſequitur: Pacem eccleſiaſticam, beatiſſime pater, tot annis totque laboribus & expenſis quæſitam, per veſtram ſapientiam atque caritatem videtur operatura diuinitas, ſi ſacri Conſtantienſis Concilii ac veſtræ ſanctitatis idem fuerit animus pariter & affectio. Neque tantum valebit diuidentis malignitas, quin vobis in vnum conuenientibus, Spiritus ſanctus animos fidelium in pacem agat & vnitatem: cuiuſmodi concordiæ non ſine diuino motu nuper dedit ſtudioſam operam veſtra ſanctitas, cum eccleſiæ ſanctæ dare pacem per viam puræ & ſimplicis ceſſionis, aliis per Piſanum Concilium de papatu electis ſimiliter cedentibus, ac etiam in quocumque caſu haberi poſſit vnio, ſpopondit, iurauit & vouit. In quo patuit affectus religioſæ pietatis, & veri patris ad filios debita compaſſio. Nam ſi vera mater
3. Reg. 3. *probatur per Salomonem, quod maluit materno carere titulo, quam puerum permittere funeſtæ ſectioni: quanto magis ſummus pontifex paternam affectionem patefecerit, ſi eccleſiæ iam diu lamentabiliter diuiſæ redintegrationi ſuum dominatum poſthabuerit, atque præſidentiam. Itaque non modo cum mente & intentione ſacri Concilii, verum etiam cum piis deſideriis totius Chriſtianitatis & cunctorum mortalium, quos nulla iſtic agitat veſania, his votis atque iuramentis veſtra ſanctitas videtur egiſſe. Non quod in hoc facto electis de papatu ſit deferendum, quamuis & eorum animos in Domino lucrifacere ſatagere debetis: ſed quia tot populis & regnis ac nationibus illos ſequentibus, & fortaſſis in alterationem immenſæ diſcrepationis alias venturæ, conſuli oportuit: quorum ſalutem veſtræ præſidentiæ in veſtris votis & iuramentis prætuliſſe videmini. Quod ſi operis ab affectu probatum proſecutumque fuerit, quamdiu terrenum orbem mortale genus attollet, veſtras laudes celebrabit omnis ætas. Et pro abdicatione honoris momenta-*

ANNO CHRISTI 1415. nei, cum merito præmii ſempiterni erit vobis paratum nomen ceteris longe glorioſius. Verum, beatiſſime pater, in hac re nos vnus mouet ſcrupulus, quod audiuimus veſtram ſanctitatem a Conſtantia Schafhuſam ſeceſſiſſe. Non enim eſt ille locus potior ad amplitudinem ſacri Concilii ad tantam rem gerendam: deinde Conſtantia per veſtram ſanctitatem fuit electa, & per veſtram obedientiam humiliter recepta, ceteris etiam gratior videbatur, vtpote grauis, locuples, ornata ciuitas. Nec videtur quomodo tali vulneri medelam afferre poſſit hæc mutatio. Poſtremo in ea vrbe veſtra ſanctitas habebat amantiſſimum, Chriſtianiſſimum & inuictiſſimum imperatorem, qui tranquillitatem & ſecuritatem præſtare poterat, & iniurias omnes propulſare. Habebat ſacrum collegium cardinalium, quod non modo pro ſecuritate veſtra, verum etiam pro honore veſtro atque gloria vſquequaque decertaſſet. Habebat denique totam eccleſiam ſibi obedientem, longe ceteros ſuperantem. In qua erat non minima Galliarum natio, quæ non minimo quidem verbo veſtram ſanctitatem offendi permiſiſſet. Vbinam igitur, ſanctiſſime pater, perſona veſtra celebrius, ſecurius atque deuotius tractabitur, quam in vrbe vobis deuota, per vos electa, cum eccleſia veſtra, cum imperatore Chriſtianiſſimo, & cum ceteris de veſtris votis & iuramentis ſanctiſſimis veſtræ clementiæ omni die congratulantibus? Non eſt aliquis tam ignarus rerum, tam rudis in re Chriſtiana, tam nihil vnquam de publica pace ac ſalute cogitans, quin intelligat, vbi in ſacramento pacis dandæ manebit ſanctitas veſtra, Concilium ſacrum ac eius partes vniuerſas omnem reuerentiæ cultum, quem mortalem mortali præſtare fas eſt, veſtræ perſonæ præbituras. Poſtea cogitet ſanctitas veſtra, clementiſſime pater, quid eſt in tractatu quærendæ pacis a ſacro Concilio diſcedere, quid diſſidere. An primum ſuſpectum? an ſecundum damnatum? Et ſi probabilis diſcedendi caperetur occaſio, nulla tamen inueniretur diſſidendi. Quod ſi hoc velle quiſquam videbitur oppugnantium, viderit ne ſacri Piſani Concilii validius callidi ſentiant inconcuſſa fundamenta. Abſit, beatiſſime pater, vt in tanta re ſanctitas veſtra a ſacro Concilio diſcordet: hoc enim eſſet ab eccleſia Dei diſcordare. Abſit a gloria nominis veſtri, quod ſacrum Concilium ſine præſentia veſtra rem tam grandem tractet vel terminet. Veſtri eſt, ſanctiſſime pater, vt nullum in hac re habeatis priorem, nec perſeuerando fortiorem. Propterea ſupplices veſtram ſanctitatem oramus, & per ſanctam eccleſiam, extra quam qui ſe ponit, ſe perdit, obſecramus, ac etiam per pacem aſperſionis ſanguinis Ieſu Chriſti

vos, pater, obtestamur, vt viscerum misericordiæ Dei nostri memores, in sacris votis & iuramentis vestris maneatis, & Constantiam ad vestros fratres & filios deuotissimos, imo ad ecclesiam Dei & vestram redeatis, ouili dominico papatus ambitione & dominandi libidine turpiter diuiso, pacem vniuersalem cum consilio ecclesiæ illic congregatæ daturi. Nec in hoc adduxerit sanctitatem vestram male consulentis pernicies, vt occasione talis discessus, vel quæsitæ dilationis complendi iuramenti, pax vniuersalis per diem retardetur: nec prælatis sumptibus & tædio confectis, ac sancta Synodo dissipata, tantarum rerum volumina rupta compage diffluant, maiori postea periculo reuocanda: imo properet sanctitas vestra sacræ Synodi consiliis acquiescere, & eius conclusiones executioni feliciter demandare. Vestram sanctitatem, &c. Et quia de Constantiensis Concilii fortitudine ac perseuerantia gerimus in Domino fiduciam, cum quo sumus firmiter processuri, speramus vestris laboribus in melius reuocari Concilium, vnite ad hanc pacem quæsitam feruentius laborare, atque ex fortuna non optata consequi finem optatiorem. Vnde vos hortamur maiori incumbere labori, & hanc nostram mentem literis præsentibus insertam, vniuersis patefacere, & nobis sæpius quæque supra hoc grata rescribere. Dirigat mentes & personas vestras, & conseruet Altissimus feliciter. Datum Parisiis in congregatione nostra generali, apud sanctum Bernardum super hoc specialiter celebrata, die secunda mensis Aprilis. ANNO CHRISTI 1415.

Rector & vniuersitas studii Parisiensis.

Litera missiua vniuersitatis Parisiensis, destinata archiepiscopis, episcopis & doctoribus Italicæ nationis.

FELICITER ecclesiæ successisse Dei, reuerendissimi patres & domini, nuper existimauimus, cum & Deo volente & vobis pro debito vocationis vestræ coagentibus, dominus noster summus pontifex viam vouit cessionis, atque iurauit. Hinc in tanta animorum alacritate Deo gratias egimus, ac tanta deuotione in sacrum Constantiense Concilium fuimus permoti, vt hoc diuinum Concilium arbitraremur. Vnde magis miramur, quod dominus noster ab eo modo tali discesserit, præsertim cum ex eo fuerit cum summa laude ecclesiæ Dei fructum amplissimum allaturus: nec venit in mentem nobis, istum discessum posse præstare vnionis incrementum. Equidem, reuerendissimi patres, ex multis papatum vel ambientibus,

vel

Anno Christi 1415. *vel occupantibus, bona verba sæpe audiuimus, sed postea conatus eorum percepimus pollicitis obuiantes: non quod istud de sanctissimo domino nostro cogitet nostra filialis deuotio, sed quia inniti debemus, ne minima quidem macula schismatis ab aduersariis sibi posset impingi. Cognoscitis quantum sit periculum, in tractatu pacis ecclesiasticæ papam a Concilio generali discedere; quantum nefas, ab eo dissidere. Propterea egregiam nationem velimus exoratam in Domino, vt in Concilio generali Constantiensi persistat, domino nostro ad Concilium generale redire persuadeat, ac vota & iuramenta domini nostri amplectentes, pacem ecclesiasticam, nulla subterfugiendo discrimina, prosequatur. Eamdem nationem vestram præstantissimam tueatur summa æternitas. Scriptum in congregatione nostra generali apud sanctum Bernardum super hoc specialiter celebrata, secunda die mensis Aprilis.*

Subscriptio literæ.

Benevoli vestri rector & vniuersitas studii Parisiensis.

* Superscriptio

** Subscriptio prædictæ literæ.*

Reuerendissimis in Christo patribus, archiepiscopis, episcopis, doctoribus, & aliis dominis Italicam nationem in sancta & vniuersali Synodo Constantiensi repræsentantibus.

SESSIO VII.

Anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, indictione octaua, & domini nostri, domini Ioannis diuina prouidentia papæ XXIII. anno quinto, die Iouis secunda mensis Maii, fuit sessio generalis in ecclesia Constantiensi maiori supradicta, ad hoc deputata mane hora Tertiarum, in qua fuit serenissimus princeps Sigismundus rex Romanorum & Hungariæ, &c. cum suis insigniis regalibus, & nobilibus in prædictis sibi seruientibus, & in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, cardinalis Viuariensis. *Et domini, Angelus Laudensis & Jordanus de Vrsinis cardinales, ipsi domino regi nomine dictorum cardinalium assistebant. Et antequam aliquid fieret, more solito* fuit cantata Missa de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum Ioannem archiepiscopum Ragusinum: qua cantata, legebantur litaniæ, & *fuit officium litaniarum cum introitu, Exaudi nos Domine, &c. collectis & hymno,*

cetera, more aliarum seſsionum. *Veni creator Spiritus, & aliis orationibus more aliarum seſſionum, deuote dictum & cantatum. Præsentibus ibidem reuerendiſſimis patribus, Blanda Placentino, Guilielmo ſancti Marci, Landulpho Barenſi, Amadeo Salutiarum, Ludouico de Fliſco, & Franciſco Florentino, cardinalibus, vltra alios tres cardinales * præſidentibus & aſtantibus nominatos.* ANNO CHRISTI 1415.

* al. pro præſentibus & aſt.

Quibus quidem peractis, procedendo ad vlteriora, reuerendi patres, Pileus archiepiſcopus Ianuenſis ad legendum & publicandum quæ legenda & publicanda erant, ad approbanda ea per Concilium: ad approbandum vero eadem, Ioannes patriarcha Antiochenus pro natione Gallicana, Antonius epiſcopus Concordienſis pro natione Italica, Ioannes archiepiſcopus Rigenſis pro natione Germanica, & Thomas Guillermus abbas ſanctæ Mariæ extra muros Eboraci pro natione Anglicana, deputati per quatuor nationes, aſcenderunt ambonem, *ſiue locum, in quo publicationes, declarationes, ordinationes, ſiue ſententiæ more ipſius Synodi legi & publicari ſolent, pro hac vice ad infra ſcripta publicanda, legenda, reſponſiones dandum, & ordinanda, per nationes quatuor prædictas deputati. Quibus dominis (vt præfertur) nomine Synodi ibidem exiſtentibus, prouidi viri magiſtri Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis de Placentia, tamquam promotores, inſtigatores, ſiue procuratores dictæ Synodi, ipſo Henrico loquente, accuſarunt contumaciam cuiuſdam Hieronymi de Praga, alias citati, & non comparentis, neque in huiuſmodi cauſa, quæ contra eum commiſſa extitit, ſuper ſibi obiiciendis, & materiæ fidei reſpondentis, ſiue in cauſa huiuſmodi vlterius, prout iuris fuerit procedere, procedique videre curantis, accuſarunt: ipſumque contumacem reputari petierunt, & in eius contumaciam citationem alias contra eum decretam repetierunt, eamque cum eius executione facta in valuis certarum eccleſiarum ciuitatis Conſtantienſis factis, & in ſcriptis reduxerunt. Eumdemque Hieronymum de Praga vlterius citari mandare per audientiam publicam literarum contradictarum Romanæ curiæ, per ſanctam Synodum inſtanter poſtularunt. Quam quidem citationem & vlteriorem proceſſum reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, tamquam præſidens, & tota Synodus, nemine diſcrepante, ipſi Henrico de Piro promotori, inſtigatori, ſyndico & procuratori id petenti conceſſerunt atque*

ANNO CHRISTI 1435. *decreuerunt, & eam ad proximam seßionem fieri voluerunt.*

Quibus citatione & processu decretis, iidem magistri Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis, nomine quo supra, exposuerunt, quantis periculis præsens schisma ecclesiam Dei lacerauit, & fidem catholicam non in modico diminuebat: quod tamen sperabatur extingui, & pax dari ecclesiæ per vota, promissiones & iuramenta domini Ioannis papæ XXIII. in præsenti Concilio Constantiensi facta; licet idem Ioannes papa in reprobum sensum datus, de loco Concilii & præsenti ciuitate Constantiensi, vt dictum schisma diutius nutriret & foueret, noctis tempore habitu transformato, in scandalum & vituperium totius ecclesiæ & fidei catholicæ siue orthodoxæ diminutionem, fugiebat, se successiuis temporibus ad diuersa loca declinando, cum hoc omnia mala quæ dici & excogitari possint, committendo, prout hæc & alia in quadam papyri petitionum schedula, quam ibi in suis tenebat manibus, eamque de verbo ad verbum perlegit, plenius continentur. Quapropter vt prouideatur de remedio opportuno, idem magister Henricus sibi citationem personalem per edictum contra dictum Ioannem papam XXIII. eiusque fautores, receptatores & sequaces, legitimam, & per simile edictum in Romana curia affigendum, per sanctam Synodum in Spiritu sancto legitime congregatam, decerni & concedi postulauit: & vlterius dari & decerni eidem Ioanni papæ ad comparendum, & aliis comparere volentibus, per eamdem Synodum & illustrissimum regem Romanorum ibidem præsentem, prælibatum saluumconductum. Quos quidem saluumconductum & citationem reuerendi patres domini, patriarcha Antiochenus pro natione Gallica, Antonius episcopus Concordiensis pro natione Italica, Joannes archiepiscopus Rigensis pro natione Germanica, & Thomas abbas sanctæ Mariæ extra muros Eboracenses pro natione Anglicana, præfati, loco quo supra iudiciali concesserunt & decreuerunt, videlicet ad nouem dies post executionem, ipsamque citationem fieri voluerunt in formam publici instrumenti cum subscriptionibus quatuor notariorum quatuor nationum, & sigillis quatuor prælatorum dictarum quatuor nationum muniri & corroborari. Serenissimus vero Romanorum rex præfatus dixit, quod placet, quod detur sibi saluusconductus nomine sui & Synodi, & ea protestatione, in quantum idem dominus rex tenetur sibi dare de iure & seruare sibi saluum conductum sibi datum, & non alius. Protestatione domini regis facta.

Henricus de Piro promotor Concilii, petiit decerni & concedi per ipſam Synodum citationem contra Ioannem papam & eius fautores, &c. Et vlterius eidem Ioanni papæ ad comparendum, & aliis comparere volentibus, per eamdem Synodum, & illuſtriſſimum Romanorum regem ibidem præſentem, ſaluumconductum concedi. Quibus conceſſis verbo per totam Synodum & Romanorum regem, dictus reuerendiſſimus pater dominus Pileus archiepiſcopus Ianuenſis legebat citationem decretam contra Ioannem papam & ſuos ſequaces ac receptatores, huiuſmodi ſub tenore. ANNO CHRISTI 1415.

Tenor citationis contra Joannem papam XXIII.

Sacroſancta Conſtantienſis Synodus generale Concilium faciens, & eccleſiam catholicam repræſentans, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſis Chriſti fidelibus vnionem & pacem eccleſiæ, ac gaudium ſempiternum.

Pridem poſt clandeſtinum receſſum domini Ioannis papæ XXIII. ab hac ciuitate Conſtantienſi, & hoc ſacro generali Concilio Conſtantienſi, vnionis & pacis eccleſiæ turbatiuum & impeditiuum, ipſamq; etiam eccleſiam ſcandalizantem, per nonnullos prælatos & alios notabiles viros, ad eum ex parte huius ſacri Concilii legatos tranſmiſſos, eumdem requiri ac moneri fecimus cum debita inſtantia, quatenus ad ipſum ſacrum Concilium, & ad hanc ciuitatem Conſtantienſem rediret, ea quæ pertinebant ad extirpationem præſentis ſchiſmatis, & reformationem eccleſiæ in capite & in membris faciendam, impleturus, & cum effectu facturus, ſicut promiſerat, vouerat, iurauerat, & in ſuis literis ſuper conuocatione dicti Concilii conceſſis, ſe facturum publicauerat: & cum id facere nolle, facto, non redeundo, & ad loca magis longinqua fugiendo, oſtenderet, fuimus per venerabiles viros magiſtros, Henricum de Piro licentiatum in decretis, & Ioannem de Scribanis de Placentia, cauſarum & negotiorum huius ſacri Concilii promotores & procuratores, inſtanter requiſiti, quatenus ipſum dominum Ioannem papam XXIII. criminibus hæreſis, fautoriæ huius præſentis ſchiſmatis, ſimoniæ, mala adminiſtratione, notoria dilapi-

ANNO CHRISTI 1415. datione bonorum & iurium Romanæ ecclesiæ, & aliarum ecclesiarum, & aliis criminibus grauibus nedum infamatum, sed illis notorie in scandalum vniuersalis ecclesiæ irretitum, & in suis actibus & operibus, vita ac moribus notorie ecclesiam Dei scandalizantibus, incorrigibilem: qui sic (vt præmittitur) clandestine, de nocte, hora suspecta & habitu transformato, a dictis ciuitate & Concilio generali fugit & recessit, gregem dominicum vt mercenarius deserens, generalemque reformationem ecclesiæ & hæresum extirpationem, per dictum sacrum Concilium in capite & in membris faciendam, euitare cupiens: ad redeundum & reuertendum ad ciuitatem Constantiensem & hoc sacrum Concilium generale, debite compellere, & etiam ad hoc per edictum publicum in valuis ecclesiarum & aliorum locorum (vt est moris) affigendum, citare & euocare personaliter, citationemque super hoc in forma iuris decretam contra eum & eius fautores, receptatores & sequaces decernere & concedere, interdicta sibi exnunc omni alienatione, & alias in & super præmissis contra eos procedere dignaremur, prout requirunt canonicæ sanctiones. Nos autem considerantes petitionem huiusmodi rationabilem, iustam & consonam iuri, indemnitati ecclesiæ vniuersalis & animarum periculis prouidere volentes, & nulli in exhibendo iustitiam deficere (sicuti nec debemus) intendentes, in causa & causis & negotio huiusmodi rite & mature procedere, ac dante Domino iustitiam ministrare, vt tenemur, inquisitione super infamia prius per nos diligenti præhabita: considerantesque quod ad locum ad quem idem dominus Ioannes papa sic discedendo, imo verius fugiendo, contumaciter accessit, & residere dicitur de præsenti, eiusque domicilium, siue hospitium, pro huiusmodi citatione exequenda minime tute adiri posse, nec ad eum, seu propinquiorem locum, quam ad hanc ciuitatem Constantiensem haberi possit tutus accessus, auctoritate Christi ecclesiæ præfatæ veri sponsi, qua fungimur in hac parte, per hoc præsens publicum edictum in sessione publica dicti sacri Concilii, nec non in audientia publica literarum contradictarum more Romanæ curiæ solito legendum, ac valuis, seu portis loci audientiæ sacri causarum palatii apostolici,

nec non palatii apoſtolici, ſiue domus epiſcopalis Conſtantienſis, vbi dictus D. Ioannes papa, dum in præſenti ciuitate Conſtantienſi habitabat, habitare ſolebat, maioriſque & ſancti Stephani huius ciuitatis Conſtantienſis eccleſiarum, & ipſius ciuitatis ianuis affigendum & affixum, per certum temporis interuallum dimittendum, præfatum D. Ioannem papam XXIII. principalem, eiuſque in dictis criminibus fautores, receptatores & ſequaces ſupradictos, ac omnes alios & ſingulos ſua ſic per hoc intereſſe credentes, citandos eſſe decreuimus, & tenore præſentium peremptorie citamus ac citari volumus, decreuimus & mandamus, quatenus hinc ad nouem dies proxime venturos a die executionis huiuſmodi noſtræ citationis, ſic (vt præmittitur) legendæ, affigendæ, publicandæ & exequendæ in antea proxime computandos, quos pro peremptorio termino & citatione canonica peremptorie aſſignamus per præſentes, ipſe D. Ioannes papa ad præſentem ciuitatem Conſtantiã & hoc ſacrum Concilium in propria perſona redeat & reuertatur: ipſeque & ſui fautores, receptatores & ſequaces, perſonaliter compareant in eorum propriis perſonis Conſtantiæ in prima generali ſeſſione publica huius ſacri Concilii, poſt elapſum terminum prædictorum nouem dierum, a præfata præſentium literarum ſic (vt præfertur) fienda publicatione & executione in maiori eccleſia Conſtantienſi immediate celebranda, viſuri & audituri per nos ordinari, decerni & declarari, dictum ſuum clandeſtinum receſſum fuiſſe & eſſe eccleſiæ Dei damnoſum, ſcandaloſum & opprobrioſum, ac vnionis & pacis eiuſdem eccleſiæ perturbatiuum, nociuum, impeditiuum, ac huius nefandiſſimi ſchiſmatis nutritiuum & roboratiuum, hæreſiſque & ſuſpicionis fidei incentiuum, ac a bono vnionis & pacis eccleſiæ præfatæ, promiſſionibuſque, iuramentis & votis per ipſum Ioannem papam ſuper hoc factis & promiſſis deuiatiuum. Teſteſque ſuper notorietate dictorum criminum ad finem procedendi contra eum ſuper illis, tamquam ſuper notoriis iurare & admittere, cauſaſque, cur idem D. Ioannes papa non debeat ſuſpendi a totali adminiſtratione papatus propter malam & ſcandaloſam adminiſtrationem, & notoriam dilapidationem, dicturi: & alias, in

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415. & super præmissis, & aliis vniuersalem ecclesiam notorie scandalizantibus contra eum ad eiectionem a papatu, seu eiectionis huiusmodi declarationem, & aliis per supradictos promotores propositis & proponendis, de iure & iustitia responsuri, causasque, quod non debeat suspendi a totali administratione, ac alias in causa & causis & negotio huiusmodi debite processuri, ac procedi visuri, aliasque dicturi, facturi & audituri, vt iuris fuerit & rationis, indeque super præmissis iustitiæ complementum vsque ad sententiam diffinitiuam inclusiue recepturi: certificantes nihilo minus eumdem D. Ioannem papam & suos sequaces, acceptatores & fautores sic citandos, quod siue in dicto citationis huiusmodi termino comparuerint, siue non, ad præmissa omnia & singula, ad vlteriora, & alias (vt iustum fuerit) contra eos per nos debite procedetur, iustitia mediante, ipsorum absentia, seu contumacia non obstante. Loca vero sessionis præfatæ audientiæ publicæ, literarum contradictarum, & portarum palatii ecclesiarum, & locorum prædictorum, tamquam publica & idonea ad huiusmodi citationem publicandam & exequendam duximus eligenda, quæ præsentem citationem ad instar edictorum publicorum, quæ olim in albo prætoris scribebantur, suo quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt. In quibus huiusmodi citationem modo & forma præmissis decreuimus, & tenore præsentium decernimus publicandam & exequendam, ne præfatus dominus Ioannes & sui fautores, & receptatores, & sequaces sic citandi, possint seu valeant de præmissis aliquam ignorantiæ causam prætendere, seu etiam allegare. Cumque non sit verisimile, apud ipsos sic citatos incognitum remanere illud, quod tam patenter & notorie omnibus extitit publicatum, volentes nihilo minus, & auctoritate prædicta decernentes, quod hæc præsens citatio modo & forma præmissis executa, prænominatos dominum Ioannem & suos sequaces, receptatores & fautores sic citatos, totaliter arceat & adstringat, & perinde valeat, tantamque habeat roboris firmitatem, ac si ipsimet D. Ioannes & sui fautores, receptatores & sequaces in eorum propriis personis citati & apprehensi fuissent, & eis huiusmodi citatio præsentialiter lecta, publicata & intima-

ta fuiſſet : & ne dictus dominus Ioannes papa & ſui ſequaces valeant aliquo modo ſe excuſare, quo minus iuxta præmiſſum terminum compareant, vt præfertur, quamquam ad hoc non teneamur, nihilo minus ex ſuperabundanti eidem domino Ioanni & ſequacibus damus, & tenore præſentium concedimus tutum & liberum ſaluumconductum, ad veniendum ad hanc ciuitatem Conſtantienſem & ſacratiſſimam Synodum, ita quod in acceſſu nullum debeat & poſſit habere impedimentum, & etiam in ciuitate ſtare, manere libere & ſecure : iuſtitia tamen ſemper ſalua, prædictum etiam ſaluumconductum ſub eadem forma fieri & concedi fecimus prædicto domino Ioanni papæ & ſequacibus eius, a ſereniſſimo Romanorum & Hungariæ rege. De publicatione vero, lectura, affixione & executione, ac ſaluiconductus præſtatione, datione & conceſſione præmiſſis, modo præmiſſo fiendis, volumus, decernimus & ordinamus vnum & plura, publicum & publica fieri & confici inſtrumentum & inſtrumenta, quæ nobis plenariam faciant fidem de eiſdem. In quorum fidem & teſtimonium præmiſſorum, præſentes literas citatorias ſuper hoc ſolenniter decretas fieri fecimus, & propriis ſigillis præſidentium quatuor nationum huius ſacri Concilii iuſſimus & fecimus communiri. Anno Christi 1415.

Datum Conſtantiæ prouinciæ Moguntinenſis in ſeſſione publica in eccleſia maiori Conſtantienſi ſolenniter celebrata, die Iouis ſecunda menſis Maii, indictione vero octaua, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, pontificatus præfati domini Ioannis papæ XXIII. anno quinto.

Præſentibus ibidem illuſtribus principibus, Rodulpho duce Sileſiæ, Friderico burgrauio Nurembergenſi, Ioanne Jacobo filio marchionis Montisferrati, Ioanne de vicecomitibus de Mediolano, & Sigiſmundo de Beſſanlz milite de Hungaria, & alia multitudine Chriſtianorum copioſa, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis.*

* al. Boſſanz.

Super quibus omnibus & ſingulis idem Henricus de Piro, & Joannes de Scribanis, ipſo Henrico loquente, a reuerendis patribus ſedis apoſtolicæ protonotariis ac notariis nationum & Concilii, ceteriſque tabellionibus, nominibus quibus ſupra, ſibi fieri petierunt

ANNO CHRISTI 1415. *tierunt vnum vel plura, publicum vel publica, instrumentum seu instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus principibus supradictis, ceterisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.*

Tenor vero executionis citationis contra Hieronymum de Praga, de qua supra fit mentio, sequitur, & est talis.

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiusdem millesimo quadringentesimo decimoquinto, indictione octaua, die vero decimaoctaua mensis Aprilis, hora Primarum, vel quasi, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, D. Ioannis diuina prouidentia papæ XXIII. anno v. Constantiæ infra septa monasterii sancti Francisci fratrum Minorum prope ambitum, in mei notarii publici infrascripti, testiumque præsentia subscriptorum ad hoc specialiter vocatorum & rogatorum, constitutus personaliter honorabilis vir dominus Michael de Broda Teutonicali, plebanus ecclesiæ sancti Alberti sub sedras Pragensis, instigator officii contra Joannem Hus ac suos complices, ad hoc specialiter deputatus, habens & tenens in manibus suis quamdam in papyro conscriptam citationem in se continentem contra quemdam Hieronymum de Praga, magistrum quamplurium studiorum se asserentem, a sacro Concilio Constantiensi emanatam, & quatuor sigillis præsidentium quatuor nationum abintra impressis sigillatam. Cuius quidem literæ tenor sequitur per omnia in iis verbis.

Sacrosancta Synodus Constantiensis, &c. prout superius est habitum. Quam quidem literam citationis idem dominus Michael animo exequendi, notificandi & publicandi, prout tenebatur, ac ad vniuersorum Christi fidelium notitiam deducendi, valuis, seu portis in ambitu dicti monasterii affixit, & extendit ibidem cum magna multitudine hominum vtriusque sexus infra Missarum solennia, & præsertim infra publicum officium, quod tunc in dicto monasterio celebrabatur, vsque ad finem dicti officii stare permisit, præsentibus honorabilibus viris dominis, Ioanne præposito Quinqueecclesiarum, Ioanne & Petro familiaribus suis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Et statim post præfatus dominus Michael citationem consimilem tenoris supra scripti, & sigillis (vt præscribitur) sigillatam ad valuas ecclesiæ sancti Stephani pro audientia causarum apostolica deputatæ affi-

xit & extendit, & ibidem infra Missarum solennia, præsertim infra publicum officium quod tunc in dicta ecclesia celebrabatur, vsque ad finem dicti officii stare permisit, præsentibus testibus supra dictis. Et statim post profatus dominus Michael consimilem citationem tenoris supra scripti ad valuas ecclesiæ beatæ Mariæ virginis Maioris Constantiensis affixit, & extensam ibidem infra Missarum solennia, & præsertim infra publicum officium quod tunc in dicta ecclesia celebrabatur, stare permisit, præsentibus ibidem venerabilibus & discretis viris, Vuilhelmo Picardi licentiato in decretis, archipresbytero Turonensi, & Friderico Rese cursore domini nostri papæ, & aliis quampluribus testibus ad præmissa vocatis & rogatis. Tandem vero hora sexta, vel quasi, præfatus dominus Michael citationes huiusmodi ab eisdem valuis seu portis, finitis & peractis dictis Missarum & officiorum solenniis, debita cum protestatione remouit & deposuit, & ad se recepit. Super quibus omnibus & singulis præfatus dominus Michael petiit sibi per me notarium publicum infra scriptum fieri & confici vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta, præsentibus ibidem venerabilibus & discretis viris dominis, Laurentio plebano ecclesiæ sanctæ Mariæ Magdalenæ Pragensis, Georgio de Vualschin, & Paulo de Herlbotz Pragensis diœcesis supradictæ, & quampluribus aliis testibus ad præmissa vocatis pariter & rogatis. ANNO CHRISTI 1415.

Et ego Ioannes de Selichin de Lansteyn clericus Treuerensis diœcesis, publicus apostolica & imperiali auctoritatibus notarius, quia prædictis requisitioni, publicationi, affixioni, depositioni, nec non omnibus aliis & singulis supradictis, dum sic (vt præmittitur) successiue fierent & agerentur, vna cum prænominatis testibus præsens interfui: ideoque hoc præsens publicum instrumentum per alium fideliter scriptum, exinde confeci, publicaui, & in hanc publicam formam redegi, signoque & nomine meis solitis & consuetis signaui, rogatus & requisitus in omnium & singulorum præmissorum fidem & testimonium.

Quibus omnibus, vt præmittitur, peractis, idem dominus archiepiscopus Ianuensis requisiuit a tota Synodo, an placeret sibi, quod die Sabbati proximi, quæ erit proxima dies mensis Maii, debeat teneri sessio in materia fidei, videlicet super condemnatione memoriæ Ioannis Vuicleff. Et fuit responsum per omnes de Synodo, Placet, præsentibus supradictis testibus. Et sic omnes domini de Synodo recesserunt.

ANNO CHRISTI 1415. *Statim post & ante prandium de mandato quatuor præsidentium quatuor nationum, in ecclesia sancti Stephani Constantiensi, & in bancho audientiæ literarum contradictarum, reuerendo patre domino Iacobo de Camplo electo Pennensi, locum tenente auditorum audientiæ contradictarum, ibidem ad banchum sedente, ad horam illam pro audientia contradictarum, & actum infrascriptum faciendum deputato, præsentibus reuerendissimis patribus dominis Ioanne patriarcha Antiocheno, & Ioanne archiepiscopo Rigensi, de mandato eiusdem domini Iacobi locum tenentis, venerabilis vir dominus Nicolaus de Hubancho lector literarum de iustitia, & aliarum quæ inibi legi solent, legebat, & executus fuit citationem supra proximam per sanctam Synodum decretam ad instantiam magistri Henrici de Piro promotoris & instigatoris dicti Concilii. Qua lecta & executa, idem Henricus petiit sibi fieri de huiusmodi lectura & publicatione publicum instrumentum, præsentibus ibidem magistris Henrico Golthardi, Joanne de Vonrade, notariis publicis, & domino Petro Vuithoge presbytero, Moguntinensis, Leodiensis & Traiectensis diœcesum, testibus ad præmissa vocatis & rogatis.*

SESSIO VIII.

DIE Sabbati quarta mensis Maii prædicti fuit sessio generalis in cathedrali ecclesia Constantiensi supradicta, in qua more solito fuit dictum officium Missæ per reuerendissimum in Christo patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum de beata Virgine. Quo officio completo, legebantur litaniæ, vt in sessionibus fieri consuetum est, cum euangelio, *Attendite a falsis prophetis*, &c. In sessione inter cardinales præsidebat dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. In qua etiam sessione fuit serenissimus Romanorum & Hungariæ rex, tamquam imperator cum insigniis regalibus & nobilibus suis, *dicto & cantato, fuit cantatus introitus, Exaudi nos Domine, &c. cum collectis suis & litaniis, ac euangelio,* Attendite a falsis prophetis, *&c. & aliis orationibus, ac hymno, Veni creator Spiritus, sicut in aliis sessionibus. cui inter cardinales astabant domini Iordanus de Vrsinis, & Angelus Laudensis, Albanensis & Tusculanensis episcopi: præsentibus ibidem reuerendissimis patribus Vuilhelmo sancti Marci, Antonio de Salancho, Amadeo Salutiarum, Ludouico de Flisco,* Matth. 7.

Landulpho Barensi & Francisco Florentino cardinalibus. Deinde omnibus his peractis, reuerendus pater dominus Vitalis episcopus Tolonensis natione Gallicus ascendebat ambonem, & fecit sermonem ad clerum cum themate: Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, &c. *Quo sermone facto, surrexerunt magistri Henricus de Piro & Joannes de Scribanis promotores & procuratores Concilii & Synodi. Henricus loquens præsentauit citationem ad valuas ecclesiæ maioris & audientiæ contradictarum affixam, nec non vnam aliam in audientia causarum lectam, & citatorum in eisdem citationibus non comparentiũ, neque memoriam, hæresimque ac dogma quondam Ioannis Vuicleff, minime, quare condemnari non debet, videre curantium contumaciam accusarunt. Ipsosque contumaces reputari petierunt, & in eorum contumaciam pronuntiari, decerni & declarari dictum quondam Ioannem Vuicleff fuisse, dum vixit, notorium hæreticum & pertinacem, ac finaliter decessisse ab hac luce impœnitentem: ipsiusque memoriam, errores, prætensas doctrinas & dogmatizationes, & præsertim quadragintaquinque cum ducentis sexaginta articulos per eum conclusos, condemnandos fore, & per sanctam vniuersalem Synodum Constantiensem, ac paternitates quatuor prælatorum pro præsenti die potestatem habentium, loco & nomine quatuor nationum condemnari, ac eius ossa, si ab aliorum Christi fidelium ossibus separari possint & secerni, exhumari & proiici mandari, aliasque pronuntiari, decerni & declarari, definiri atque fieri quod iustum fuerit & expediens fidei orthodoxæ, instanter postularunt.*

Anno Christi 1415.

Ioan. 16.

Et domino Pileo archiepiscopo Ianuensi electo ad legendum quæ legi debebant nomine Concilii, reuerendis patribus dominis Ioanne episcopo Lutomuslensi pro natione Germanica, Antonio episcopo Concordiensi pro natione Italica, Tolonensi episcopo pro natione Gallicana, & Guillermo abbate monasterii sanctæ Mariæ extra muros Eboraci pro natione Anglicana, ad approbandum loco & nomine nationum, ascendentibus in locum, in quo huiusmodi iuxta determinationem Synodi fieri debebant, idem reuerendus pater dominus Pileus archiepiscopus Ianuensis in ambone legit primo capitulum, Firmiter credimus. Quo lecto, domini imperator, præsidens, & alii approbauerunt, & ita crediderunt.

Et vlterius idem archiepiscopus Ianuensis, in contumaciam accusatorum prædictorum, per dictos promotores pronuntiauit, diffi-

ANNO CHRISTI 1415. niuit & declarauit, prout in quadam papyri pronuntiationis ſchedula, cuius tenor inferius eſt inſertus, continetur, condemnando memoriam ipſius Ioannis Vuicleff & ſuorum ſequacium, quo ad quadragintaquinque articulos condemnatos in Pariſienſi & Pragenſi ſtudiis: & licet quo ad ducentos & ſexaginta articulos incepiſſet legere, ac omnes fuiſſent contenti de quadraginta-quinque articulis, primo tamen ex interruptione domini Guilielmi cardinalis ſancti Marci interueniente, ipſi ducenti & ſexaginta articuli, & eorum lectura & condemnatio, fuerant reſeruati ad proximam ſeſſionem generalem. Super quibus lectura, publicatione, pronuntiatione & diffinitione, ſiue condemnatione, dicti promotores petierunt approbationem a domino præſidente, & a dictis Lutomuſlenſi, Concordienſi, Tolonenſi, & abbate ſanctæ Mariæ petierunt reſponderi, an placet. Domini vero prædicti, primo dominus Ioannes Oſtienſis præſidens approbauit. Subſequenter quilibet pro natione ſua approbauit. Super quibus iidem promotores, Henrico loquente, petierunt per reuerendos patres dominos ſedis apoſtolicæ protonotarios, ceteroſque notarios quatuor nationum, & tabelliones quoſcumque ibidem præſentes, vnum vel plura fieri publicum ſeu publica, inſtrumentum ſeu inſtrumenta. Præſentibus ibidem illuſtribus principibus ſupradictis, necnon Poloniæ, Noruegiæ, Sueciæ, Daciæ, Cypri, Franciæ ambaſiatoribus, ac multitudine Chriſtianorum copioſa.

Tenores vero dictarum citationum & ſententiæ diffinitiuæ cum inſertione articulorum, de quibus ſupra fit mentio, ſequuntur, & ſunt tales.

Sacroſancta Synodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto legitime congregata, generale Concilium faciens, vniuerſalem eccleſiam militantem repræſentans, quibuſcumque damnandam memoriam, hæreſimque & peruerſa dogmata quondam Ioannis Vuicleff damnandæ memoriæ defenſare volentibus, ſpiritum intellectus ſanioris & ad cor reuerti.

Licet pleriſque vicibus nonnulli ex vobis ſe diſputaturos in publico, & damnandam memoriam dicti Ioannis multifarie per multa particularium locorum ſtudia vniuerſalia, iam damnata & reprobata, fama vaga & mortua obtulerunt ſcriptura defenſuros, noſque, ſi qui eſtis, crebris vos vicibus benigne audituri, & etiam in ſacro Romano Concilio generali vltimo celebrato, ad id peremptorie citatos expectauerimus, ad lucem tamen minime pro-

perantes, amplius vestra exigente contumacia, dissimulare nequiuimus. Quare promotoribus & procuratoribus nostris ad id instantibus, & ne ficus fatua suos extendat palmites, quæ ad nihilum, sacro testante eloquio, vtilis est, nisi vt eradicata comburatur: vosque omnes alios & singulos, ipsam perfidam doctrinam Ioannis Vuicleff dogmatizantes, aut etiam quibusuis rationibus vel apparatibus fucatis sophismatibus defensare præsumentes, tenore præsentium ex abundantia citamus, quatenus hodie, quæ est dies quarta mensis præsentis Maii, compareatis & compareant Constantiæ in ecclesia maiori in publica sessione post Missam de Spiritu sancto celebrandam hora Tertiarum, ad videndum & audiendum dictum quondam Ioannem Vuicleff diffinitiue pronuntiari & declarari, fuisse, dum vixit, notorium hæreticum & pertinacem, ipsiusque memoriam & errores, peruersasque doctrinas & dogmatizationes, & præsertim quadragintaquinque articulos damnari, & eiusdem ossa, si ab aliorum Christi fidelium ossibus secerni possint, exhumari & proiici, vel ad dicendum, proponendum & allegandum causas rationabiles, si quas habeatis & habeant, cur præmissa fieri non debeant. Certificantes vos & quemlibet vestrum, quod siue comparere curaueritis, siue non, nos nihilo minus ad præmissorum executionem auctore Deo procedemus, prout orthodoxæ fidei fundamentum exigit, ratioque dictauerit, & iuris ordo. Datum Constantiæ die quarta mensis Maii prædicti, anno Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, sub sigillis quatuor præsidentium quatuor nationum. ANNO CHRISTI 1415.

Luc. 13.

Sacrosancta Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, generale Concilium faciens, vniuersalemque ecclesiam militantem repræsentans, mandat in audientia publica literarum contradictarum domini nostri papæ citari, & citat quoscumque damnatam memoriam, hæresimque & dogmata peruersa quondam Ioannis Vuicleff damnandæ memoriæ defensare volentes, & perfidam doctrinam eiusdem Ioannis dogmatizantes, aut etiam quibusuis rationibus vel apparatibus fucatis sophismatibus defensare præsumentes, quatenus hodie compareant Constantiæ in ecclesia maiori in publica sessione post Missam de Spiritu sancto celebrandam hora Tertiarum, ad videndum & audiendum, dictum quondam Ioannem Vuicleff diffinitiue pronuntiari & declarari, fuisse, dum vixit, notorium hæreticum & pertinacem, ipsiusque memoriam & errores, peruersasque doctrinas & dogmatizationes, & præsertim quadragintaquin-

Anno Christi 1415. *que articulos condemnari, & eiusdem ossa, si ab aliorum Christi fidelium ossibus secerni possint, exhumari & proiici, vel ad dicendum & proponendum ac allegandum causas rationabiles, si quas allegare voluerint, cur præmissa fieri non debeant. Alioquin ad præmissorum executionem, & vlteriora (auctore Deo) procedetur, prout orthodoxæ fidei fundamentum exigit, ratioque dictauerit, & iuris ordo, citatorum contumacia, seu absentia non obstante.*

Datum Constantiæ die quarta mensis Maii prædicti, pontificatus domini Ioannis papæ XXIII. anno quinto.

Deinde legit sententiam damnationis doctrinæ Ioannis Vuicleff, & articulorum quadragintaquinque, cuius tenor sequitur, & est talis.

Sententia damnationis doctrinæ Ioannis Vuicleff, & articulorum quadragintaquinque.

Sacrosancta Constantiensis Synodus, generale Concilium faciens, & ecclesiam catholicam repræsentans, ad extirpationem præsentis schismatis, errorumque & hæresum sub eius vmbra pullulantium eliminationem, ac reformationem ecclesiæ, in sancto Spiritu legitime congregata, ad perpetuam rei memoriam.

Fidem catholicam, *sine qua* (vt ait Apostolus) *impossibile est placere Deo*, a falsis eiusdem fidei cultoribus, imo peruersis impugnatoribus, & per superbam curiositatem intendentibus plus sapere quam oportet, mundi gloriam cupientibus, oppugnatam sæpius, & contra illos per fideles ecclesiæ milites spirituales opposito scuto fidei defensatam fuisse, sanctorum patrum scripturis atque gestis instruimur. Hæc quippe bellorum genera in bellis carnalibus Israelitici populi aduersus gentes idololatras præsignata fuerunt. In his itaque spiritualibus bellis sancta ecclesia catholica in fidei veritate superni luminis radiis illustrata, Domino prouidente, & sanctorum patrocinio opem ferente, semper immaculata permanens, erroris tenebris velut hostibus profugatis, glorioßissime triumphauit. Nostris vero temporibus vetus ille & inuidus hostis noua certamina (vt probati temporis huius manifesti fiant) suscitauit, quorum dux & princeps extitit quondam Ioan-

Hebr. 11.

In libro Numerorum maxime, & alibi.

nes Vuicleff pseudochristianus, qui dum viueret, aduersus religionem Christianam & fidem catholicam pertinaciter asseruit & dogmatizauit plures articulos, quorum quadragintaquinque huic paginæ duximus inserendos, qui sequuntur. ANNO CHRISTI 1415.

Articuli Joannis Vuicleff.

1. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, manet in sacramento altaris.

2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.

3. Christus non est in eodem sacramento idemtice & realiter in propria præsentia corporali.

4. Si episcopus vel sacerdos est in peccato mortali, non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.

5. Non est fundatum in euangelio, quod Christus Missam ordinauerit.

6. Deus debet obedire diabolo.

7. Si homo debite fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

8. Si papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi forte a Cæsare.

9. Post Vrbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed viuendum est more Græcorum sub legibus propriis.

10. Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum esse excommunicatum a Deo: & qui sic excõmunicat, est hæreticus ex hoc, vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellauit ad regem vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est regis & regni.

13. Illi qui dimittunt prædicare, siue audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die iudicii traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate sedis apostolicæ vel episcopi catholici.

15. Nul-

Anno Christi 1415. 15. Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia., possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu, delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & parochiani possunt propter peccata suorum prælatorum ad libitum suum auferre eas.

19. Speciales orationes applicatæ vni personæ per prælatos, vel religiosos, non plus prosunt eidem quam generales, ceteris paribus.

20. Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto.

21. Si quis ingreditur religionem priuatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad obseruantiam mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes religiones priuatas, sic instituendo peccauerunt.

23. Religiosi viuentes in religionibus priuatis, non sunt de religione Christiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

* Prima pars est scandalosa & præsumptuose asserta, pro quanto sic generaliter & indistincte loquitur: & secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subuenientibus.

26. Oratio præsciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eueniunt.

28. Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur papæ & episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

29. Vniuersitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt ecclesiæ sicut diabolus.

30. Excommunicatio papæ vel cuiuſcumque prælati non eſt timenda, quia eſt cenſura antichriſti. ANNO CHRISTI 1415.

31. Peccant fundantes clauſtra; & ingredientes, ſunt viri diabolici.

32. Ditare clerum, eſt contra regulam Chriſti.

33. Silueſter papa & Conſtantinus imperator errauerunt eccleſiam dotando.

34. Omnes de ordine mendicantium ſunt hæretici: & dantes eis eleemoſynam, ſunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem aut aliquem ordinem, eo ipſo inhabiles ſunt ad ſeruandum diuina præcepta, & per conſequens ad perueniendum ad regna cælorum, niſi apoſtatauerint ab eiſdem.

36. Papa cum omnibus clericis ſuis poſſeſſionem habentibus, ſunt hæretici, eo quod poſſeſſionem habent, & conſentientes eis, omnes videlicet domini ſæculares, & ceteri laici.

37. Eccleſia Romana eſt ſynagoga ſatanæ, nec papa eſt immediatus & proximus vicarius Chriſti & apoſtolorum.

38. Decretales epiſtolæ ſunt apocryphæ, & ſeducunt a Chriſti fide: & clerici ſunt ſtulti qui ſtudent eas.

39. Imperator & domini ſæculares ſeducti ſunt a diabolo, vt eccleſiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio papæ a cardinalibus, per diabolum eſt introducta.

41. Non eſt de neceſſitate ſalutis credere Romanam eccleſiam eſſe ſupremam inter alias eccleſias.

* Error eſt, ſi per Romanam eccleſiam intelligat vniuerſalem eccleſiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum ſummi pontificis ſuper alias eccleſias particulares.

42. Fatuum eſt credere indulgentiis papæ & epiſcoporum.

43. Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus & commercia ciuilia.

44. Auguſtinus, Benedictus, Bernardus, damnati ſunt, niſi pœnituerint de hoc, quod habuerunt poſſeſſiones, & inſtituerunt, & intrauerunt religiones: & ſic a domino papa vſque ad infimum religioſum omnes ſunt hæretici.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1415. 45. Omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Idemque Ioannes Vuicleff libros dialogum & trialogum per ipsum nominatos, & plures alios tractatus, volumina & opuscula composuit, in quibus præscriptos & plures alios damnabiles inseruit & dogmatizauit articulos: quos libros ad sui peruersi dogmatis publicationem publice legendos exposuit, ex quibus insuper multa scandala, damna animarum & pericula in diuersis regionibus, & præsertim Angliæ & Bohemiæ regnis, secuta sunt: aduersus quos articulos atque libros in Dei veritate exurgentes magistri & doctores vniuersitatum & studiorum Oxoniensis & Pragensis, articulos prædictos scholastice diu post reprobarunt. Reuerendissimi insuper patres, archiepiscopi, episcopi, pro tempore Cantuariensis & Eboracensis, sedis apostolicæ legati in Angliæ, & Pragensis in Bohemiæ regnis, condemnarunt. Libros etiam eiusdem Ioannis Vuicleff comburendos fore, dictus archiepiscopus Pragensis sedis apostolicæ commissarius in hac parte sententialiter iudicauit, & eorum qui supereſſent, prohibuit lectionem.

Rursus his ad notitiam sedis apostolicæ & generalis Concilii deductis, Romanus pontifex in Concilio Romano vltimo celebrato, dictos libros, tractatus & opuscula condemnauit, iubens illos publice concremari, districtius inhibendo, ne quis Christi nomine insignitus auderet aliquem seu aliquos seu aliqua ex dictis libris, voluminibus, tractatibus & opusculis legere, exponere vel tenere, aut illis quomodolibet vti, vel illos, nisi in ipsorum reprobationem, allegare publice vel occulte. Et vt de medio ecclesiæ illa periculosa spurcissimaque doctrina eliminaretur, iussit omnes per locorum ordinarios, libros, tractatus, volumina & opuscula huiusmodi, auctoritate apostolica per censuram ecclesiasticam (etiam si opus esset, cum adiectione, quod contra non parentes procederetur tamquam contra fautores hæresis) diligenter inquiri, & repertos ac reperta publice ignibus concremari.

Hæc autem sancta Synodus præfatos articulos quadragintaquinque examinari fecit, & sæpius recenseri per plu-

res reuerendiſſimos patres eccleſiæ Romanæ cardinales, epiſcopos, abbates, magiſtros in theologia, doctores iuris vtriuſque, & plures notabiles in multitudine copioſa: quibus articulis examinatis, fuit repertum (prout in veritate eſt) aliquos & plures ex ipſis fuiſſe & eſſe notorie hæreticos, & a ſanctis patribus dudum reprobatos; alios non catholicos, ſed erroneos; alios ſcandaloſos & blaſphemos, quoſdam piarum aurium offenſiuos, nonnullos eorum temerarios & ſeditioſos. Compertum eſt etiam libros eius plures alios articulos continere ſimilium qualitatum, doctrinamque in Dei eccleſia veſanam, & fidei ac moribus inimicam inducere. Propterea in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti hæc ſancta Synodus ſententias prædictorum archiepiſcoporum ac Concilii Romani ratificans & approbans, prædictos articulos & eorum quemlibet, libros eiuſdem dialogum & trialogum per eumdem Ioannem Vuicleff nominatos, & alios eiuſdem auctoris libros, volumina, tractatus & opuſcula, quocumque nomine cenſeantur, quos hic haberi vult pro ſufficienter expreſſis, hoc perpetuo decreto reprobat & condemnat. Et eorumdem librorum & cuiuſlibet ipſorum lectionem, doctrinam, expoſitionem & allegationem, niſi ad eorum reprobationem, omnibus Chriſti fidelibus prohibendo, inhibemus omnibus & ſingulis catholicis ſub anathematis interminatione, & ne de cetero dictos articulos, vel ipſorum aliquem audeant publice prædicare, dogmatizare, tenere, vel quomodolibet allegare, niſi ad eorum reprobationem, vt dictum eſt, iubens illos libros & tractatus, volumina & opuſcula prælibata publice concremari, prout decretum fuerat in Synodo Romana, ſicut ſuperius eſt expreſſum. Super quibus & exequendis & debite obſeruandis, mandat prædicta ſancta Synodus ordinariis locorum vigilanter intendere, prout ad quemlibet pertinet, ſecundum iura & canonicas ſanctiones. ANNO CHRISTI 1415.

Quia vero libris prædictis diligenter examinatis per doctores & magiſtros vniuerſitatis ſtudii Oxonienſis, vltra dictos quadraginta quinque articulos, ducentos ſexaginta extra pendentes collegerunt, quorum aliqui cum ſupradictis in ſententia coincidunt, licet non in eadem forma verborum: & ſicut de aliis ſuperius dictum eſt, quidam ipſorum erant & ſunt hæretici, quidam

Anno Christi 1415. *seditiosi, quidam erronei, alii temerarii, nonnulli scandalosi, alii insani, nec non omnes pene contra bonos mores & catholicam veritatem, fuerunt propterea per dictam vniuersitatem scholastice & debite reprobati. Hæc igitur Synodus sacrosancta cum deliberatione qua supra, prædictos articulos & eorum quemlibet reprobat & condemnat, prohibens, iubens, mandans & decernens, prout de aliis 45. Eorumdem ducentorum sexaginta articulorum tenores duximus inferius inserendos.*

Concilium pronuntiat hæreticum Ioannem Vuicleff, ac memoriam eiusdem condemnat, & mandat exhumari ossa ipsius.

INSVPER quia auctoritate sententiæ & decreti Romani Concilii, mandatoque ecclesiæ & sedis apostolicæ, datis dilationibus debitis, processum fuit super condemnatione dicti Ioannis Vuicleff & suæ memoriæ, edictis propositis denuntiationibusque ad vocandum eos qui eumdem siue eius memoriam defendere vellent, si qui penitus existerent. Nullus vero comparuit, qui eumdem siue eius memoriam defensaret. Examinatis insuper testibus super impœnitentia finali, pertinaciaque dicti Ioannis Vuicleff, per commissarios deputatos per dominum Ioannem papam modernum, & hoc Concilium, seruatisque seruandis, prout in tali negotio postulat ordo iuris, de eius impœnitentia ac finali pertinacia, per euidentia signa testibus legitimis comprobata, fuit legitime facta fides. Propterea instante procuratore fiscali, edictoque proposito ad audiendum sententiam ad hanc diem, hæc sancta Synodus declarat, diffinit & sententiat eumdem Ioannem Vuicleff fuisse notorium hæreticum, pertinacem, ac in hæresi decessisse, anathematizando ipsum pariter, & suam memoriam condemnando, decernitque & ordinat, corpus & eius ossa (si ab aliis fidelibus corporibus discerni possint) exhumari, & procul ab ecclesiæ sepultura iactari, secundum canonicas & legitimas sanctiones.

Subsequenter dicta sessione (vt præmittitur) facta de mandato dominorum præsidentium nationum, Giselerus Bouencen & ego, notarii nationis Germanicæ antedictæ, accessimus ad portam vulgariter Suuitz port nominatam ciuitatis Constantiensis, per quam papa Ioannes dicitur fugisse, pro executione vlteriori ipsius citationis, & ibidem dictam citationem contra eum decretam, sigilla-

tam & subscriptam, clauis dictæ portæ affiximus, eamque affixam & extensam stare dimisimus per temporis spatium, deinde amouimus, & loco eius ibidem copiam in papyro affiximus, & stare dimisimus, præsentibus ibidem probis viris, magistro Petro Bannin notario publico, Gotfrido Galsen, Henrico Opteruorde, clericis Leodiensis, Moguntinensis & Hildesheymensis diœcesium, testibus, &c. ANNO CHRISTI 1415.

Die Sabbati eadem hora Vesperarum fuit congregatio generalis nationis Germanicæ. In qua primo magister Joannes Stalhergen, tamquam præpositus ecclesiæ sancti Seueri Erfordiensis, fuit intitulatus & iurauit, &c.

Subsequenter fuit ibidem per dominum Ioannem Abundi pro parte dominorum præsidentium propositum, quare ex consultatione certorum zelatorum vnionis ecclesiæ Dei, deberet natio deputare tres prouidos & discretos viros, qui haberent tractare materiam vnionis iuxta informationem dictorum zelatorum: & quia illa essent ipsis reuelata in secreto & arcano, ideo non esset expediens neque necessarium committi pluribus: quia timeretur, quod fraus interuenire posset, si aliqua reuelatio quæ multum foret nociua, cum dicta materia concernat practicam ad habendam vnionem in ecclesia Dei: & qua practica dimissa, forsan per modica obstacula posset impediri prædicta vnio in ecclesia Dei. Et fuit deliberatum per omnes, quod deberent eligi tres de quinque aliis alias electis super materia vnionis: & per illos quinque fuerunt electi hi, videlicet dominus Nicolaus Gneznensis episcopus, Petrus Ripensis episcopus, Albertus Ratisponensis episcopus, super materia vnionis.

Die Dominica, quinta mensis Maii prædicti, fuit congregatio deputatorum quatuor nationum, hora quinta, in loco in quo natio Germanica congregari solet. Et erant archiepiscopi & episcopi circiter quadraginta, abbates multi, & plures doctores de diuersis studiis; nobiles insuper & ambasiatores regum circa viginti. Quibus omnibus ibidem vocatis per serenissimum dominum Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem, dictoque serenissimo rege in medio ipsorum sedente, proposuit & exposuit, qualiter fecisset guerram opportunam & necessariam contra ducem Fridericum Austriæ. Primo ex eo, quod idem Fridericus scandalizasset ecclesiam & Concilium Constantiense in hoc, quod abduxit Joannem papam vigesimumtertium noctis tempore, & quod non remansit per eos, quin totaliter Concilium per talem abductionem & papæ

Anno Christi 1415. *fugam fuisset dissolutum. Item ex eo, quod nonnullos episcopos de suis sedibus expulisset, & abbates de eorum monasteriis, retinens abbatias & episcopatus in manibus propriis. Item ex eo, quod viduas & orphanos spoliasset bonis hereditariis, quorum multi propter hoc irent mendicatum per mundum.*

Et modo ille dux Fridericus, vt præfertur, vellet venire ad concordiam, & quod guerra cessaret. Quapropter petiit consilium a dominis deputatis, quid in hac materia deberet facere, & qualem concordiam deberet inire; licet dixit, quod ille Fridericus forsan petat veniam, & stare velit iudicio & simplici verbo domini regis & Concilii. Etiam * *quod honor ipsius regis, & eius iuramentum, quod alias dixit se fecisse, quod nunquam velit facere pacem neque treugam cum dicto duce. Et fuit per dominos deputatos disputatum & concluſum, quod ex hoc nullum incurreret periurium, quia simpliciter eum reciperet ad misericordiam, & tamquam hominem captiuum, & dominium eius captiuum. Allegabant etiam multi, quod tale iuramentum in præsenti casu non habet eum ligare. & sic habitis consultationibus, de voluntate domini regis fuerunt missi quatuor prælati ad associandum dictum Fridericum ducem vsque ad præsentiam domini regis. Quibus exeuntibus, reuersi fuerunt cum eodem & illustribus principibus secum, videlicet Friderico burgrauio Nurembergensi, & Ludouico duce Bauariæ; in quorum medio incessit tenendo se manibus: & veniendo ad præsentiam regis, prostrati sunt ad genua, vbi idem Fridericus burgrauius nomine ipsius Friderici ducis Austriæ & ad eius rogatum, dirigendo sermonem ad regem, dixit, qualiter auunculus suus Fridericus dux Austriæ ibidem præsens, sibi supplicasset de intercedendo pro eo apud regiam maiestatem; videlicet quod de offensis quas sibi intulisset regiæ maiestati, ac sacro Concilio Constantiensi ac personis ecclesiasticis, aut aliis personis temporalibus, nobilibus, ignobilibus, viduis aut orphanis, peteret a regia maiestate veniam & misericordiam, dans se & personam suam, dominia sua & bona totaliter in manibus & potestate ipsius domini regis, promittens se papam reducere velle, saluo tamen honore ipsius ducis Friderici, quod eidem papæ, neque suis secum venientibus, non inferatur vis in eorum propriis personis, siue bonis quæ secum apportauerint. His dictis, præfatus Fridericus dux Austriæ dixit, quod ita peteret & humiliter supplicaret regiæ maiestati, ipsum recipere ad veniam & misericordiam, ponens se & sua dominia & bona quæcumque in manibus & potestate ipsius*

* quod honorem

regis ſimpliciter diſponenda ad omnem ſuam voluntatem. Supplicans tamen, quod papæ & ſuis ſecum reducendis, nihil fiat in perſona & rebus eorum quas adduxerint. Quam humiliationem ſereniſſimus dominus rex recepit, tangens ſibi manum: & vlterius manibus iunctis, idem dominus Fridericus dux promiſit, nunquam per ſe vel alium ſeu alios contra dictum ſereniſſimum dominum regem quouis modo facere, ſed ſibi fideliſſimus ſeruitor eſſe. Super quo venerabilis vir magiſter Ioannes Abundi aduocatus nationis Germanicæ, nomine omnium & ſingulorum petiit ſibi fieri per dominos Benedictum protonotarium, præpoſitum Albæ Regalis, & Iacobum Rhodini protonotarium de Ianua, ceteroſque notarios & tabelliones ibidem exiſtentes, vnum vel plura, publicum vel publica, inſtrumentum ſeu inſtrumenta, ad dictamen cuiuſlibet ſapientis, præſentibus ibidem dictis dominis prælatis, abbatibus, doctoribus & nobilibus, aliiſque quamplurimis in multitudine copioſa. ANNO CHRISTI 1415.

Effectus literæ ſubmiſſionis ducis Auſtriæ, quæ ſcripta fuit in Teutonico, & ſigillo ſuo ſigillata, ſequitur & eſt talis.

Nos Fridericus &c. recognoſcimus &c. quod cum ſereniſſimi principis indignationem inciderimus, venimus in propria noſtra perſona ad conſpectum dicti domini noſtri regis Conſtantiam. Et nos, perſonam noſtram, territoria, homines, ciuitates, fortalitia, & quidquid habemus & tenemus, nihil excepto, ad ſuam regalem gratiam dedimus & ponimus vigore præſentium taliter, quod ipſe nobiſcum & cum eis facere & ordinare poſſit pro ſuæ regalis libito voluntatis. Quidquid etiam quælibet perſona vel perſonæ eccleſiaſticæ vel ſæculares, nobiles vel ignobiles, in quacumque dignitate vel ſtatu conſtitutæ, nemine excepto, contra nos habet occaſionem pro quacumque cauſa, nulla excepta, hoc totaliter poſuimus & dedimus in arbitrium dicti domini noſtri regis, ſic & totaliter, quod quidquid ipſe dominus noſter rex iuſſerit in huiuſmodi, ordinauerit & dictauerit pro ſua voluntate per nos erga quemlibet faciendum, quod iſtud facere & adimplere & finire debemus abſque omni dilatione & contradictione. Debemus etiam & volumus facere & procurare, papam Ioannem ad Conſtantiam, ſeu alibi, quo dominus noſter rex voluerit, præſentare aut facere præſentari ad manus & poteſtatem dicti domini regis & ſacri Concilii, quod præſentialiter Conſtantiæ celebratur.

Spe-

Anno Christi 1415. *Sperantes, quod iuxta verbum regium desuper nobis factum, quod dictus papa Ioannes & omnes secum venturi Constantiam, aut ad alium locum deputandum, suarum vitæ & rerum ad eos pertinentium, quas secum ad huiusmodi locum duxerint, sint securi. Et si dictus papa Ioannes de papatu depositus fuerit vel cesserit, tunc in voluntate præfati Concilii stabit, quomodo eidem de statu suo prouideatur. Nos etiam volumus & debemus in hostagio Constantiæ manere, quousque papa Ioannes Constantiam, aut alibi, quo præfatus dominus rex deputauerit, peruenerit, vt supra dictum est. Et quousque omnes & singuli officiales, ciues & incolæ munitionum, ciuitatum & territoriorum in Sueuia, Alsatia, partibus* Brisgoniæ, comitatu Tirolis circa Athesim, & valle dicta im Cal, *præfato domino nostro regi & imperio sacro fidelitatem promiserint & iurauerint ad sancta Dei euangelia ipsum respicere & sibi obedire, donec omnia & singula per nos totaliter & effectualiter facta fuerint & adimpleta. In quo & præfati domini nostri regis simplicibus verbis, literis aut intimationibus absque probatione alia debent cõtentari; aut quousque idem dominus noster rex eosdem fidelitatum, promissionum & iuramentorum huiusmodi per se vel suas literas nuntiauerit absolutos. Et in casu quo præmissa in toto vel in parte non faceremus & impleremus, seu quomodolibet contraueniremus (quod Deus auertat) extunc præfatæ ciuitates, munitiones, territoria & homines nostri præfato domino nostro regi & sacro imperio totaliter deuoluantur, & deinceps eidem tamquam iusto ordinario & naturali domino suo subiiciantur & obediant, nostra & cuiuslibet alterius contradictione non obstante, omnibus fraude, dolo & nequitia totaliter cessantibus in præmissis. Et istud ad omnem firmitatem promisimus nostra principatus fiducia, & ad sancta Dei euangelia iurauimus virtute huius literæ totum id quod supra scriptum est, faciendum & adimplendum totaliter & cum effectu. Et in testimonium istius, sigillum nostrum ad literam cum matura nostra deliberatione apposuimus. Et quia nos etiam istud præscriptum totum de nostra propria & libera voluntate fecimus, propterea rogauimus illustres principes, ducem Ludouicum, comitem Palatinum Rheni, ducem Bauariæ, & Griffinum de Morey nostrum dilectum auunculum, & burgrauium de Nuremberg nostrum dilectum socerum, quod quilibet eorum suum sigillum ad testimonium omnium & singulorum præmissorum ad præsentem literam apposuit, eosdem Ludouicum &c. indemnes tenendo. Datum &c.*

*Brisgoiæ

Super quibus lectura, publicatione, pronuntiatione & diffinitione siue condemnatione, dominus Ostiensis præsidens, & dicti quatuor nationum quatuor præsidentes, interrogati, an placeret, responderunt omnes, & primo Ostiensis, deinde nationum præsidentes, quod placeret. Et approbauerunt omnia prædicta. ANNO CHRISTI 1415.

SESSIO IX.

In qua producebatur executio citationis contra Joannem papam vigesimumtertium.

DIE Lunæ decimatertia mensis Maii supradicta, fuit sessio generalis in ecclesia cathedrali Constantiensi supradicta, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. Cui sessioni interfuit sereniſſimus princeps Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex &c. cum suis nobilibus & insigniis regalibus. Et fuit cantata Missa de angelis, videlicet, *Benedicite omnes angeli*, &c. per reuerendum patrem dominum Robertum episcopum Saresbirienſem nationis Anglicanæ.

Præsentibus ibidem reuerendissimis dominis, Joanne episcopo Ostiensi cardinali, &c. Angelo Laudensi, Francisco Venetiarum, Alamanno Pisano, Iordano de Vrsinis, Branda Placentino, Guilielmo sancti Marci, Antonio de Salancho, presbyteris, Amadeo Salutiarum, Raynaldo de Branchasiis, Ludouico de Flisco, Landulpho Barensi, Odone de Columna, Francisco Florentino, & Lucido de Comitibus, diaconis cardinalibus, absentibus Petro Cameracensi & Antonio Aquileiensi cardinalibus, licet in ciuitate Constantiensi præsentibus. Qua Missa cantata, fuit cantatum officium, Exaudi nos Domine, &c. cum litaniis, Luc. 21. *orationibus & collectis, cum euangelio,* Erunt signa in sole, &c. *ac hymno, Veni creator Spiritus, more solito. Quibus finitis, surrexit venerabilis vir magister Benedictus Gentiani, monachus ordinis sancti Benedicti, ambasiator studii vniuersitatis Parisiensis; & proposuit qualiter venerabiles magistri vniuersitatis studii Parisiensis recommendarent se præsenti Concilio Constantiensi, mittendo sibi vnam literam, quam ibidem in medium produxit, cuius tenor sequitur inferius post lecturam aliorum, pro quibus sessio fuit deputata. Deinde surrexerunt honorabiles viri magistri Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis,*

ANNO CHRISTI 1415. promotores & procuratores Concilii. Idem Henricus loquens, nos procuratores & promotores huius sacri Concilii dicimus & exponimus, citationem alias contra Ioannem papam vigesimumtertium decretam, vna cum eius executione facta in publicis instrumentis, quorum tenores inferius sunt inserti. Et vlterius recitando, primo, qualiter vltimo dominus Ioannes papa vigesimus tertius, & eius receptatores, sequaces & fautores fuerunt citati ad diem præsentem, ad comparendum, respondendum, & allegandum causam, &c. prout in dicta citatione continetur. Et ob hoc eorumdem Ioannis receptatorum & sequacium, siue adhærentium non comparentium, neque aliquas causas rationabiles allegantium, cur recessus dicti domini Ioannis papæ clandestinus pronuntiari non debeat fuisse & esse ecclesiæ sanctæ Dei damnosus, scandalosus & opprobriosus, ac vnionis & pacis ecclesiæ perturbatiuus & nociuus, ac nefandissimi schismatis nutritiuus & roboratiuus, hæresisque & suspicionis fidei sensitiuus, ac a bono vnionis & pacis ecclesiæ præfatæ promissionibus, iuramentis & votis per dominum Ioannem papam super hoc factis deuiatiuus. Nec non allegantium causas, quare testes super notorietate criminum in citatorio expressorum recipi non debeant, & deinde notoria pronuntiari, & super eisdem tamquam super notoriis criminibus procedi. Et cur ipse dominus Ioannes papa vigesimus tertius non debeat suspendi a totali administratione papatus, propter notoriam, malam vel scandalosam administrationem & dilapidationem. Ipsosque dominum Ioannem papam, suos complices & sequaces, primitus tamen diligenter per reuerendissimos patres dominos ex dominis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & quatuor præfatos quatuor nationum, diligenter ante valuas huius maioris ecclesiæ Constantiensis præconizatos, si non comparuerint neque reperiantur, petimus contumaces reputari, & in eorum contumaciam supradicta omnia & singula per hanc sanctam Synodum secundum formam citatorii pronuntiari, declarari & decerni, dictum recessum suum fuisse & esse sanctæ ecclesiæ Dei scandalosum & opprobriosum, &c. Nec non crimina in ipso citatorio expressa, fuisse & esse notoria, & super eis tamquam super notoriis procedendum fore, & procedi debere declarari, dictumque dominum Ioannem papam a totali administratione papatus tam spiritualium, quam temporalium, propter præmissa lite pendente, suspendendum fore & suspendi debere: ipsumque super prædictis criminibus fuisse & esse notorie irretitum, &

penitus incorrigibilem, aliasque procedi, decerni & declarari, prout iuris fuerit & ordo dictauerit rationis. ANNO CHRISTI 1415.

Item petimus similiter ex benignissimo officio, quod humiliter pro tota vniuersali ecclesia & cuncto populo Christiano imploramus, per hoc sacrum Concilium & hanc sanctam vniuersalem Synodum aliquos ex dominis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus antedictis, & aliquos alios etiam prælatos dari & deputari commissarios, coram quibus testes in hac causa produci valeant, quique iuramenta eorumdem recipiant, ipsosque examinent diligenter, & huic sacro Concilio processum huiusmodi habitum & habendum referant, aliaque faciant, quæ circa præmissa necessaria fuerint & quomodolibet opportuna. Præmissa omnia & singula cum debita petimus instantia instantius & instantissime fieri, decerni & adimpleri, saluo iure addendi, minuendi & mutandi, declarandi &c. vt est styli iuris atque moris.

Quibus factis, reuerendissimus pater dominus Franciscus cardinalis Florentinus surrexit, proponens quod dominus Ioannes papa vigesimus tertius prædictus misit dominis cardinalibus vnam bullam, in qua constituit procuratores suos ad hanc Synodum, ad defendendum & agendum nomine sui super sibi impositis & imponendis per dictam Synodum, videlicet reuerendissimos patres, dominum Petrum Cameracensem, Guillelmum sancti Marci, presbyteros, & ipsum Franciscum Florentinum diaconum cardinalem, licet sui collegæ ipsi non venerunt ad concordiam, an vellent acceptare onus procuratoris; licet ipse similiter misisset vnum breue, exhortando eos, quod acceptarent pro eo onus procuratoris: tamen iuxta id quod sibi visum fuerat, non possunt bene transire, quin deberent acceptare. Sed exnunc dixit, quantum in eo erat, pro ista vice nollet acceptare onus procuratoris, persuasissetque sibi alias, quando fuerat secum, quod reuerteretur & faceret illa quæ promiserat. Dominus vero Guillelmus sancti Marci leuans se, dixit quod illam materiam ignorasset penitus, & nunquam venisset ad notitiam eius, nisi hodie mane.

Sed quidquid esset, ipse non esset dispositus ad acceptandum onus pro papa, neque pro aliquo alio, renuntians ipse omni acceptationi exnunc penitus & omnino. Exnunc tamen approbans persuasionem quam dominus Florentinus dixit fecisse papæ, qualiter reuerteretur ad Concilium, & impleret ea quæ vouisset & iurasset. Quibus sic propositis per dictos dominos Franciscum Florentinum & Guillelmum sancti Marci cardinales, statim sur-

Anno Christi 1415. rexit magister Henricus de Piro vna cum magistro Ioanne de Scribanis, ipsoque Henrico loquente dixerunt, quod citatio esset personalis, & causa criminalis, in qua nullus admitteretur per procuratorem; protestando ibidem, ex quo Ioannes papa XXIII. constituit procuratores suos ad hanc causam, quod manifestum & notorium esset, quod citatio venit ad eius notitiam, & sufficienter deuoluta. Subsequenter pro meliori expeditione huius negotii sunt rogati per Concilium duo cardinales diaconi & quinque prælati nomine Concilii, ad eundum ad portas siue valuas ecclesiæ præsentis, ad inquirendum, si Ioannes papa XXIII. foret ibidem, ipsumque requirendo & suos sequaces, receptatores & fautores, vt comparere deberent coram sancta Synodo Constantiensi, responsuri super contentis in citatorio contra eos emisso. Cardinalibus vero recusantibus, licet petitis & expectatis, accesserunt ad portas ecclesiæ reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus nationis Gallicanæ, Nicolaus Gneznensis archiepiscopus nationis Germanicæ, Antonius archiepiscopus Ragusinus nationis Italicæ, & Nicolaus episcopus Bathonienſis nationis Anglicanæ, Stephanus episcopus Dolensis nationis Gallicanæ, cum reuerendis patribus Benedicto præposito Albæ Regalis, protonotario nationis Germanicæ, & Iacobo Rhodini nationis Italicæ, & quinque notariis siue tabellionibus quatuor nationum. Quorum quilibet vnus post alium in dictis & extra valuis tribus vicibus vocarunt Ioannem papam XXIII. & suos sequaces alta & intelligibili ac clamorosa voce, videlicet in hunc modum: Auctoritate sanctæ Synodi Constantiensis requirimus Ioannem papam vigesimum tertium citatum & suos sequaces & fautores: si sint hic, veniant coram dicta sancta Synodo, responsuri super contentis in citatorio. Quibus inquisitionibus & requisitionibus factis successiue, nullus comparuit, neque respondit. Reuersi ad ecclesiam & ad dictam Synodum, fecerunt relationem. Primo dominus Ioannes patriarcha, & deinde dominus Benedictus præpositus protonotarius, nomine notariorum, qualiter inquisierunt dictum Ioannem papam & eius sequaces ac fautores iuxta formam iuris eis traditam; & nullus comparuit, neque comparebat pro eis; quod attestarentur coram Deo & dicta sancta Synodo Constantiensi. Super quibus successiue dictis, petitis, relatis atque iniunctis, idem magister Henricus de Piro promotor vna cum dicto Ioanne de Scribanis, petiuerunt sibi per notarium sedis apostolicæ & alios tabelliones & notarios Synodi, vnum & plura confici, publicum & publica, instrumentum & instrumenta.

Præsentibus ibidem illustribus principibus dominis Ludouico duce Bauariæ, Rompoldo duce Zaganensi in Silesia, Ioanne Iacobo comite Aquesanensi filio comitis Montisferrati, Ioanne comite de Friburg, Ioanne Carolo de vicecomitibus de Mediolano, Philippo de Florentia, Nicolao de Gara magno comite de Hungaria, & alia Christianorum multitudine copiosa. ANNO CHRISTI 1415.

Quibus sic peractis, dominus Andreas electus Poznaniensis de mandato dictæ Synodi ascendebat in locum in quo publicabantur edicta Concilii, & legebat ibidem certam schedulam alias in nationibus concluſam pro officialibus Concilii; & cetera. Cuius tenor sequitur inferius. Nec non literam missam per vniuersitatem studii Parisiensis, cuius similiter tenor sequitur inferius. Quibus lectis, Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis, Henrico loquente, petierunt a tota Synodo, an placeret; adiicientes, si aliquis esset cui non placeret, iuxta auctoritatem & facultatem Concilii, posset libere surgere & dicere id quod sibi placeret. Et sic de omnibus aliis fuit responsum per dominum præsidentem & omnes alios, Placet, nemine discrepante.

Tenores vero executionis citationis in valuis ecclesiæ & portis ciuitatis Constantiensis factæ, nec non schedulæ deputationum officialium, ac literæ missiuæ vniuersitatis studii Parisiensis, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Qua quidem Missa cantata, legebantur litaniæ & alia more aliarum sessionum, cum euangelio, *Erunt signa in sole & luna*, &c. Deinde vero dominus Andreas electus Poznanienſis legebat quasdam concluſiones & literas, quarum tenores sequuntur, & sunt tales. *Luc. 21.*

Sacroſancta Constantiensis Synodus ecclesiam catholicam repræsentans, in Spiritu sancto legitime congregata.

Auditis & intellectis propositis & petitis per procuratores huius sacri Concilii generalis contra dominum Ioannem papam XXIII. intendentes in hac causa cum maturitate & mansuetudine & caritate in Spiritu sancto procedere, præfatum dominum Ioannem, quoad præmissa con-

ANNO CHRISTI 1415. tra eum propoſita & petita, vſque ad diem craſtinum horam qua celebrabitur ſeſſio, de ſolita benignitate expectandum decernit, & ſuper iam propoſitis ſeu petitis pro parte eius fore reſpondendum.

Concilium dat commiſſarios in cauſa inquiſitionis contra Joannem papam vigeſimumtertium.

Item dicta ſancta Synodus deputat & conſtituit ſupra propoſitos contra dictum dominum Ioannem papam vigeſimumtertium commiſſarios reuerendiſſimos dominos cardinales de Vrſinis & tituli ſancti Marci, nec non reuerendos patres dominos epiſcopos Concordienſem & Taruiſinum, ac Ioannem de Bononia ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditorem, nationis Italicæ: & epiſcopum Dolenſem, & abbatem ſancti Lupi, nec non Guillermum Malignis dicti palatii auditorem, nationis Gallicanæ: & epiſcopum Mersburgenſem, & Andream electum Poznanienſem, & Bertholdum de Vuildungen eiuſdem palatii auditorem, nationis Germanicæ: epiſcopum Lichfeldenſem, & abbatem beatæ Mariæ extra muros Eboraci, nationis Anglicanæ: quibus dat poteſtatem ſuper prædictis teſtes recipiendi, citandi & compellendi, ipſoſque examinandi ſecundum petitionem prædictorum promotorum, prout natura cauſæ requirit; ita quod quilibet ipſorum tres poſſint prædicta inchoare, perficere & finire, & ſuper notorietate & ſcandalizatione & incorrigibilitate dictorum criminum plenariam relationem facere, & ad finem procedendi contra dictum papam, vt iuris fuerit & rationis.

Concilium deputat ſuos iudices.

Item dicta ſancta Synodus conſtituit & deputat in iudices ſeu commiſſarios ad audiendum omnes cauſas, ad dictam ſanctam Synodum per appellationem ſeu querelam deductas, deuolutas, ſeu deducendas & deuoluendas, reuerendiſſimos patres Matthæum epiſcopum Piſtorienſem nationis Italicæ, Ioannem epiſcopum Vaurenſem nationis Gallicanæ, Nicolaum epiſcopum Plocenſem nationis Germanicæ, & Robertum epiſcopum Saresbirienſem nationis Anglicanæ; quibus dat poteſtatem in

prædictis citandi in curia & extra eam,& alia faciendi quæ ad dictas cauſas pertinent & pertinebunt,vſque ad ſententiam diffinitiuam excluſiue. ANNO CHRISTI 1415.

Concilium deputat ſeſſionarios.

Item dicta ſancta Synodus conſtituit & deputat in ſeſſionarios pro ordinando dominos prælatos, ambaſiatores & ceteros in ſeſſionibus Concilii, prout fieri ſolitum eſt; videlicet de natione Gallicana antiquos nominatos, & de natione Italica dominum Ioannem de ſancto Seuerino, & pro natione Germanica magiſtrum Euerhardum Lupi.

Item ſupplicetur per legentem prædicta ſereniſſimæ regiæ maieſtati, quod loco domini comitis Bertholdi propter eius abſentiam, prouideat de vno alio ad ſuum officium ſufficiente.

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiuſdem milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, indictione octaua, die quarta menſis Maii, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini noſtri, domini Ioannis diuina prouidentia papæ vigeſimitertii anno quinto, in mei notarii publici & teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia, venerabilis vir dominus Nicolaus de Hubancho, literarum apoſtolicarum ſcriptor, & pro tunc audientiá publica literarum contradictarum domini noſtri papæ lector in eccleſia ſancti Stephani Conſtantienſi, pro audientia cauſarum apoſtolica ſpecialiter deputata, mane hora conſueta quaſdam literas citatorias perſonales a ſacroſancta Synodo Conſtantienſi generale Concilium faciente, & eccleſiam catholicam repræſentante, in Spiritu ſancto legitime congregata, ad inſtantiam venerabilium virorum magiſtrorum Henrici de Piro licentiati in decretis, & Ioannis de Scribanis de Placentia, cauſarum & negotiorum dicti Concilii promotorum & procuratorum, contra præfatum dominum Ioannem papam & eius fautores, receptatores & eius ſequaces emanatas, & propriis ſigillis præſidentium quatuor nationum huiuſmodi Concilii munitas & ſigillatas, nec non per prouidos viros magiſtros, Ioannem Guiardi pro Gallicana natione, Bartholomæum de Guaſtis pro Italica, Giſelerum Bouencen pro Germanica, & Ioannem Raynaldi pro Anglicana, nationibus, in prædicto ſacro generali Concilio Conſtantienſi notarios ſubſcriptas & ſigillatas, quarum tenor ſic incipit: Sacroſancta Conſtantienſis Synodus, &c.

Et

ANNO CHRISTI 1415. *Et sic finit : Datum Constantiæ prouinciæ Moguntinensis, &c. alta & intelligibili voce legit & publicauit ad præfatorum magistri Henrici de Piro & Ioannis de Scribanis promotorum & procuratorum nomine quo supra, instantiam, qui sibi de publicatione & lectura huiusmodi per me notarium publicum infrascriptum, vnum vel plura, publicum seu publica fieri petierunt instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem venerabilibus & discretis viris magistris Michaele de* * Bolesanis *licentiato in decretis, Joanne de Scribanis in Romana curia procuratore, Conrado Baldeuin, Henrico Hutenatels, Joanne Brunichusen, Robino Colini, in dicta audientia procuratoribus, & Giselero de Bouencen, sacri palatii apostolici causarum notariis, & quampluribus aliis testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Paulo post ego Fridericus notarius infrascriptus dictas literas citatorias ad valuas dictæ ecclesiæ sancti Stephani pro audientia causarum apostolica specialiter deputatæ affixi, & extensas per tempus dimisi, rogatus & requisitus per dictos magistros Henricum de Piro & Ioannem de Scribanis promotores & procuratores nomine quo supra, vt de huiusmodi affixione publicum conficerem instrumentum. Præsentibus ibidem discretis viris magistris Nicolao Vourt, Henrico Herbordi, Ioanne Christiani & Ioanne Carpentarii in prædicta audientia procuratoribus, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Deinde vero hora Tertiarum dictæ diei, vel quasi, ego Fridericus notarius infrascriptus prædictas literas citatorias de prædictis valuis remoui, & statim postea ad valuas ecclesiæ cathedralis Constantiensis affixi, & extensas ibidem dimisi per horam & vltra, rogatus & requisitus, vt de huiusmodi remotione & affixione publicum conficerem instrumentum. Præsentibus ibidem discretis viris magistris Nicolao de Hubancho lectore prædicto, Arnoldo Vorthem, Theodorico de Horsten, literarum apostolicarum scriptoribus, & Ioanne Stade de Lothem, sacri palatii apostolici causarum notariis, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Expost vero hora quasi vndecima dictæ diei, ego Fridericus notarius infrascriptus prædictas literas citatorias de prædictis valuis remoui, & deinde in continenti ad valuas palatii apostolici, siue domus episcopalis Constantiensis, vbi dictus dominus noster papa, dum in præsenti ciuitate Constantiensi erat, habitabat & habitare solebat, affixi, & extensas per tempus dimisi. Et deinde hora Nonarum, vel quasi, easdem literas citatorias de proxime dictis valuis remoui, & mecum portaui, rogatus & requisitus*

* Bolesanis

ANNO CHRISTI 1415.

a ſæpe dictis promotoribus & procuratoribus, vt de huiuſmodi affixione & remotione publicum conficerem inſtrumentum. Præſentibus ibidem honorabilibus viris magiſtro Theodorico de Horſten, Goſuino Muel, literarum apoſtolicarum ſcriptoribus, Hermanno Coppardi canonico eccleſiæ ſancti Caſſii Bonnenſis, Colonienſis diœceſis, Henrico ten Gangenhaue *de Reys, Ioanne Vualkingen, & Stephano Piloſi, ſacri palatii cauſarum apoſtolici notariis, & Ricoldo* von der Samitter, *clericis Colonienſis, Monaſterienſis, Rutimenſis & Leodienſis diœceſum, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Fridericus de Arnhem clericus Colonienſis diœceſis, publicus apoſtolica & imperiali auctoritatibus notarius, ac dictæ audientiæ publicæ literarum contradictarum domini noſtri papæ ſcriba, quia prædictis lecturæ, publicationibus, affixionibus & remotionibus vna cum prænominatis teſtibus præſens interfui, &c.*

In nomine Domini. Amen.

Anno a natiuitate eiuſdem milleſimo quadringenteſimo decimo quinto, indictione octaua, die vero Sabbati, quarta menſis Maii, pontificatus domini Ioannis papæ vigeſimi tertii anno quinto, paulo poſt horam Nonarum, Ego Giſelerus notarius publicus infraſcriptus, in teſtium infraſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia certas literas citatorias perſonales, a ſacroſancta Synodo Conſtantienſi generale Concilium faciente, & eccleſiam catholicam repræſentante, in Spiritu ſancto legitime congregata, ad inſtantiam & petitionem venerabilium virorum magiſtrorum Henrici de Piro licentiati in decretis, & Ioannis de Scribanis de Placentia, cauſarum & negotiorum dicti Concilii promotorum & procuratorum contra præfatum dominum Joannem papam vigeſimumtertium & eius fautores, receptatores & ſequaces emanatas, & ſigillis præſidentium quatuor nationum huius Concilii munitas & ſigillatas, ac etiam per quatuor earumdem nationum in prædicto ſacro generali Concilio notarios ſubſcriptas & ſignatas. Quarum quidem literarum citatoriarum tenor ſic incipit: Sacroſancta Conſtantienſis Synodus, &c. Et ſic finitur: Datum Conſtantiæ prouinciæ Moguntinenſis, in ſeſſione publica, in eccleſia maiori ſolenniter celebrata die Iouis ſecunda menſis Maii, indictione octaua, anno Domini, &c. Ad inſtantiam & requiſitionem præfatorum magiſtrorum, Henrici de Piro & Ioannis de Scribanis, promotorum & procuratorum, nomine

Anno Christi 1415. quo supra, valuis seu portis ciuitatis Constantiensis, Guitport vulgariter nuncupatis, una cum earumdem vera copia affixi, & ibidem affixas & extensas dimisi.

Deinde vero hora prima post meridiem eiusdem diei, ipsas literas citatorias originales, copiis earumdem per me affixis ibidem dimissis, a dictis valuis seu portis amoui & mecum portaui, rogatus & requisitus a supradicti magistris Henrico de Piro & Ioanne de Scribanis promotoribus & procuratoribus nomine quo supra, vt de affixione & amotione huiusmodi ipsis vnum vel plura, publicum seu publica conficerem instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem discretis viris magistris, Gumperto Fabri, & Petro Bannin de Desteruuiel, sacri palatii apostolici causarum notariis, clericis Moguntinensis & Leodiensis diœcesum, testibus ad præmissa vocatis specialiter & rogatis. Paulo vero post præmissa, ego Giselerus notarius infrascriptus vna cum prædictis literis citatoriis ad dictæ ciuitatis Constantiensis valuas seu portas, *Rumphartorum vulgariter nuncupatas, accessi, & eisdem valuis seu portis easdem literas citatorias vna cum earumdem vera copia affixi, & ibidem ipsas affixas & extensas dimisi. Demum vero ipsas citatorias originales literas post horam Vesperarum eiusdem diei supradictæ, copia earumdem ibidem per me affixa, etiam in proxime dictis portis dimissa, remoui & mecum deportaui, rogatus & requisitus a supradictis magistris Henrico de Piro & Ioanne de Scribanis, promotoribus & procuratoribus nomine quo supra, vt ipsis de huiusmodi affixionibus & amotionibus vnum vel plura, publicum seu publica conficerem instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem honorabilibus & discretis viris magistris Clemente de Cumis, & Bassiano de Putalactis de Lauda, literarum apostolicarum scriptoribus, & Ioanne Guiardi in dicto sacro Concilio pro natione Gallicana notario, clerico Pictauensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis & rogatis. Et ego Giselerus de Bouencen clericus Moguntinensis diœcesis, apostolica & imperiali auctoritatibus notarius, & in sacro Constantiensi generali Concilio supradicto pro natione Germanica notarius, prædictas literas citatorias per edictum & personales supradictis valuis & portis affixi, &, vt præmittitur, amoui: de quibus affixione & amotione præsens publicum instrumentum manu mea propria subscriptum confeci, subscripsi & publicaui, signoque & nomine meis solitis & consuetis signaui, rogatus & requisitus in fidem & testimonium omnium & singulorum præmissorum.

* Rumphartorn.

Egregiis inclytisque patribus, viris ex omni gente dilectis, in salutifero Constantiensi Concilio vniuersalem ecclesiam repræsentantibus.

ANNO CHRISTI 1415.

Egregii inclytique patres, viri ex omni gente dilecti, almumque & salutiferum Concilium: Si labori, si grauibus operibus per diuersas vias pacem ecclesiæ quæsiuistis, non corpori, non mundanis parcentes diuitiis, sed thesaurizantes in cælo, iam constantius persistendum, iam ambulandum cautius, iam opus est incumbere magis, cum turbidus Auster primum dulce spirantes Zephyros a Petri nauicula aliquantisper repulit. Sed remis agendum, vt ad tranquillitatis portum ducatur incolumis. Iam in vobis spes catholici populi constituta est, vos columnas ecclesiæ firmas vniuersi laudant & venerantur, & pacem orantes populi manus ad sidera tendunt. Nam adaucta est eo fiducia per vestram perseuerantiam, postquam domini nostri papæ discessum agnouerint. Quamquam discessum ægre feramus, multumque spes præcedens passa est detrimentum, vt nuper scripto vobis notum feciſſe putamus. Nunc igitur felix vestris laboribus sit ecclesia, fortunatique populi, quos inuisum schisma tanta per tempora conturbauit. non enim tantus cœtus in vacuum erat conuocandus. Sed vt fructus labores sequatur assiduos, non dispergantur oues gregis propter pastoris absentiam, sed occasio sit hæc in centuplo maioris vnitatis: quoniam communia nostrum omnium vota, & vniuersæ fidelium mentes sequentur, vestra deliberata pro firmis veritatibus sustinebunt, vobis in cunctis innitentes, vt fidei* debitæ irrefragabiliter obligãtur. & nosipsi de vestra constantia gaudemus in Domino, vobis obedire, obsequi, reuereri, atque semper assentire parati, teste Domino, qui vestros labores in consummatæ pacis quietem dirigat, & in viam salutis æternæ.*

* f. vestri

* al. debito

*Datum Parisiis in nostra congregatione generali, apud sanctum Martinum super hoc specialiter congregata * decimoquarto die mensis Aprilis.*

* decimo tertio

Vestrarum paternitatum egregiarum zelantissimi deuoti imitatores, rector & vniuersitas studii Parisiensis.

Eadem die qua supra, videlicet decimatertia mensis Maii post meridiem fuit congregatio nationis Germanicæ. In qua primo fuerunt deputati per scrutinium pro parte eiusdem nationis quinque venerabiles viri domini Hermannus Duergh, sedis apostolicæ pro-*

* Dwerol.

ANNO CHRISTI 1415. *tonotarius, Bertholdus de Vuildungen ſacri palatii apoſtolici cauſarum auditor, Ioannes Abundi decretorum doctor, Petrus de Tyger licentiatus in decretis, & Henricus de Piro licentiatus in decretis, ad ordinandum poſitiones & articulos, in cauſa inquiſitionis depoſitionis Ioannis papæ vigeſimitertii per Synodum Conſtantienſem offerendos.*

Subſequenter venit ibidem dominus Romanorum rex cum deputatis aliarum trium nationum, præſentans vnam copiam cuiuſdam bullæ datæ Carolo de Malateſtis de Arimino. In qua Angelus de Corario, Gregorius duodecimus in ſua obedientia nuncupatus, dedit licentiam ipſi Carolo & ſuis de eius obedientia, ad conſentiendum huic Concilio: iniungens idem dominus rex dominis deputatis, quod examinarent illam copiam: & ſi foret defectuoſa vel inſufficiens, vellet eam remittere Carolo, qui ſtatim diſponere deberet, quod omnia ſufficienter emendarentur ad voluntatem Concilii.

Prædictis lectis & publicatis, promotores petierunt ab ipſa Synodo, ſi placerent: adiicientes, ſi aliquis eſſet cui non placeret, iuxta auctoritatem & facultatem Concilii poſſet ſurgere, & dicere id quod ſibi placeret. Et ſic fuit ab omnibus reſponſum per dominum præſidentem & omnes alios, Placet, nemine diſcrepante.

SESSIO X.

DIE Martis decimaquarta menſis Maii ſupradicti, fuit ſeſſio generalis in eccleſia cathedrali Conſtantienſi ſupradicta, in qua reuerendus pater dominus Bertrandus epiſcopns ſancti Flori, ambaſiator regis Cypri, cantauit officium Miſſæ de ſancta Trinitate. Et præſidebat in eadem ſeſſione reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis, rege Romanorum ibidem præſente in inſigniis regalibus cum ſuis nobilibus. Litaniis autē & aliis in ſeſſionibus legi conſuetis, lectis & peractis, reuerendiſſimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus legebat decretum ſuſpenſionis papæ, cuius tenor ſequitur in hunc modum:

Et reuerendiſſimi patres domini Angelus Laudenſis, & Iordanus de Vrſinis, cardinales, aſſiſtebant regi Romanorum ibidem præſenti in inſigniis regalibus cum ſuis nobilibus. Præſentibus ibidem Branda Placentino, Franciſco Venetiarum,

Guillelmo ſancti Marci, Antonio de Salancho, preſbyteris, Amadeo Salutiarum, Raynaldo de Branchaſiis, Ludouico de Fliſco, Landulpho Barenſi, Odone de Columna, Lucido de Comitibus, & Franciſco Florentinenſi, diaconis cardinalibus. Abſentibus tamen Petro Cameracenſi, Alamanno Piſano, Antonio Aquileienſi, & Thoma Tricaricenſi, cardinalibus, licet in eadem ciuitate præſentibus. Officio vero Miſſæ ſolenniter de ſancta Trinitate peracto, fuerunt lectæ litaniæ cum introitu: Exaudi nos Domine, &c. euangelio, orationibus & collectis ad hoc deputatis, & hymno: Veni creator Spiritus. Quibus ſic cantatis, lectis & factis, ſurrexerunt Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis promotores & procuratores prædicti. Henricus de Piro loquens propoſuit, qualiter iſta ſeſſio hodierna eſſet continuatio ſeſſionis diei heſternæ. Idcirco repetiit citationem alias per edictum contra Ioannem papam vigeſimumtertium decretam & heri reproductam, vna cum eiuſdem executionibus factis in valuis eccleſiarum & portarum iuxta ſui decretum, & hodie reproduxit de nouo. Petiitque per quatuor prælatos quatuor nationum & duos cardinales ad hoc deputatos, eumdem dominum Ioannem requiri extra valuas ipſius eccleſiæ, in quibus dicta citatio fuit affixa & executa, & eius ſequaces, receptatores & fautores, ad reſpondendum de & ſuper omnibus & ſingulis contentis in citatione, vt præmittitur, contra eum decreta, ſeu cauſam, quare minime tenerentur ad hoc allegandum, inſtanter poſtulauit. Et vlterius in caſu quo repertus non fuerit, ipſum Ioannem ſuſpendi ab adminiſtratione totali papatus in ſpiritualibus & temporalibus per ſanctam Synodum Conſtantienſem. Prædicta requiſitione facta per promotores, acceſſerunt ad portas maiores eiuſdem eccleſiæ, in quibus communiter huiuſmodi edicta publicari ſolent, reuerendiſſimi patres Franciſcus cardinalis Florentinus, & Lucidus de Comitibus, cardinales, Ioannes patriarcha Antiochenus de natione Gallicana, Nicolaus archiepiſcopus Gneznenſis, ſeu de natione Germanica, Antonius archiepiſcopus Raguſinus de natione Italica, & Nicolaus epiſcopus Bathonienſis de natione Anglicana. Præſentibus ibidem reuerendis patribus dominis, Benedicto præpoſito Albæ Regalis, Iacobo de Rhodinis de Ianua, & Thoma Polcon, ſedis apoſtolicæ protonotariis ad hoc deputatis: nec non Ioanne Guiardi pro natione Gallicana, Bartholomæo de Guaſtis pro natione Italica, Gumperto Fabri pro natione Germanica, cum Giſelero de Bouencen, & Vuilhelmo Porcellis pro natione An-

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415. glicana, notariis & scribis. Quibus dominis in portis existentibus ex mandato & consensu aliorum, reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus vocauit alta & intelligibili voce dominum Ioannem papam vigesimumtertium, suos sequaces, fautores & receptatores, si essent ibidem, quod comparerent coram sancta Synodo, ad præsens in eadem ecclesia congregata, responsuri, audituri, visuri & allegaturi, quare iuxta contenta in citatorio contra eos decreto, pronuntiari non debeant tales, quales in eodem citatorio dicuntur diffamati. Certificantes eosdem, siue comparuerint, siue non, quod nihilo minus eadem sancta Synodus ad vlteriora prout iuris fuerit, procederet, eorum contumacia non obstante: & alias ad dicendum causam, quare non debeat idem Ioannes papa ab administratione totali papatus rerum spiritualium & temporalium suspendi. In quam quidem vocationem alii ibidem existentes prælati non inquirentes, consenserunt, & voluerunt eam sufficere pro actu præsenti.

Super quibus magister Henricus de Piro promotor petiit sibi nomine dictæ sanctæ Synodi vnum vel plura, publicum seu publica confici instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem Friderico de Arnhem notario audientiæ contradictarum, Euerhardo Lupi, Ioanne de sancto Seuerino, literarum apostolicarum & pœnitentiariæ scriptoribus, & aliorum Christianorum multitudine copiosa. Et sic ipsi domini cardinales & prælati quatuor nationum reuersi sunt ad ecclesiam, & ad locum Concilii. Tunc reuerendissimus pater dominus Franciscus cardinalis Florentinensis præfatus retulit toti Synodo, quatenus in valuis & extra valuas ecclesiæ prædictæ mox per vocem domini Ioannis patriarchæ Antiocheni, dominum Ioannem papam vigesimum tertium, eiusque fautores, receptatores & sequaces vocassent, iuxta tenorem dicti citatorii contra eos emanati, ad respondendum super sibi obiectis & obiiciendis: & alias dixit & retulit, prout in eodem citatorio plenius continetur. Qui quidem dominus Ioannes papa, neque fautores, receptatores & sequaces apparuerunt, neque comparuerunt ibidem. Et sic similiter præfati domini prælati quatuor nationum responderunt successiue, & retulerunt Synodo præfatæ, eos dictum mandatum fuisse executos, licet nemo apparuerit. Quibus relationibus factis, ad instantem petitionem dicti Henrici promotoris, dominus præsidens primo reputauit dictum dominum Ioannem papam, suos sequaces, receptatores & fautores, contumaces: & vniformiter dicti

quatuor prælati quatuor nationum, & deinde tota Synodus reputauit dictos citatos contumaces: & vlterius in eorum contumaciam ad petitionem instantem dicti Henrici de Piro promotoris, reuerendissimus pater dominus Guillelmus sancti Marci, deputatus vna cum reuerendissimo patre domino Jordano de Vrsinis cardinale, simul cum reuerendis patribus Antonio episcopo Concordiensi, Iacobo episcopo Taruisino, & Ioanne de Bononia pro natione Italica: Stephano episcopo Dolensi, abbate sancti Rufi, ac Vuilhelmo Malignetii pro natione Gallicana: Nicolao episcopo Mersburgensi, & Andrea electo Poznaniensi pro natione Germaniæ: episcopo Lichfeldensi, & abbate sanctæ Mariæ extra muros Eboraci pro natione Anglicana, commissariis ad examinandum testes inducendos, & ex parte Synodi in causa inquisitionum, & etiam principali contra dominum Ioannem, sequaces, fautores & receptatores prædictos, ipsis in medio Synodi existentibus retulit, qualiter de mandato dominorum de sancta Synodo Constantiensi, cum dictis dominis deputatis examinasset testes in numero decem: quibus examinatis, & eorum dictis in scriptis redactis, perlegerunt eorum dicta & depositiones. ANNO CHRISTI 1415.

Quapropter licet dolenter id referat, non causa impediendi iustitiam, sed quod tantum ad hoc deuenit, quod huiusmodi scandalum in ecclesia Dei sit exortum; retulit qualiter reperit fore depositum sufficienter, dictum dominum Ioannem papam fore dilapidatorem bonorum ecclesiæ Romanæ & vniuersalis, simoniacum, scandalosum & perturbatorem fidei Christianæ, & alias talem, quod merito debuit suspendi ab administratione bonorum ecclesiasticorum spiritualium & temporalium: & illa retulit cum supportatione & correctione suorum collegarum. Subsequenter ascendebat in altum reuerendus pater dominus episcopus Dolensis, vnus ex collegis ipsius domini cardinalis: & retulit similiter, prout ipse dominus cardinalis referebat, & subsequenter ceteri collegæ omnium nationum ibidem congregati dixerunt relationem sic esse prout facta erat. Quibus relationibus sic factis, magister Henricus de Piro promotor petiit per dominos deputatos ad hoc, pronuntiari dictum dominum Joannem papam suspendendum fore ab administratione papatus & rerum ac iurium Romanæ & vniuersalis ecclesiæ, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, sibique interdici eorumdem administrationem. Et mandari vniuersis & singulis Christi fidelibus, quod de cetero non obediant eidem, neque quidquam administret quod pertinet ad vniuersalem ecclesiam.

Anno Christi 1415. *cleſiam. Et fuit petitum per eumdem magiſtrum Henricum de Piro promotorem, an ſic placeat dominis, primo præſidenti, & deinde deputatis quatuor nationum. Et fuit reſponſum, quod placet, per dictum dominum præſidentem, videlicet reuerendiſſimum patrem dominum Ioannem epiſcopum Oſtienſem cardinalem Viuarienſem; deinde per dominum Joannem patriarcham Antiochenum pro natione Gallicana; Nicolaum archiepiſcopum Gneznenſem pro natione Germanica, Antonium archiepiſcopum Ragusinenſem pro natione Italica, & Robertum epiſcopum Sareſbirienſem pro natione Anglicana. Quibus petitis, & reſponſionibus nomine nationum & Concilii factis, auditis & intellectis, idem dominus Ioannes patriarcha Antiochenus de mandato Concilii pronuntiauit ſuſpendendum dominum Joannem papam vigeſimumtertium, propter eius contumaciam, ab adminiſtratione bonorum eccleſiæ vniuerſalis, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, prout & quemadmodum in quadam papyri ſchedula, quam ibidem de verbo ad verbum publice alta & intelligibili voce perlegit, cuius tenor inferius eſt inſertus, plenius continetur. Qua ſchedula lecta, ſurrexit dominus Guillelmus ſancti Marci cardinalis, dicens, quod in ſententia continetur, quod idem Ioannes papa propter hæreſim ſuſpenderetur a papatu & adminiſtratione papali: ſuper quo dixit teſtes non depoſuiſſe, neque eſſe neceſſarium ad præſentem actum, quod teſtes ſuper hoc fuiſſent examinati. Sed tamen vellet ſe conformare dictis & aſſertionibus maioris partis & aliorum dominorum de Concilio. Subſequenter ſurrexit magiſter Benedictus Gentiani de vniuerſitate Pariſienſi, proteſtando, quatenus ſi per ſuſpenſionem ius conferendi beneficia deuolueretur ad prælatos, ſiue locorum ordinarios, non conſentiret, cum ſtudiis deberet prouideri taliter, quod homines literati in ipſis poſſent viuere vti alii: & alias dixit, licet concludendo effectiue in modum prædictum. Et ſic auditis iſtis altercationibus verbalibus, ſententiatum & concluſum fuit per totam Synodum, quod ſententia ſuſpenſionis deberet habere effectum. Sed illa duo puncta, videlicet quod per ſuſpenſionem huiuſmodi atque ſententiam non deuoluatur collatio beneficiorum ad ordinarios, & quod articulus de hæreſi tactus per cardinalem ſancti Marci, in deliberatione reſeruetur ad alias ſeſſiones, & quouſque teſtes fuerint ſuper notorietate examinati.*

Et ſic placuit domino præſidenti & deputatis quatuor nationum, & ſimiliter toti Synodo. Super quibus petitionibus, lecturis, proteſtationibus &c. idem magiſter Henricus, dominus cardina-

lis, & Benedictus Gentiani, petiuerunt sibi fieri nomine Concilii & propriis, per reuerendos patres dominos Benedictum præpositum Albæ Regalis, Iacobum Rhodini de Janua, & Thomam Polcon protonotarium, & alios notarios & tabelliones prædictos, vnum vel plura, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem illustribus principibus & magnificis viris, dominis Rompoldo duce de Zagan, Ioanne Jacobo comite Aquesanensi, filio marchionis Montisferrati, Ioanne comite de Friburg, Guntero comite de Guartzeburg, Ioanne Carolo de vicecomitibus de Mediolano, domino Brunero de Scala de Verona, pincerna de Sina, Philiberto magistro de Rhodis ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, & quamplurium regum, Franciæ, Angliæ, Poloniæ, Daciæ, Noruegiæ, Sueciæ & Cypri ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in numero copioso. ANNO CHRISTI 1415.

Tenor vero dictæ sententiæ suspensionis papæ, de qua supra fit mentio, sequitur, & est talis.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, ecclesiam catholicam repræsentans, ad extirpationem præsentis schismatis, & reformationem ecclesiæ in capite & in membris faciendam, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersis Christi fidelibus vnionem & pacem ecclesiæ, & omne bonum.

Pridem post clandestinum recessum domini Ioannis papæ vigesimitertii ab hac ciuitate Constantiensi & hoc generali Constantiensi Concilio, vnionis & pacis ecclesiæ perturbatiuum & impeditiuum, ipsam ecclesiam scandalizantem, per nonnullos cardinales ac prælatos, & alios notabiles viros, ad eum ex parte huius sacri Concilii legatos transmissos, eumdem requiri & moneri mandauimus & fecimus cum debita instantia, quatenus ad hoc sacrum Concilium & ad hanc ciuitatem Constantiensem rediret, ea quæ pertinebant ad extirpationem præsentis schismatis, & reformationem ecclesiæ in capite & in membris, impleturus, & cum effectu facturus, sicut promiserat, vouerat, iurauerat, ac in suis literis super conuocatione dicti Concilii concessis se facturum publicauerat: & cum id facere nolle, facto, non redeundo, & ad loca magis longinqua fugiendo, ostenderet, fuimus per venerabiles viros magistros Henricum de Piro in decretis licentiatum, & Ioannem de Scribanis de Placentia, causarum

ANNO CHRISTI 1415. & negotiorum huius sacri Concilii promotores & procuratores, instanter requisiti, quatenus ipsum dominum Ioannem papam, notorium simoniacum, notoriumque bonorum & rerum ac iurium Romanæ & aliarum ecclesiarum Dei dilapidatorem, fautorem huius pestiferi schismatis, ac aliis criminibus grauibus ecclesiam Dei scandalizantibus, nedum infamatum, sed illis in scandalum ecclesiæ notorie irretitum & incorrigibilem, qui, sicut præmittitur, clandestine hora suspecta & in habitu transformato a dictis ciuitate & Concilio generali fugit & recessit, gregem dominicum vt mercenarius deserens, hæresumque extirpationē, & generalem ecclesiæ reformationem, cui se submiserat, per dictum sacrum Concilium in capite & in membris faciendam euitare cupiens: ad redeundum & reuertendum ad ciuitatem Constantiensem & hoc sacrum generale Concilium debite compellere, & eum ad hoc etiam per edictum publicum in valuis ecclesiarum & aliorum locorum (vt est moris) affigendum citare & euocare personaliter, citationemque super hoc in forma iuris debita contra eum ac eius fautores, receptatores & sequaces decernere & concedere, & alias in & super præmissis contra eos procedere dignaremur, prout requirunt canonicæ sanctiones. Ob quam causam iustitiæ debitum exequi volentes, prout tenemur, contra eumdem dominum Ioannem papam vigesimumtertium, & alios præfatos citationem personalem decreuimus, ipsumque & alios prædictos per edictum publicum in valuis ecclesiarum maioris & sancti Stephani ac portis dictæ ciuitatis affixum, nec non per audientiam contradictarum (vt est moris) ad comparendum coram nobis nona die ab executione citationis huiusmodi computanda, citari mandauimus & fecimus, visuros & audituros per nos ordinari, decerni & declarari, dictum iam clandestinum recessum fuisse & esse ecclesiæ sanctæ Dei damnosum, scandalosum & opprobriosum, ac vnionis & pacis ecclesiæ perturbatiuum & impeditiuū, huiusque nefandissimi schismatis nutritiuum & roboratiuum, hæresisque & suspicionis fidei incentiuum, & a bono vnionis & pacis ecclesiæ præfatæ, promissionibus, votis & iuramentis per ipsum dominum Ioannem papam super hoc factis deuiatiuum: testesque su-

per notorietate dictorum criminum ad finem procedendi contra eos ſuper talibus tamquam ſuper notoriis, iurare viſuros, cauſaſque, cur ipſe dominus Ioannes papa ab omni adminiſtratione ſpirituali & temporali exnunc ſuſpendi non debet, propter ipſius malam adminiſtrationem notorie ſimoniacam, bonorum & iurium Romanæ & aliarum eccleſiarum dilapidationem notoriam, eius facto culpabili contingentem, ac ipſius ſuper præmiſſis incorrigibilitatem manifeſtam, & alias in & ſuper præmiſſis, & aliis eccleſiam Dei ſcandalizantibus notorie, contra eum ad eiectionem a papatu, ſeu eiectionis huiuſmodi declarationem, & aliis per prædictos promotores propoſitis & proponendis, de iure & iuſtitia reſponſuros, ac alias in cauſa & cauſis, & negotio huiuſmodi debite proceſſuros ac procedi viſuros, aliaſque dicturos, facturos & audituros, vt iuris fuerit & rationis, indeque iuſtitiæ complementum ſuper præmiſſis vſque ad diffinitiuam ſententiam incluſiue recepturos, ſicut in aliis noſtris inde confectis literis & inſtrumentis, ſuper eorum executione inde receptis, latius continetur. Et ſubſequenter dicta die nona, quæ fuit dies Lunæ decimatertia huius menſis Maii, coram nobis ſeſſionem publicam in eccleſia maiori dictæ ciuitatis Conſtantienſis de mane celebrantibus comparuerunt prædicti promotores, & contumaciam dicti domini Ioannis papæ citati, perſonaliter non comparentis, accuſarunt, & in eius contumaciam petierunt, illum ab adminiſtratione papali propter cauſas ſuperius expreſſas ſuſpendi, & alias contra illum iuxta fines in literis dictæ citationis comprehenſos procedi. Nos cum maturitate & manſuetudine & caritate in hac cauſa procedere intendentes, dictum dominum Ioannem papam per quatuor præſidentes quatuor nationum huius ſacri Concilii generalis Conſtantienſis, videlicet Ioannem patriarcham Antiochenum, Antonium archiepiſcopum Raguſinum, Nicolaum archiepiſcopum Gneznenſem, & Nicolaum epiſcopum Bathonienſem, commiſſarios, & per nos ad hoc deputatos, in valuis dictæ eccleſiæ maioris alta & intelligibili voce vocari & proclamari trina vice fecimus ad cautelam protonotariis ſedis apoſtolicæ, & aliis notariis publicis cum eiſdem ad id rogatis, ibidem vna cum populi multitudine præſentibus. Et

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415. tandem facta nobis illico super hoc relatione per cõmissarios præfatos, quod idem dominus Ioannes papa sic citatus, vocatus & proclamatus minime comparebat, adhuc ipsum de benignitate ecclesiæ solita vsque ad sessionem diei præsentis in dicta ecclesia maiori per nos celebrandam, expectandum decreuimus, vt in processu dictæ causæ & instrumentis inde receptis latius noscitur contineri. Cum autem hoc die præsenti, quæ est decimaquarta huius mensis Maii, comparuerint coram nobis dicti promotores, petentes per nos pronuntiari, decerni & declarari, eumdem dominum Ioannem papam propter malam administrationem eius notorie simoniacam, bonorumque & iurium Romanæ & aliarum ecclesiarum dilapidationem notoriam, facto & culpa ipsius domini Ioannis papæ contingentem, Deique ecclesiam scandalizantem, ab omni administratione papali & spirituali & temporali ante omnia suspendi, & vlterius crimina præfata contra eum per dictos promotores proposita, fuisse & esse notoria, & in illis tamquam super notoriis contra eum fore procedendum, etiam per nos pronuntiari, decerni & declarari, & alias contra eum procedi, vt iuris est, & alias petitum fuit: nos debitum iustitiæ exequi, & indemnitati ecclesiæ ac periculis animarum, quantum cum Deo possumus, obuiare volentes, præfatum dominum Ioannem papam ex superabundanti, iterato in valuis maioris dictæ ecclesiæ alta & intelligibili voce ter vocari & proclamari fecimus per Franciscum Florentinum & Lucidum de Comite cardinales, & alios commissarios prælibatos, vt est moris. Et deinde facta nobis relatione per eos, quod non comparebat, decernentes eumdem fore contumacem, ad nostram ordinationem super præmissis hinc inde propositis & petitis, procedendum duximus in hunc modum.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Quia nobis legitime constat, dominum Ioannem papam vigesimumtertium a tempore quo fuit assumptus ad papatum vsque nunc, papatum ipsum & politiam ecclesiæ, in scandalum notorium ipsius & ecclesiæ, male administrasse, rexisse & gubernasse, vitaque sua damnabili, eiusque

nefandis moribus, populis exemplum vitæ malæ præbuisse & præbere, & insuper ecclesias cathedrales, monasteria, prioratus conuentuales & cetera beneficia ecclesiastica precio appreciato simoniace notorie distribuisse, bonaque & iura Romanæ & aliarum ecclesiarum plurium notorie dilapidasse; quodque caritatiue monitus a præmissis desistere noluit, sed continue perseuerauit & perseuerat, ecclesiam Dei in præmissis notorie scandalizando: eapropter per hanc nostram sententiam pronuntiamus & decernimus & declaramus, dictum dominum Ioannem papam ab omni administratione papali, spirituali & temporali, ex causis præmissis fore suspendendum, & suspendimus, eique administrationem ipsam interdicimus in his scriptis, criminaque præmissa contra eum super mala administratione simoniaca & dilapidatione notoria ac eius mala vita ecclesiam ipsam scandalizante (prout præmittitur) proposita, notoria existere, ac de & super eis tamquam de & super notoriis procedendum fore & procedi debere ad finem eiiciendi eum a papatu, prout iuris fuerit, declaramus. Quocirca vos & quemlibet vestrum in Domino exhortamur, vobisque & vestrum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ & sub pœna fautoriæ dicti schismatis tenore præsentium districte inhibemus, ne vos seu aliquis vestrum, cuiuscumque conditionis, status, gradus seu dignitatis, etiam si regalis, cardinalatus, patriarchalis, archiepiscopalis, episcopalis, seu alterius cuiuscumque ecclesiasticæ vel sæcularis existat, dicto domino Ioanni papæ ab omni administratione papali per nos (vt præmittitur) iuste suspenso, contra dictam nostram suspensionis huiusmodi sententiam de cetero directe vel indirecte obediat, pareat, intendat, aut de bonis, rebus, iuribus, seu aliis emolumentis Romanæ ecclesiæ ex quacumque causa debitis, & ad eum ac papatum pertinentibus & spectantibus quouis modo respondeat, decernentes exnunc contra facientes scienter contrarium, tamquam contra fautores dicti schismatis, eiusque domini Ioannis papæ fautores & sequaces, ad pœnas iuris & alias (vt fuerit rationis) auctoritate sanctæ Synodi fore procedendum, nec non irritum & inane, quidquid a quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter in contrarium contigerit attentari.

Anno Christi 1415.

Anno Christi 1415. Datum Constantiæ prouinciæ Moguntinensis, in sessione publica, in ecclesia maiori solenniter celebrata, die Martis decimaquarta mensis Maii, anno Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, indictione octaua, pontificatus præfati domini papæ vigesimitertii anno quinto.

SESSIO XI.

Die Sabbati vigesimaquinta mensis Maii supradicti, fuit tenta sessio generalis in ecclesia maiori Constantiensi supradicta, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, & erat ibidem præsens sereniſſimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex in insigniis regalibus cum nobilibus suis sibi ministrantibus: *cui astabant inter cardinales dominus Angelus episcopus Prænestinus, Laudensis vulgariter dictus, & Iordanus Albanensis de Vrsinis cardinalis. Præsentibusque aliis dominis cardinalibus, videlicet Francisco Venetiarum, Antonio Aquileiensi, Alamanno Pisano, Petro Cameracensi,* * Amedeo *Branda Placentino, Antonio de Salancho, presbyteris,* * *Amadeo Salutiarum, Raynaldo de Branckasiis, Ludouico de Fliſco, Landulpho Barensi, Lucido de Comite, & Francisco Florentinensi, & Odone de Columna, diaconis cardinalibus. In qua quidem sessione fuit cantata Missa de Spiritu sancto per reuerendum patrem dominum episcopum Atrebatensem. Qua cantata, fuerunt lectæ litaniæ more solito cum introitu, Exaudi nos Domine, & collectis ac euangelio & hymno, Veni creator Spiritus, & aliis ad hoc requisitis. Quibus factis, cantatis & dictis, honorabilis vir magister Henricus de Piro promotor & procurator causarum & negotiorum Concilii, surrexit & proposuit, quod pro parte sanctæ Synodi Constantiensis præsentis fuissent dati certi articuli, formati pro inquisitione facienda contra dominum Ioannem papam vigesimumtertium, super notoria dilapidatione & mala administratione, fautoria schismatis, crimineque hæresis, vita scandalosa & incorrigibilitate ipsius Ioannis, in bonis ecclesiæ & statu papali per ipsum Ioannem factis, habitis & perpetratis, dictasque positiones & articulos fore probatos per plures & diuersos notabiles testes, quorum aliqui cardinales, aliqui archiepiscopi, aliqui episcopi, & per alios magnos viros. Quapropter dictos articulos & eorum attestationes in summa per dominos commissarios pro-*

nuntiari, legi & referri Concilio petiit.

ANNO CHRISTI 1415.

Ipſique Ioanni papæ cum hoc ſtatui & præfigi terminum condecentem ad audiendum ſententiam diffinitiuam per ſanctam Synodum, & ſuper hoc aliquos deputari, qui ipſum ad hoc requirant, inſtanter poſtulauit. Et alias dixit, fecit & proteſtatus fuit, prout & quemadmodum in quadam petitionum papyri ſchedula, cuius tenor inferius eſt inſertus, plenius continetur & habetur. Qua petitione facta, aſcenderunt ambonem domini commiſſarii, videlicet dominus Iordanus de Vrſinis cardinalis prædictus, abſente Guillelmo ſancti Marci cardinale propter eius infirmitatem; Andreas electus Poznanienſis, & Bartholdus de Vuildungen auditor, dominus Bartholomæus archiepiſcopus Mediolanenſis, Ioannes de Bononia de commiſſariis.

In qua quidem ſeſſione fuit cantata Miſſa de Spiritu ſancto per reuerendum patrem dominum epiſcopum Atrebatenſem. Qua cantata, legebantur litaniæ & alia in ſeſſionibus fieri conſueta. His autem peractis, dominus Andreas electus Poznanienſis legebat articulos formatos contra dictum Ioannem papam: & ſingulo articulo lecto, dominus Bartholdus Vuildungenenſis auditor in ſumma dixit & declarauit, ſi articulus erat probatus, exponens per tot teſtes cum eorum quantitate, qualitate & dignitate. Quibus articulis & ſummario atteſtationum expoſitis, fuit ad inſtantiam ipſius promotoris commiſſum eiſdem deputatis, ad portandum dictos articulos papæ & ſummaria, ad reſpondendum eiſdem, & eumdem vlterius citandum ad audiendam ſententiam ad proximam ſeſſionem,

pro die Lunæ proxime futura, prout in ſchedula quam reuerendiſſimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus de verbo ad verbum legebat, infraſcripti tenoris. quibus articulis ſummarie ac commiſſione lectis,

Poſt hæc autem fuit petitum per procuratorem Concilii, an placeret omnibus, quod fieret proceſſus iuxta per eum petita. Et primo dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis reſpondit pro collegio & ſeipſo, quod placeret. Subſequenter ipſi exiſtentes in ambone, videlicet archiepiſcopus Mediolanenſis pro natione Italica, Andreas Poznanienſis electus pro natione Germanica, abbas ſancti Lupi pro natione Gallicana, Thomas Poltenſis protonotarius

Anno Christi 1415. rius pro natione Anglicana, reſponderunt, Placet: & vlterius vniuerſaliter per totius Synodi ſuppoſita reſponſum fuit, Placet.

*Super quibus omnibus & ſingulis magiſter Henricus de Piro promotor petiit ſibi nomine Concilii fieri publicum inſtrumentum ſeu publica inſtrumenta, per protonotarios & notarios Synodi & nationum, & alios notarios & tabelliones ibidem exiſtentes. His expeditis, dominus Benedictus Gentiani ambaſiator ſtudii Pariſienſis recommendauit vniuerſitatem Concilio, & oſtendebat certam literam miſſiuam directam Synodo, quam de mandato Concilii legebat in ambone, præſentibus ibidem venerabili & religioſo viro domino Philiberto magno magiſtro de Rhodis, Henrico Rompoli duce de Zagan, Ioanne Jacobo comite Aquæſanenſi filio marchionis Montiſferrati, Guntero comite de Zuartzburg, comite de Dochemburg, Friderico duce Auſtriæ, comite Bertholdo de Vrſinis, Ioanne comite de Friburg, ambaſiatoribus Franciæ, Poloniæ, Noruegiæ, Daciæ, * Sueciæ, Cypri, Nauarræ, regum, aliiſque nobilibus in numero copioſo.*

* f. Suediæ

Tenores petitionum, articulorum, commiſſionum ac literæ miſſiuæ, de quibus ſupra fit mentio, ſequuntur & ſunt tales.

Coram vobis ſancta Synodo Conſtantienſi vniuerſalem eccleſiam repræſentante, hic in Spiritu ſancto legitime congregata, Henricus de Piro licentiatus in decretis, & Ioannes de Scribanis de Placentia, promotores & procuratores huius eiuſdem ſanctæ Synodi, dant & exhibent capitula, poſitiones & articulos infra ſcriptos, ad quos probãdum ſe admitti petunt, citra onus ſuperfluæ probationis.

In primis denuntiant, dicunt, aſſerunt, ponunt, & ſi neceſſe fuerit, probare intendunt, quod dominus papa vigeſimus tertius a tempore iuuentutis ſuæ, ſeu dum Baltaſſar de Coſſa appellabatur, fuit homo malæ indolis, inuerecundus, impudicus, mendax, parentibus ſuis rebellis & inobediens, pleriſque vitiis deditus, ac talis & pro tali fuit communiter dictus, tentus, creditus & reputatus ab omnibus ipſius notitiam habentibus; & adhuc dicitur, tenetur, creditur & reputatur pro tali, & vt talis: ac fuit & eſt de præmiſſis manifeſte ac palam, publice & notorie diffamatus.

Iſte primus articulus probatur verus & notorius per duos cardinales, per vnum protonotarium, per duos auditores, per vnum clericum cameræ, per vnum licentiatum in decretis, per vnum archi-

epiſcopum, per vnum ſcriptorem & abbreuiatorem, & per vnum procuratorem vnius magni ordinis, per vnum canonicum vnius magnæ eccleſiæ metropolitanæ, per vnum epiſcopum, & per multos alios notabiles viros de auditu, publica voce & fama. ANNO CHRISTI 1415.

Item quod dictus dominus Ioannes papa, tunc Baltaſſar Coſſa appellatus, per huiuſmodi illicitum quæſtum & ſimoniacam prauitatem, & procurationibus & mediationibus ſimoniacis & aliis mediis illicitis, in paucis temporibus acquiſiuit & congregauit multam iniquitatis mammonam, copioſumque pecuniæ theſaurum, propter quod extunc diuitis nomen & ſtatum aſſumpſit, & ædificia ſibi comparauit. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium; ſicque, vt præmittitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatum communiter ab omnibus ipſius notitiam habentibus: & adhuc dicitur, tenetur, creditur & reputatur, & fuit & eſt de præmiſſis diffamatus manifeſte, publice, palam & notorie.

Secundus articulus probatur per duos cardinales de notorietate & veritate, & per alios duos cardinales, de auditu, publica voce & fama: per vnum archiepiſcopum, per vnum epiſcopum, per duos auditores de veritate & notorietate, & quamplures alios notabiles viros & omni exceptione maiores, de publica voce & fama.

Item quod deinde præfatus dominus Ioannes papa, tunc Baltaſſar nuncupatus, mediante huiuſmodi ſimoniaca & damnata pecunia, promotus fuit ad cardinalatum, pro quo ſoluit magnam pecuniarum ſummam: & appellatus fuit dominus Baltaſſar cardinalis ſancti Euſtachii. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium, ac de ipſis omnibus idem dominus Ioannes fuit & eſt diffamatus palam, publice, &c.

Tertius articulus probatur per vnum cardinalem, quod publice & notorie hoc tenebatur in curia Romana; per vnum cardinalem probatur de veritate, & per alium cardinalem publice diffamatum & notorium, per vnum archiepiſcopum de veritate. Similiter per vnum procuratorem vnius magni ordinis, & per plures alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item, quod poſtquam dictus dominus Baltaſſar, tunc cardinalis ſancti Euſtachii appellatus, ciuitatem Bononienſem vt legatus fuiſſet ingreſſus, viis tyrannicis quærens terras eccleſiæ, & ciues & habitatores earum modo inhumano, impie, inique, & crudeliter re-

ANNO CHRISTI 1415. xit & gubernauit, & a Christiana pietate & iustitia diuina humanaque totaliter alienus, diuersas datias, gabellas, exactiones, extorsiones & onera insupportabilia eis imposuit, & aliarum exactionum & onerum alias inauditorum fuit inuentor. Et tam per illos modos consimiles & exactiones nimium onerosas per tyrannidem & de facto taliter subditos oppressit, quod dictos ciuitatem, comitatum & terras ecclesiæ ac ciues depauperauit, deuastauit & depopulauit, ita quod tempore sui regiminis, mala, tyrannica & violenta sua gubernatione causantibus, multi fuerunt mortui, multi profugi, multi exules, banniti & exheredati, depauperati & deperditi. Et ita, vt prædicitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatum, & communiter ab omnibus diuulgatum; & adhuc dicitur, creditur & reputatur, ac fuit & est verum. Ipseque dominus Ioannes de præmissis omnibus fuit & est grauiter diffamatus palam, publice & notorie.

Quartus articulus probatur verus per vnum archiepiscopum, per vnum protonotarium, per duos episcopos verus & notorius, per duos auditores verus & notorius. Similiter per vnum scriptorem literarum apostolicarum & per multos alios de auditu, publica voce, fama, & communi reputatione.

Item quod dictus dominus Ioannes tunc Baltassar appellatus tantum practicare sciuit, quod post mortem bonæ memoriæ Alexandri papæ quinti in Romanum pontificem electus extitit, & se Ioannem papam vigesimumtertium appellauit, & ab aliis nominari & appellari se fecit: & dum crederetur mutatione nominis homo de vitiis ad virtutes mutatus, fuit fallax opinio. Quinimo contra sanctorum patrum decreta, & contra laudabiles Romanæ ecclesiæ consuetudines veniendo, velut paganus diuina officia contempsit: officium pastorale non debite in diuinorum administratione exercuit: Missis & Vesperis papalibus interesse non curauit: horas canonicas dicere, ieiunia, abstinentias, ceremonias, & alia canonica instituta, ad quæ homines Christiani, & præsertim clerici & ecclesiastici adstringuntur, iuxta formam ecclesiæ seruare spreuit. Et si aliquoties celebrauit, hoc fuit currenter more venatorum & armigerorum; & plus, ne culparetur totaliter de hæresi, & ne expelleretur de papatu, quam deuotionis vel caritatis causa. Sicque, vt prædicitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatum; dicitur que, tenetur, creditur & reputatur; atque de eis fuit & est publica vox & fama.

Quintus articulus probatur per duos cardinales verus: quoad

ANNO CHRISTI 1415.

ſecundam partem probatur verus & notorius. Et per vnum archiepiſcopum, per vnum procuratorem vnius magni ordinis, per vnum licentiatum in decretis, & per multos alios viros de auditu, publica voce & fama & notorietate.

Item quod dictus dominus Ioannes papa fuit & eſt pauperum oppreſſor, iuſtitiæ perſecutor, iniquorum columna, ſimoniacorum ſtatua, carnis cultor, vitiorum fæx, a virtutibus peregrinus, conſiſtoria publica fugiens, ac totus ſomno & aliis carnalibus deditus deſideriis, vitæ & moribus Chriſti totus contrarius, infamiæ ſpeculum, & omnium malitiarum profundus adinuentor: adeo & intantum eccleſiam Chriſti ſcandalizans, quod inter Chriſti fideles vitam & mores ſuos cognoſcentes vulgariter dicitur diabolus incarnatus.

Sextus articulus probatur per vnum archiepiſcopum de veritate. Similiter per vnum epiſcopum, per duos auditores, per vnum magnum procuratorem, & vnum magnum priorem, per vnum ſcriptorem & abbreuiatorem literarum apoſtolicarum de veritate & notorietate, per vnum licentiatum in decretis, per vnum procuratorem in Romana curia, & per multos alios de auditu, publica voce & fama & notorietate.

Item quod dictus dominus Ioannes papa vas omnium peccatorum, repulſis dignis, pro pecuniis indignos ad officia & beneficia promouit, dans gratias non gratis. Beneficia vacantia, prælaturas & dignitates eccleſiaſticas non magis meritis, ſed plus offerenti poſt venditionem expoſitam contulit & conferri mandauit: literaſque bullatas per mercatorum & nummulariorum manus, vt de mercibus mercari ſolitum eſt, vendidit atque vendi iuſſit & mandauit. Sicque, vt prædicitur, fuit dictum, tentum, habitum & reputatum; atque fuit & eſt verum, publicum & notorium.

Septimus articulus probatur per duos cardinales de veritate & notorietate, & ſimiliter per tres epiſcopos, per vnum auditorem, per vnum magnum procuratorem, per vnum clericum cameræ.

Item de veritate probatur per vnum ſcriptorem literarum apoſtolicarum, per vnum licentiatum in decretis, per vnum procuratorem in Romana curia, per vnum magnum procuratorem vnius magni ordinis, & per quamplures alios de publica voce & fama, & ſimiliter notorietate & communi reputatione.

Item quod per præmiſſa in clero & in populo, totaque vniuerſali eccleſia, graue ſcandalum, grauiſque domini Joannis papæ &

ANNO CHRISTI 1415. curiæ Romanæ infamia, exortum fuit & suscitatum, atque exorta & suscitata.

Octauus articulus probatur per vnum cardinalem de veritate & notorietate, & per vnum magnum magistrum, & etiam vnum magnum priorem.

Item quod propter hæc & alia reuerendissimi patres & domini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales dictum dominum Joannem papam vigesimumtertium, anno primo pontificatus sui, inter se & ipsum solum fraternaliter diuersis vicibus corripuerunt, ipsumque precibus humilibus & deuotis atque salutaribus monitis cum instantia requisierunt, ne Romanam & vniuersalem ecclesiam per huiusmodi spiritualium merces & venditiones scandalizaret: & sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Nonus articulus probatur per quinque cardinales de veritate, per vnum archiepiscopum, & per multos alios de audita, publica voce & fama a cardinalibus.

Item quod dictus dominus Ioannes papa ob præmissam fraternam monitionem, animum in aliquo non mutans, auaritiæ cæcitate infectus, expost continue pristina simoniarum mercimonia continuans, peiora prioribus perpetrauit: & vbi prius sub typo iustitiæ, non nisi suis familiaribus commensalibus datam coronationis suæ in expectatiuis gratiis dare confinxit, postea post fugam ab vrbe Romana cuilibet indifferenter pro certa florenorum summa, videlicet, pro viginti quinque florenis auri de camera, dicta coronationis data publicæ venditioni exponebatur, in scandalum sedis apostolicæ & totius fidei Christianæ. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Decimus articulus probatur per vnum archiepiscopum, per duos episcopos, per vnum protonotarium, per vnum auditorem, per vnum magnum procuratorem, per vnum magnum priorem, per vnum decretorum doctorem & magnum officiarium in curia, & per vnum præceptorem & decretorum doctorem, & per multos alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod dictus dominus Ioannes papa in vitiis inualescens fortius, & non se corrigens, certos referendarios & cubicularios ac secretarios creauit, fecit & ordinauit mediatores, proxenetas ac procuratores pinguium & grossarum simoniarum ecclesiarum cathedralium, abbatiarum, monasteriorum, prioratuum & beneficiorum vacantium & reseruatorum. Quodque subinde mediorum fructuum nondum natorum vel perceptorum, ante supplicationem vel

ſaltem recuperationem literarum apoſtolicarum, impetrantem ſoluere oportuit certam ſummam ex pacto. Et niſi impetrans mox ſoluiſſet, rediit vacuus abſque cuiuſuis onere prouiſionis. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium. ANNO CHRISTI 1415.

Vndecimus articulus probatur per vnum cardinalem de veritate, & per vnum alium cardinalem de veritate & notorietate, & per vnum archiepiſcopum & vnum epiſcopum, & per duos auditores de veritate & notorietate, & per vnum ſecretarium papæ de veritate, ſimiliter & per duos literarum apoſtolicarum ſcriptores, & per vnum procuratorem in curia, & per vnum magnum præpoſitum, & ſimiliter per vnum magnum procuratorem vnius magni ordinis, & per multos alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod idem dominus Joannes papa regiſtratoribus literarum apoſtolicarum per expreſſum inhibuit, ne cuiquam ſumptum ex regiſtris literarum apoſtolicarum traderent, niſi prius & ante omnia pecuniam promiſſam ſolutam fore probaretur: propter quod multos litigantes, qui tantam ſummam ſoluere non potuerunt, in clara ſua iuſtitia ob probationis defectum ſuccumbere oportuit. Sicque auaritia & malitia dicti Ioannis papæ cauſantibus, iniquitas æquitati prævaluit, & beneficia poſſeſſa fuerunt abſque canonico titulo contra canonicas ſanctiones palam, publice ac manifeſte.

Duodecimus articulus probatur per duos auditores, per vnum literarum apoſtolicarum ſcriptorem, per vnum magnum procuratorem ordinis, & per vnum procuratorem in curia Romana, & per vnum notabilem præpoſitum & multos alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod dictus Ioannes papa vltra in ſupra proximo articulo nominatos, certos in Romana curia deputauit mercatores, qui beneficia vacantia curiæ tribus vel pluribus diebus ad libram ponderarent, & plus offerentium ſupplicationem reciperent, & ſignari facerent, in dedecus ſedis apoſtolicæ & perditionem animarum multarum. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium.

Tertiuſdecimus articulus probatur per vnum protonotarium, duos epiſcopos, & per vnum literarum apoſtolicarum ſcriptorem, & per multos alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod ſupradictus dominus Ioannes papa, ne aliqua ſup-

Anno Christi 1415. plicatio absque simonia & solutione signaretur, omnibus & singulis referendariis iniunxit, vt nullus sibi supplicationem aliquam signandam præsentaret, nisi nomine referendarii eam præsentantis signata esset. Quodque nullus quamcumque supplicationem de vacantiis signari obtineret, nisi valorem totius vel mediæ summæ in supplicatione prius realiter recepisset, & ipsi papæ responderet & traderet. Alioquin talis referendarius haberet tantumdem soluere de bono suo proprio, in pœnam transgressionis huiusmodi prætensi mandati apostolici. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Quartusdecimus articulus probatur per vnum protonotarium, per vnum episcopum, per vnum auditorem, per vnum magnum priorem, per vnum literarum apostolicarum scriptorem, & quamplures alios de auditu a referendariis; ac etiam alios episcopos & auditores de veritate & notorietate, publica voce & fama, &c.

Item quod dictus dominus Ioannes papa vltra præmissa, sæpe & sæpius contra Deum & propriam conscientiam suam mentibus plerisque bullas suas vendidit. In quibus scripsit beneficia obtinentes & officia, ea in suis manibus resignasse, & tunc se per huiusmodi confictam & mendosam resignationem, quæ nunquam accidit, contulit vel conferri mandauit pro pecuniarum certa concordata quantitate, multos sic funditus vsque ad mendicitatem depauperando, palam, publice & notorie.

Quintusdecimus articulus probatur per duos cardinales de veritate & notorietate, per vnum episcopum, per duos auditores, per vnum clericum cameræ, per vnum secretarium papæ, & per vnum procuratorem vnius ordinis, per multos alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod per hoc dabatur occasio multa beneficia emendi, conscientiam laxandi, & temeritas timorem Dei postponendi: deuenitque res ad tantum, vt qui maiorem summam in supplicatione expressit & exoluit, signaturam absque difficultate obtinuit. Idem de sacramentis, indulgentiis, dispensationibus & aliis ecclesiasticis & spiritualibus donis. Sicque, vt prædicitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatum; diciturque, tenetur, creditur & reputatur palam, publice & notorie.

Sextusdecimus articulus probatur per vnum cardinalem de veritate, per duos auditores, per vnum magnum præpositum, per vnum licentiatum in decretis, per vnum archiepiscopum & vnum magnum procuratorem vnius ordinis, per vnum præceptorem de-

cretorum doctorem, per vnum episcopum, & per plures alios de publica voce & fama & communi reputatione. ANNO CHRISTI 1415.

Item quod dictus dominus Joannes papa vnum & idem beneficium sæpius pluribus diuersisque personis, vel etiam vni & eidem repetitis vicibus vendidit, & plerumque vni venditum, per anticipationem antedatam alteri ementi conferebat. Et similiter de gratiis expectatiuis, declarationibus & subrogationibus per impositionem silentiorum, ius iam quæsitum absorbuit. Per quæ quasi tota ecclesia est labe simoniaca deturpata, indignis repleta, tam in superioribus, quam in inferioribus prælatis: omnique gradu ecclesiastico lacessita, & per consequens quasi irreparabiliter scandalizata.

Decimusseptimus articulus probatur per testes superius nominatos & quamplures alios.

Item quod dictus Ioannes papa canonice electos idoneos, vsque ad saturitatem appetitus sui soluere non volentes, confirmare recusauit. Quodque indignos & minus idoneos, ad summas desideratas ascendentes, scandalose duxit promouendos & promouit, plerosque etiam inuitos de suis ecclesiis transtulit, vt viduatas carius vendere posset, in dedecus & scandalum Christi fidelium plurimorum, palam, manifeste, &c.

Decimusoctauus articulus probatur per testes iam nominatos, & quamplures alios.

Item quod deinde dominus Joannes papa prædictus, Concilio Pisano adstrictus pro reformatione ecclesiæ in capite & in membris, in vrbe Romana Concilium generale conuocauit, & ibi in pluribus sermonibus etiam ante & post publice correptus & monitus, minime se emendauit.

Quinimo temporis successu continue diabolico instinctu incorrigibilis, peiora prioribus perpetrauit: & sic fuit & est verum, &c.

Decimusnonus articulus probatur per tres cardinales, per duos auditores, per vnum secretarium papæ, per vnum archiepiscopum, per vnum licentiatum in decretis, per duos episcopos, per vnum procuratorem vnius ordinis, & per vnum procuratorem in curia, & per alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod dictus dominus papa Ioannes indulgentias in mortis articulo, prædicationem crucis; item a pœna & culpa absolutiones, ecclesiarum & altarium portatilium concessiones, & episcoporum consecrationes, & abbatum benedictiones, reliquias sanctorum, ordines sacros, potestatem in confessionibus absoluendi a peccatis,

ANNO CHRISTI 1415. *peccatis, actuſque qui per ſolas Spiritus ſancti operationes ad gratiam miniſtrari debeant, pecunia vendidit numerata; per quæ de nouo eccleſia ſancta Dei in perſonam dicti domini Ioannis papæ grauiter diffamata fuit, & notorie ſcandalizata.*

Vigeſimus articulus probatur per vnum cardinalem, per vnum archiepiſcopum, per duos epiſcopos, & duos auditores, per vnum licentiatum in decretis, per vnum procuratorem in curia, & per plures alios de auditu, publica voce & fama atque communi reputatione.

Item quod anno Domini milleſimo quadringenteſimo duodecimo, & de menſe Auguſti eiuſdem anni, quidam Nicolaus de Piſtorio mercator Florentinus, & dicti domini Ioannis papæ aſſertus ſecretarius, laicus coniugatus, nuntius & delegatus apoſtolicus per dictum D. Ioannem papam tunc deputatus, venit ad partes Brabantiæ, habens ab eodem domino papa poteſtatem exigendi & percipiendi quoddam ſubſidium, quod fuit decima pars fructuum omnium beneficiorum in Cameracenſi, Tornacenſi, Leodienſi, & Traiectenſi, ciuitatibus & diœceſibus. Quodque non ſoluentes excommunicare poſſet per certum ad hoc deputatum, vel deputandum ſubdelegatum, ac ſuſpenſionem in collegia, conuentus & capitula, interdictique ſui ſententias in eorum eccleſias, qui ſibi huiuſmodi fructuum pecuniam non traderent: per quod eccleſiaſtica cenſura ad ludibrium & deriſum, & tota ſeptemtrionalis eccleſia grauiter fuit & eſt enormiter ſcandalizata.

Vigeſimusprimus articulus probatur per vnum cardinalem, per tres epiſcopos, vnum auditorem, vnum procuratorem in curia, & per alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod dictus dominus Ioannes papa ſupradicto Nicolao mercatore, vt præfertur, in legatione exiſtente, conceſſit, indulſit & commiſit, vt idem Nicolaus quibuſcumque hominibus vtriuſque ſexus ad ſuæ libitum voluntatis deputare poſſet confeſſores. Et quod huiuſmodi confeſſores deputati abſoluere poſſent a pœna & a culpa, certis tamen pecuniis taxatis mediantibus. Quas quidem prætenſas indulgentias idem mercator publicauit & publicari fecit in certis locis, ciuitatibus & villis, vtpote Traiecti, Mechliniæ, Antuerpiæ & alibi, de quibus maximas pecuniarum ſummas exhauſit & extorſit, Chriſti fideles ſeducendo, ac ſtatum & vitam totius eccleſiæ catholicæ enormiter ſcandalizando.

Vigeſimusſecundus articulus probatur per duos epiſcopos, per

vnum auditorem, & vnum procuratorem in curia Romana, & per plures alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione. ANNO CHRISTI 1425.

Item quod præmissa omnia & singula fuerunt & sunt vera, publica & notoria, atque pro veris, publicis & notoriis apud clerum & populum ciuitatum & diœcesum prædictarum, cunctosque Christi fideles ibidem asserta, credita, dicta, visa, audita, palpata, & vt talia habita & reputata. Atque de ipsis & eorum quolibet fuit & est publica vox & fama, fuitque & est de præmissis omnibus & singulis dictus dominus Ioannes publice diffamatus.

Vigesimustertius articulus refert se ad deposita per eos.

Item quod de anno Domini millesimo quadringentesimo duodecimo, pontificatus dicti D. Ioannis papæ anno tertio, nonnulli ambasiatores tam ex parte illustris regis Francorum & prælatorum regni Franciæ, quam ex parte almæ vniuersitatis studii Parisiensis, Romæ apud sanctum Petrum in palatio apostolico & in camera magna paramentorum, & multitudine cleri & nobilium ibidem in publica audientia congregata, dicto domino Ioanni papæ vigesimotertio diffamatam simoniam, malamque vitam, malamque suam famam per totum vniuersum orbem diuulgatas exposuerunt, asserentes ob id mirabiliter ecclesiam Dei scandalizatam, monentes sæpe & sæpius caritatiue, & requirentes eumdem papam Ioannem, quatenus a simoniæ mercibus cessaret, atque fructus antefiendo, gratias & signaturas, & antequam beneficiandus percepisset eosdem, cameræ apostolicæ soluendos & dandos, tolleret & resecaret, seque in vita & moribus emendaret, cum frequenti instantia fuerunt exhortati. Sicque fuit & est verum, publicum, &c.

Vigesimusquartus articulus probatur per quinque cardinales, quatuor episcopos, tres auditores, per vnum secretarium papæ, per vnum clericum cameræ, per vnum licentiatum in decretis, per vnum procuratorem vnius ordinis, & per vnum protonotarium, & quamplures alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod dictus dominus Ioannes papa XXIII. a supradictis & nonnullis aliis prælatis & ambasiatoribus, tam ecclesiasticis quam sæcularibus, quam etiam doctoribus & magistris vniuersitatum, humili & deuota monitione correptus, a criminibus prædictis & a scandalis prædictis non cessauit, imo continuauit mala prioribus accumulando. Et sic fuit & est verum, publicum, &c.

Vigesimusquintus articulus probatur per quatuor cardinales,

ANNO CHRISTI 1415. *per quatuor episcopos, tres auditores, vnum episcopum & vnum magnum priorem, per vnum secretarium papæ, per vnum clericum cameræ, per vnum protonotarium, & quamplures alios de fama & credulitate.*

Item quod idem dominus Joannes vigesimustertius fuit & est de præmissis omnibus & singulis publice & notorie per totum mundum & cuncta Christianitatum regna totaliter diffamatus & promulgatus, atque pro tali & vt talis in Romana curia & extra, vbicumque ipsius notitia habetur, habitus, tentus, nominatus & reputatus; atque tenetur, habetur & reputatur pro tali & vt talis, palam & publice.

Vigesimus sextus articulus probatur per testes proxime nominatos.

Item denuntiant, ponunt, & probare intendunt, quod supradictus dominus Ioannes papa bona temporalia ecclesiæ Romanæ, vrbem videlicet Romanam & patrimonium ecclesiæ in Italia, pessime & scandalose rexit, oppressiones, angarias & gabellas, vt thesaurizaret, adauxit, & aliquas de nouo adinuenit: totamque subditorum substantiam, quantum in eo fuit, exhausit, & sibi imbursauit. Ipsosque ecclesiæ subditos depauperauit, turpia lucra vndique scandalose recolligens, pluresque terras Romanæ ecclesiæ sine euidenti necessitate vel vtilitate hypothecauit & impignorauit, aliquas vero perpetuæ alienationis titulo distraxit. Et cum communi Florentinensi de alienando Bononiam tractauit, vrbemque Romanam & terras patrimonii ecclesiæ proditorie capi, inuadi & occupari permisit & tacite consensit. Et dum nuper de mense Junii, anno Domini millesimo quadringentesimo decimotertio se in crastino Romano populo Missam in ecclesia sancti Laurentii in Damaso, pro consolatione pacis & victoria belli contra quemdam Ladislaum Apuliæ regem, per ipsum papam Ioannem confici spopondisset, Romanum populum deserens, curialesque suos & oues in manibus luporum & inimicorum suorum tradens, ex culpa sua recessit scandalose. Propter quod multi curtisani interempti, trucidati, capti, spoliati, & aliqui violenter per marinarios ad galeas capti, & in perpetuam seruitutem redacti fuerant. Itaque fuit & est verum, & est publica vox & fama.

Vigesimusseptimus articulus probatur per tres cardinales, vnum archiepiscopum, tres episcopos, tres auditores, vnum clericum cameræ, per vnum præpositum, per vnum licentiatum in decretis, per vnum magnum priorem vnius ordinis, per vnum pro-

curatorem in Romana curia, & per multos alios de publica voce & fama & communi reputatione. ANNO CHRISTI 1415.

Item quod propter præmissa, & ipso culpante & causam dante, multa crimina, videlicet sacrilegia, adulteria, homicidia, spoliationes, rapinæ & furta in vrbe Romana fuerunt commissa. Et ita fuit & est verum, publica vox & fama.

Vigesimus octauus articulus probatur per vnum cardinalem, per duos episcopos, duos auditores, vnum præceptorem decretorum doctorem, vnum licentiatum in decretis, & vnum procuratorem vnius magni ordinis, & per vnum procuratorem in curia Romana, & quamplures alios de publica voce & fama, &c.

Item quod communis & vulgata omnium hominum opinio, assertio, credulitas, & manifesta fama fuit & est, quod dictus dominus Ioannes papa tam in præmissis, quam in aliis innumerabilibus casibus, & vniuersaliter in omnibus male & pessime administrauit tam in spiritualibus, quam & in temporalibus. Et quod fuit & est bonorum ecclesiæ Romanæ & ceterarum ecclesiarum, & rerum ecclesiasticarum, ac etiam temporalium ad ecclesias pertinentium, maximus & plus quam de aliquo alio fuit lectum vel auditum, dilapidator & deuastator ac dissipator pessimus, & inutilis & damnosus administrator, atque vniuersali ecclesiæ & toti populo Christiano scandalosus, veneficus, homicida, fratrum interemptor, carnis vitia per omnia colens, incontinens, & infinitis criminibus irretitus, malæ famæ & pessimæ conditionis: adeo quod in Italia, & quasi toto mundo..... capto vocabulo & similitudine a quodam inhumanissimo gentium armorum capitaneo, Balderinus appellato, etiam papa Balderinus vocitatur. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Vigesimus nonus articulus probatur per quatuor cardinales de mala & scandalosa administratione, vita mala, & publica diffamatione: per vnum archiepiscopum, duos episcopos de notorietate: similiter per duos auditores, per vnum secretarium papæ, per vnum clericum cameræ, & per vnum licentiatum in decretis, & per vnum procuratorem vnius ordinis, & quamplures alios de publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod de præmissis omnibus idem dominus Ioannes papa fuit & est publice & notorie diffamatus, & per totum mundum diuulgatus & infamatus; & quod de ipsis & eorũ singulis fuit & est publica vox & fama, & vt talis & pro tali fuit & est vbique, vbi de ipso notitia habetur, dictus, tentus, creditus & repu-

ANNO CHRISTI 1415. tatus; dicitur, tenetur, creditur & reputatur palam & publice, communiter & notorie, pro tali & vt talis.

Trigesimus articulus probatur per testes proxime descriptos.

Item quod præfatus dominus Ioannes papa nonnulla diuersa bona mobilia & immobilia diuersarum ecclesiarum & monasteriorum, titulorumque dominorum cardinalium, tam episcopatuum, quam aliorum presbyteralium & diaconatuum, collegiorum, prioratuum, ecclesiarum parochialium & capellarum, ceterorumque altarium, hospitalium & locorum ecclesiasticorum dictæ vrbis Romanæ, & præsertim ecclesiarum principis apostolorum de Vrbe, sancti Ioannis Lateranensis, ac aliis ad canonicos & personas ecclesiasticas dictæ vrbis spectantibus: nec non de bonis monasteriorum sancti Ioannis & Pauli, sancti Laurentii extra muros, sancti Alexii, sanctæ Sabinæ, & aliis monasteriis tam virorum quam mulierum, sola auaritiæ cæcitate seductus, vendidit, alienauit, dilapidauit & dissipauit, & aliqua eorum ad nihilum redegit, adeo quod in plerisque cessat seruitium diuinum: & vbi erant decem, vel viginti, vel triginta religiosi, hodie non sunt nisi vnus, duo vel tres quasi fame morientes. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Trigesimus primus articulus probatur per vnum cardinalem, per vnum episcopum, per vnum clericum cameræ, per vnum magnum præpositum, per vnum auditorem, per vnum præceptorem decretorum doctorem, per vnum procuratorem vnius magni ordinis, & vnum literarum apostolicarum scriptorem, & per plures alios de publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod idem dominus Ioannes papa etiam iura mobilia & immobilia ecclesiarum cathedralium & collegiatarum, monasteriorum, prioratuum, studiorum, collegiorum, hospitalium, ecclesiarum parochialium, capellarum & ceterorum beneficiorum & officiorum ecclesiasticorum extra dictam vrbem, tam in ciuitate & districtu Bononiensi, quam in aliis ciuitatibus, villis & locis dicti patrimonii Romanæ ecclesiæ, quam extra vbique consistentia, etiam vendidit, alienauit & dissipauit, & præsertim plura bona episcopatus Bononiensis & ecclesiæ sancti Petronii Bononiensis, & præsertim lapides, ligna, & totam materiam, de quibus debebat ædificari & fabricari dicta ecclesia. Et pecunias ad dictam fabricam ab antiquo ordinatas recepit, & opus omnino cessare fecit. Similiter omnes curias, possessiones, prædia ac bona mobilia & immobilia, ac dotationem totalem collegii Gregoriani in

dicta ciuitate Bononiensi per felicis recordationis Gregorium papam vndecimum fundati, pro sustentatione quinquaginta scholarium pauperum, &c. etiam vendidit & alienauit, ita quod de mobilibus nihil ibi remansit, & de immobilibus vix posset sustentari congrue vnus solus scholaris. Et demum Saccardis habitandam tradidit, qui totaliter eam destruxerunt: & eam vendidisset, si reperisset emptorem. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium. ANNO CHRISTI 1415.

Trigesimussecundus articulus probatur per vnum cardinalem, vnum archiepiscopum, duos episcopos, vnum auditorem, vnum secretarium papæ, vnum scriptorem papæ, & per multos alios de auditu, publica voce & fama.

Item quod dictus dominus Ioannes papa præmissis non contentus, sed etiam literarum studia per salarii subtractionem subtiliter extinguere conatus est. Doctoribus studii Bononiensis per plures annos, & maxime a promotione sua ad papatum, stipendia eorum ab antiquo tempore dicti studii eis debita, & vnde viuere & perinde studere & legere debebant, funditus abstulit & remouit: & taliter fecit, quod tam nobile & solenne studium quasi ad nihilum respectiue deuenit. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Trigesimustertius articulus probatur per duos cardinales, per duos episcopos, vnum secretarium papæ, per duos auditores, per vnum præceptorem decretorum doctorem, vnum licentiatum in decretis, per vnum procuratorem in curia Romana, & plures alios de auditu, publica voce & fama, &c.

Item quod non solum dilapidauit bona & iura prædicta mobilia & immobilia ecclesiarum, sed etiam super personas ecclesiasticas, tam vrbis Romanæ & ciuitatis Bononiensis, ac in toto patrimonio ecclesiæ grauissima onera, tallias & exactiones, insupportabilia imposuit: facultatesque ecclesiarum, vnde personæ ecclesiasticæ viuere & seruire Deo debebant, ab eis extorsit, & sibi applicauit: imo etiam super alios prælatos ecclesiasticos aliarum terrarum & dominorum sæcularium, diuersa onera, tallias, exactionesque soluendas dominiis & comitatibus sæcularibus, & præsertim regni Franciæ & comitatus Sabaudiæ, Prouinciæ etiam, nec non ciuitatibus Florentinensium, Venetorum, Senarum, & pluribus aliis, cum quibus in precio participauit, imposuit: adeo & in tantum, quod dicti ecclesiastici fuerunt & sunt tanta paupertatis angustia afflicti, vt post propriorum patrimonialium bonorum con-

Anno Christi 1415. *sumptionem, necessitate famis libros, calices & ornamenta ecclesiarum vendere sint coacti. Sicque, vt prædicitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatum; diciturque, tenetur, creditur & reputatur palam, publice, &c.*

Trigesimus quartus articulus probatur per vnum cardinalem & per testes proxime descriptos.

Item, quod propter præmissa tota ecclesia Dei notorie fuit scandalizata. Et ita fuit & est verum, publicum & notorium.

Trigesimus quintus articulus probatur per omnes cardinales, & per omnes alios testes.

Item quod horrida & detestandorum criminum domini Ioannis papæ antedicti fama, imo infamia, crebris insinuationibus & multiplicatis vicibus non solum semel, sed pluries & sæpe Christianorum principum, totiusque populi Christiani (proh dolor) aures penetrauit, intantum quod serenissimus & inuictissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex semper Augustus, in Lombardia existens ad ciuitatem Laudensem applicuit, dictumque Ioannem papam ibidem aduenientem humili & deuota prece rogauit, quatenus attento quod quasi totus mundus in eius personam scandalizatus est, sua crimina dissimulare non posset, mores & vitam emendaret in melius, & in vnionem sanctæ matris ecclesiæ tunc & nunc tripartitæ, summis vigiliis & curis intendere dignaretur, vt adstrictus per Pisanum Concilium tenebatur; & Concilium generale in aliquo securo loco, cuncto populo Christiano commodoso indiceret, suasit; & vt ecclesia in capite & in membris reformaretur, etiam deuote supplicauit.

Trigesimus sextus articulus probatur per vnum literarum apostolicarum scriptorem, per vnum licentiatum in decretis, per vnum procuratorem in curia Romana, & per alios de credulitate, &c.

Item quod dictus dominus Joannes papa XXIII. precibus dicti serenissimi principis Romanorum & Hungariæ regis in parte condescendens, amplius a vitiis huiusmodi scandalosis, & præsertim simoniaca hæresi, abstinere spopondit: & hanc ciuitatem Constantiensem, pro loco multitudinis capace, & alias habili & idoneo, pro Concilio generali celebrando elegit, quod anno Domini 1414. mense Nouembris inchoando indixit, & per mundum publicauit. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Trigesimus septimus articulus probatur, vt in bulla desuper confecta continetur.

Item quod deinde dictus dominus Ioannes papa Bononiam rediens, in priſtinam & peiorem ſimoniam recidiuauit: falſas datarum anticipationes vendidit, ius quæſitum pro numerata pecunia litigatoribus abſtulit, & ad ſoluentium inſtantias, eorum aduerſariis pluribus perpetuum pleriſque vicibus ſilentium impoſuit de facto, turpiter & ſcandaloſe. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium. Anno Christi 1415.

Trigeſimusoctauus articulus probatur per duos cardinales, per tres epiſcopos, per vnum auditorem, vnum præceptorem decretorum doctorem, vnum ſecretarium papæ, per vnum licentiatum in decretis, vnum magnum procuratorem vnius ordinis, & quamplures alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item & ne per viam iuſtitiæ oppreſſi releuarentur, idem papa Ioannes anno Domini 1414. pleriſque vicibus dominis auditoribus per ſuos referendarios, & præſertim per dominum Iacobum de Camplo, nunc electum Pennenſem, dici fecit & mandari, ne materias anticipationis datarum admitteret in iudicio, & ne datarum regiſtratores, aut alios officiarios quouis modo compelleret in his materiis priuationem iuris alterius concernentibus veritati teſtimonium perhibere, iuſtitiam notorie opprimendo. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium.

Trigeſimusnonus articulus probatur per duos auditores & vnum procuratorem in Romana curia.

Item quod propter præmiſſa & plura alia, reuerendus pater dominus epiſcopus Sareſbirienſis, & alii Chriſtianiſſimi principis regis Angliæ illuſtris ambaſiatores dictum dominum Ioannem papam vigeſimumtertium monuerunt & corripuerunt caritatiue, ſupplicantes eidem, quod ſimoniam & beneficiorum venditionem deſereret, & ſe in vita & in moribus emendaret. Alioquin non dubitaret propter ſcandalum ſubtractionem obedientiæ, & alia inconuenientia ſecutura. Quodque ipſe dominus Ioannes papa incorrigibilis factus, huiuſmodi monita ſalutaria ſpreuit. Ipſumque & alios prælatos duris & aſperis verbis minatus eſt & iniuriatus eſt palam & publice. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium.

Quadrageſimus articulus probatur per duos cardinales, per vnum procuratorem vnius magni ordinis, & alios de auditu, publica voce & fama & communi reputatione.

Item quod deinde præfatus dominus Ioannes papa ad Conſtantiam veniens, poſt diuerſas perſuaſiones, exhortationes & rogamina

Anno Christi 1415. *mina per hoc ſacrum Conſtantienſe generale Concilium deuote facta & facta, vt pacem eccleſiæ daret & papatui cederet, cum alia tutior, promptior & ſecurior, quam via ceſſionis, non eſſet, ad vnionem perfectam in eccleſia Dei conſequendam, attentis ſcandalis ex perſona ſua iam exortis, propter quæ exiſtentes in aliis obedientiis retrahebantur ab eccleſiæ vnitate: hoc anno Domini 1415. die Sabbati, ſecunda menſis Martii, in ſeſſione generali Conſtantienſi, & in pleno Concilio generali Conſtantienſi, vniuerſalem eccleſiam repræſentante, eccleſiæ Dei ſponſæ ſuæ promiſit, vouit & iurauit cedere papatui, ſponte & libere dare pacem eccleſiæ per viam ſuæ ſimplicis ceſſionis papatus iuxta deliberationem eiuſdem Concilii, prout in quadam ſchedula conſcripta, quam ſchedulam ſuamet viua voce alta & intelligibili legit, dixit, iurauit, vouit & promiſit, & alia fecit, prout in eadem, ad quam ſe referunt promotores & procuratores antedicti, continetur. Cuius tenor ſequitur & eſt talis: Ego Ioannes papa vigeſimustertius propter quietem totius populi Chriſtiani profiteor, ſpondeo, voueo, iuro & promitto Deo & eccleſiæ ac huic ſacro Concilio, ſponte & libere dare pacem ipſi eccleſiæ per viam meæ ſimplicis ceſſionis papatus, & eam facere & adimplere cum effectu, iuxta deliberationem præſentis Concilii, ſi & quando Petrus de Luna Benedictus decimustertius, & Angelus de Corario Gregorius duodecimus, in ſuis obedientiis nuncupati, papatui quem prætendunt, per ſe vel procuratores ſuos legitimos ſimiliter cedant. Et etiam in quocumque caſu ceſſionis vel deceſſus, aut alio, in quo per meam ceſſionem poterit dari vnio eccleſiæ Dei ad extirpationem præſentis ſchiſmatis.*

Quadrageſimus primus articulus probatur per duos cardinales & per duos epiſcopos, & ex ſchedula papæ.

Item denuntiant, ponunt, & ſi neceſſe erit, probare intendunt dicti magiſtri Henricus & Ioannes promotores, quod dominus Ioannes papa XXIII. ſe huic generali Concilio ſubmiſit & eius ſententiæ, ac eius iudicio ſtare promiſit in omnibus & ſingulis quæ pertinent ad reformationem eccleſiæ tam in capite quam in membris. Et hoc eſt verum, publicum & notorium, palam & manifeſtum, & ita ab omnibus publice tenetur & reputatur.

Quadrageſimus ſecundus articulus probatur per vnum auditorem & vnum decretorum doctorem, vnum magiſtrum officiorum in curia Romana, & quamplures alios de notorietate.

Item quod dictus dominus Ioannes papa, poſtquam fuit in hac ciuitate Conſtantienſi, & poſt Concilium iam inceptum, ſæpe &

sæpius, & maxime in publica sessione, omnibus audientibus, cunctos monuit, quatenus contra ipsum dicerent & obiicerent quidquid vellent, cum intenderet stare determinationi huius sacri Concilii, quæ a tempore sui papatus gessit & administrauit. Et hæc sunt publica, notoria & manifesta; & ita ab omnibus tamquam notoria habentur, tenentur & reputantur. ANNO CHRISTI 1415.

Quadragesimustertius articulus probatur per testes supra proxime descriptos.

Item quod deinde vt huiusmodi professio, votum & iuramentum & promissio iuxta deliberationem Concilii ac practicam cessionis papatus, & per consequens perfectæ vnionis in ecclesia Dei consequendæ, ponerentur, dictus dominus Ioannes papa requisitus, quatenus procuratores aliquos ad præmissa adimplendum constitueret, vt dictus serenissimus princeps & alii per hoc sacrosanctum generale Concilium deputandi & eligendi, in ciuitate Nicienſi Petro de Luna Benedicto XIII. in sua obedientia nuncupato bonam domini Ioannis papæ voluntatem ostenderent, & vt simpliciter cederent, prout cum ambasiatoribus dicti Petri de Luna & illustris principis domini regis Aragonum tractatum & concluſum extitit, fuit pro parte nationum & huius sacri Concilii humiliter & deuote rogatus & requisitus.

Quadragesimusquartus articulus probatur per duos cardinales, quatuor episcopos, tres auditores, vnum secretarium papæ, & per vnum procuratorem in Romana curia, & quamplures alios de notorietate.

Item quod post huiusmodi requisitionem dictus Ioannes papa doloſe cogitauit se absentare & clam recedere velle: & super his fuit publica vox & fama.

Quadragesimusquintus articulus probatur per duos auditores, per vnum decretorum doctorem magnum officialem in curia Romana, & plures alios de notorietate, publica voce & fama & euidentia rei.

Item quod fama huiusmodi recessus papæ tunc instantis ad aures serenissimi principis domini Sigismundi Dei gratia Romanorum & Hungariæ regis deducta, idem dominus rex ante præsentiam reuerendissimorum in Christo patrum & dominorum cardinalium, patriarchæ Antiocheni, episcoporum multorum, ducum & comitum atque prælatorum in multitudine copioſa, hortatus est & rogauit dictum dominum Ioannem papam, ne a ciuitate Constantiæ recederet, neve ante perfectam vnionem ecclesiæ

ANNO CHRISTI 1415. huiusmodi sacrosanctum generale Concilium dissolueret, persuadens quantum meritum apud Deum, quantamque laudem humanam habiturus esset, si per ipsum perfecta vnio fieri posset: dans ei & offerens vberiorem saluumconductum, atque saluam guardiam & plenissimam securitatem personæ & bonorum omnium, familiarium & curtisanorum, &c. Quodque dictus dominus Ioannes papa recedere nunquam cogitasset, respondit: sed vtique remanere, perficere & implere cum effectu velle ea quæ vouit & iurauit. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Quadragesimussextus articulus probatur per duos cardinales, tres auditores, per vnum præceptorem decretorum doctorem, & vnum magnum præpositum, & per vnum licentiatum in decretis, per quatuor episcopos & multos alios.

Item quod extunc dominus Ioannes papa videns Concilium huiusmodi & totum mundum ad sanctæ Dei ecclesiæ iam triginta octo annis vel citra scissæ & diuisæ vnionem & redintegrationem, nec non extirpationem hæresis & vitiorum, ac ipsius ecclesiæ reformationem in capite & in membris anhelare, diabolico spiritu instigatus, hoc sacrosanctum Concilium dissoluere quærens, vt reformationem hæresum atque schismatum extirpationem prædicta euadere & impedire posset, & suam malam vitam continuare, ad præterita vitia & ambitiones reincidens, contra vota, professa, promissa, ac Deo & ecclesiæ iurata, id facere renuit, & nuper hoc anno Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, die Mercurii vigesima mensis Martii, in noctis tenebris, habitu indecenti & dissimulato, laicali more, non vt Romanum decuit pontificem, gregem sibi commissum vt mercenarius deserens, ab hoc sacro Constantiensi Concilio contumaciter se absentando, aufugit & recessit, in scandalum totius generalis Concilii & totius populi Christiani. Ita fuit & est verum, publicum & notorium atque manifestum.

Quadragesimusseptimus articulus probatur per omnes testes, suum recessum fuisse & esse notorie scandalosum.

Item quod de post dictus dominus Ioannes papa ad oppidum Schafhusen se retraxit, & nonnullos cardinales, episcopos & prælatos, ac etiam curtisanos & principum ambasiatores a præsenti ciuitate Constantiensi ad se venire iussit, mandauit & practicauit; & nihilo minus sub certis prætensis causis, pœnis & censuris ipsos ad se vocauit & venire iussit: & eum sequi volentibus aut non volentibus mandauit, vt ab hoc sacro Concilio recederent. Sic

per ſuam fugam oues ſpargere, Concilium ſacrum diſſoluere, & ſchiſma nutrire, & perpetuo eccleſiam Dei tenere monſtruoſam hæreſibus, & diuiſam, & vitiis deformatam propoſuit, & quantum in eo fuit, voluit & deliberauit & fecit. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium. ANNO CHRISTI 1415.

Quadrageſimus octauus articulus probatur per vnum cardinalem, per duos epiſcopos, per duos auditores, per vnum præceptorem decretorum doctorem, per vnum ſecretarium papæ, per duos licentiatos in decretis, & quamplures alios de notorietate.

Item quod poſt de dicto oppido Schafhuſen ipſa die Veneris ſancta, tempore diuini officii, hora Tertiarum iter arripuit verſus oppidum Louffembergenſe: & deinde ab oppido Louffembergenſi iterum transformato habitu turpiter vlterius verſus oppidum Briſacum greſſus direxit, ſcandaloſe a dictis Concilio & ciuitate Conſtantienſi plus & plus contumaciter ſe elongando, totiſque conatibus, practica & opera datis ire viſus eſt in Burgundiam. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium.

Quadrageſimus nonus articulus probatur per duos cardinales, per duos epiſcopos, duos auditores, vnum decretorum doctorem, per vnum ſecretarium papæ & quamplures alios.

Item quod nuper hoc anno Domini 1415. & de menſe Aprilis eiuſdem anni, dictus dominus Ioannes papa per reuerendiſſimos ambaſiatores, oratores, nuntios & epiſtolas pro parte huius ſacri generalis Concilii ad ipſum tunc in præfato oppido Briſaco reſidentem deſtinatos & deſtinatas, quatenus more pii paſtoris, qui animam ſuam poſuit pro ouibus ſuis, cuius actionem & auctoritatis præſidentiam ita vita, exemplo & doctrina inſecutor eſſe dignaretur, ad gregem ſuum deſertum rediret Conſtantiam, vel ſaltem ad vnam de tribus ciuitatibus, oppidis ſeu locis vtique inſignibus, videlicet ciuitatem Baſileenſem, * Olmam ſeu Rauemburg, ciuitati Conſtantienſi & loco Concilii vicinam, de vnione eccleſiæ Dei gratia Dei perficienda, vt ſecum in omni benignitate & caritate tractare poſſent, caritatiue cum reuerentia debita fuit rogatus, monitus & requiſitus. Promittentes eidem & offerentes ex parte dicti Concilii ſaluumconductum pleniſſimum, tunc iam paratum & ſigillo magno ſeu imperiali ſigillatum, & eidem domino Ioanni lectum, oſtenſum & donatum, ſecuritatem vitæ & ſtatus, ac prouiſionem honeſtiſſimam condecentem ſtatui ſuo, ſi reuerteretur, atque vota, iurata & promiſſa adimpleret, prout iidem legati & ambaſiatores id a prædicto Concilio habuerunt in mandatis &

* Vlmam

Anno Christi 1415. *obtulerunt, quemadmodum in instrumentis publicis desuper confectis, ad quæ se referunt promotores & procuratores prædicti, latius continebatur.*

Quinquagesimus articulus probatur per vnum cardinalem, per tres episcopos, & instrumenta publica & diuersa breuia per ipsum Ioannem papam principibus & vniuersitatibus missa.

Item quod dictus dominus Ioannes papa in reprobum sensum ductus, monita huiusmodi more aspidis aures obturantis ne audiat, obaudiens, se in crastinum responsum dictis ambasiatoribus & legatis velle dare asserens, ipsos eo tunc redire iussit. Nec crastino expectato, post medium noctis ante diluculum, non dato responso, ad oppidum Nuemburg aufugiens se transtulit habitu transformato. Et sic sacrum Concilium dissoluere, vnionem & reformationem ecclesiæ, extirpationem hæresum & vitiorum impedire, & suam vitam detestandam continuare vt posset, quæsiuit, prout continuauit, in profundum malorum deditus, peiora prioribus committere non expauit, supradictis monitis, precibus & requisitionibus minime condescendens. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Quinquagesimus primus articulus probatur per testes supra proxime nominatos.

Item quod supradictus dominus Ioannes papa fuit & est homo duræ ceruicis, pertinax peccator, induratus, incorrigibilis, ecclesiam Dei notorie scandalizans, fautor schismatis, aliasque talis, quod papatu & eius administratione se reddidit indignum. Et pro tali habetur, tenetur & reputatur.

Quinquagesimus secundus articulus probatur per vnum cardinalem, & per omnes testes superius descriptos.

Item quod dominus Ioannes papa fuit & est de præmissis omnibus & singulis publice & notorie diuulgatus & diffamatus, atque pro tali & vt talis, in Romana curia & extra, & vbicumque ipsius notitia habetur, habitus, tentus, nominatus & reputatus pro tali & vt talis palam & publice.

Item quod de præmissis omnibus & singulis fuit & est publica vox & fama.

Quinquagesimus tertius & quartus articuli probati sunt per omnes testes superius descriptos publici & notorii.

Hoc loco in exemplari vnde hæc desumpta sunt, plus quam latus integrum folii vnius vacuum relictum erat, tamquam si plures articuli, aut alia nescio quæ addenda fuissent.

In primis denuntiant, dicunt, asserunt, ponunt, & si necesse fuerit, probare intendunt, quod dominus Joannes papa vigesimus tertius a tempore iuuentutis suæ dum Baltassar Cossa appellabatur, fuit homo malæ indolis, inuerecundus, impudicus, mendax, parentibus suis rebellis & inobediens, plerisque vitiis deditus: ac talis & pro tali fuit communiter dictus, tentus, creditus & reputatus ab omnibus ipsius notitiam habentibus. Et adhuc dicitur, tenetur, creditur & reputatur pro tali & vt talis. Ac fuit & est de præmissis diffamatus ac palam, manifeste, publice & notorie. ANNO CHRISTI 1415.

Item quod dictus dominus Joannes tunc Baltassar appellatus, legatus Bononiæ existens, ad papatum illicitis mediis anhelans, in mortem bonæ memoriæ domini Alexandri papæ extitit machinatus, & vt tam ipse quam medicus suus magister Daniel de sancta Sophia, artium & medicinæ doctor, veneno extinguerentur, prout extincti sunt, operam dedit. Sicque, vt prædicitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatum; diciturque, tenetur, creditur & reputatur; atque fuit & est de præmissis in ciuitate Bononiensi, & extra per totum mundum publica vox & fama, fuitque & est grauiter & notorie diffamatus.

Item quod dominus Ioannes papa cum vxore fratris sui, & cum sanctis monialibus incestum, cum virginibus stuprum, & cum coniugatis adulterium, & alia incontinentiæ crimina, propter quæ ira Dei descendit in filios diffidentiæ, commisit: & de his grauiter & publice diffamatus & scandalizatus est. Et sic fuit & est verum, publicum & notorium.

Item quod supradictus papa Ioannes nouum mandatum & simoniæ scelus perpetrando, sex parochiales ecclesias Bononienses & plura alia beneficia ecclesiastica pro pecunia numerata vendidit meris laicis, qui eas tamquam res profanas cum earum possessionibus, dotibus & iuribus de facto possident. Ponuntque laici huiusmodi presbyteros ad celebrandum Missas pro suæ libito voluntatis. Et plura alia enormia & maiora fecit & commisit in illis & aliis partibus, de quibus fama publica, imo verius infamia contra eum diuulgata est per vniuersum orbem. Sicque fuit dictum, tentum, creditum & reputatum; diciturque, tenetur, creditur & reputatur. Atque fuit & est publicum & notorium.

Item quod dictus papa Ioannes præceptoriam Cypri, ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, contulit cuidam infanti in quinto anno constituto, bastardo illustris domini regis Cypri, nomine Aloysio, pro certa pecuniæ quantitate. Necnon fructus vacantiæ &

ANNO CHRISTI 1415. *ſpolia vltimi præceptoris defuncti, eidem Aloyſio infanti vendidit contra ipſius ordinis regularia inſtituta, præſertim cum huiuſmodi bona ſpolii & vacantiæ ſint bona fiſcalia pro ſoluendis ſtipendiariis contra infideles. Nec non eidem infanti in dicto quinto anno ætatis ſuæ conſtituto per bullam conceſſit, vt ea ætate poſſit profiteri & profeſſioni adſtringeretur, contra legem conſenſus qui per eum præſtari non potuit. & ſic fuit, &c.*

Item quod dominus Ioannes papa nunquam prædicta reuocare voluit, niſi cum pactis & conditionibus quæ ſequuntur. Primo, quod reſtituerentur regi Cypri pecuniæ, quas dederat papæ pro emptione dictæ præceptoriæ pro rato.

Item quod darentur papæ in continenti, & omnino ſex millia florenorum auri de camera, quod fieri oportuit; & ſoluti fuerunt realiter pro Hoſpitali per priorem Rhodi & procuratorem generalis religionis domino Nicolao de Robertis, Idibus Auguſti, anno quinto, & per manus Eduardi de Reciis mercatoris Florentinenſis. Pro quibus ſic ſolutis, religio Hoſpitalis & prædicti remanent adhuc obligati penes mercatores. Ita reſeruauit papa tunc & ante omnia pro dicto baſtardo in quinto ætatis ſuæ anno conſtituto ſuper bonis religionis penſionem duorum millium florenorum de camera.

Item reſeruauit pro dicto baſtardo cameram magiſtralem, quæ vocatur Negera & finita, quæ valet communiter duo millia florenorum annuatim. Ad quæ non.

Et hic aliquantum ſpatii relictum erat in archetypo.

dicti prior & procurator. Quibus ſic peractis, papa fecit eis dari per dictum Eduardum de Reciis mercatorem bullas, qui dictas bullas reſeruabat vſque ad ſolutionem dictorum ſex millium florenorum: quas bullas eidem Eduardo dederat epiſcopus Vulteranus, donec ſoluerentur ſex millia florenorum ſupradictorum. Et ſic fuit & eſt verum, publicum & notorium.

Item quod dictus dominus Ioannes papa fratrem Iacobum de Viriaco maiorem annis, expreſſe profeſſum religionis Hoſpitalis, a votis, regula & habitu religionis abſoluit de facto, & ad ſæculum reduxit, & contrahendi matrimonium licentiam dedit, ſexcentis ducatis primo datis. Et ſic fuit, &c.

Item quod dominus Ioannes papa prædictus caſtellaniam ſcalarum dicti Hoſpitalis, quam dictus frater Iacobus tenebat, ſimul cum prædictis reſeruauit, & deinde ipſam cuidam fratri Heymaco de Veſello pecuniis datis contulit: quæ caſtellania eſt conuentualis

& regia, in qua deberent esse fratres capellani numero 13. cum aliis clericis Deo seruientibus. Sicque perit diuinus cultus, & ordo transuertitur in scandalum Christi fidelium plurimorum palam & publice. ANNO CHRISTI 1405.

Item dicto Heymaco iuueni ætatis quatuordecim annorum vel circa, concesserat dominus magister Rhodi licentiam ingrediendi religionem Hospitalis, vt indilate facta professione & recepto habitu religionis, transiret ad conuentum religionis cum equis & armis sufficientibus, Deo & religioni contra inimicos fidei Christianæ militaturus. Et quod ipse frater Heymacus votorum suorum & salutis propriæ immemor, non ad conuentum transiit, sed statim factus inobediens & rebellis, ad dictam castellaniam emendam ad papam misit. Quam castellaniam obtinens, omnia conuentus, tam vacantem, quam responsionem annuam occupauit, prout occupat, licentia per dictum dominum papam prius vendita & concessa.

*Item quod ipse dominus Ioannes papa prædictus multa grauia, inutilia & frustratoria onera etiam Gallicis in Auinione tyrannice ad diuersos fines damnatis imposuit. Et præsertim tam in viagio facto apud Pisas cum galeis sub colore eundi apud Auinionem, quam in combustione palatii apostolici Auinionensi per dominum Marinum nepotem suum, & suorum seruitorum ad hoc (vt dicitur) missum & constitutum capitaneum dicti palatii, ad reparationem eius, quam aliis diuersis modis, ac etiam de dictis ciuitate Auinionensi & comitatu * Veanissini, quos tractauit alienari diuersimode, & maxime in manibus dicti regis Ladislai ponere, mediantibus certis tractatibus contra vnionem ecclesiæ, & magna pecuniæ quantitate. Quod & fecisset, si ad optatum suum peruenire potuisset. Sicque (vt prædicitur) fuit dictum, tentum, creditum & reputatum; diciturque, tenetur, creditur & reputatur palam, publice & notorie.*

Item quod dictus dominus Joannes papa bona & dotem prædicti monasterii sancti Laurentii diuisit in tres partes dissipando, & certis ex dominis cardinalibus particulariter per tripartitas particulas diuidendo, quæ prius vnita fuerunt pro sustentatione monachorum multorum, Deo in religionis zelo laudabiliter prius seruientium, nunc miseria & paupertate apostatantium. Et sic fuit & est verum, &c.

Item quod dictus dominus Ioannes papa præmissis non contentus, monasterium sancti Alexii prædictum vendidit Baptistæ de Sabellis,

Anno Christi 1415. *Sabellis, pro quodam impubere baſtardo ſuo; monaſterium ſanctæ Sabinæ domino Nicolao de Vrſinis; & ita de ceteris. Et quod deterius eſt, caput ſancti Joannis Baptiſtæ quod erat in monaſterio monialium ſancti Silueſtri de dicta vrbe, vendiderat, ſeu pactum de tradendo fecerat Florentinis pro precio quinquaginta millium ducatorum. quod & feciſſet, niſi ciuibus Romanis id per eum reuelatum fuiſſet. Et quia aliqui eorum de hoc in aperto locuti fuerunt, capti & incarcerati fuerunt, & in magnis pecuniarum ſummis redempti fuerunt, & exbanniti. Et alias niſi ſe ſeu vitam ſuam redemiſſent, propterea decapitati fuiſſent eius iuſſu. Et ita, vt prædicitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatum; diciturque, tenetur, creditur & reputatur. Et fuit & eſt verum, publicum & notorium atque diuulgatum vbique, tam in vrbe & tota Italia, quam Gallia etiam, palam, publice & notorie.*

Item quod dictus papa Ioannes decimas caſtrorum Centi, & plures diœceſis Bononienſis, pertinentes ad menſam epiſcopalem Bononienſem, alienauit laicis fautoribus ſuis in perpetuum, pro eis & eorum ſucceſſoribus, in graue diſpendium eccleſiæ Bononienſis, quam penitus & totaliter depauperauit palam & publice.

Item quod communis hominum opinio, aſſertio, firma credulitas ac vera reputatio, commune dictum, rumor indubius, vulgata fama, atque verum & notorium fuit & eſt, quod dictus dominus Ioannes papa fuit & ſit homo peccator, notorie criminoſus de homicidio, veneficio, & aliis grauibus criminibus, quibus irretitus dicitur grauiter diffamatus, diſſipator bonorum eccleſiæ, & dilapidator eorumdem, notorius ſimoniacus, pertinax hæreticus, & eccleſiam Chriſti notorie ſcandalizans, incorrigibilis, & alias talis, quod ſe papatui & eiuſdem adminiſtrationi, ac ſedis apoſtolicæ & vniuerſalis eccleſiæ regimini reddidit indignum.

Item quod dictus Ioannes papa vigeſimustertius ſæpe & ſæpius coram diuerſis prælatis, & aliis honeſtis & probis viris pertinaciter, diabolo ſuadente, dixit, aſſeruit, dogmatizauit & adſtruxit, vitam æternam non eſſe, neque aliam poſt hanc. Quinimo dixit & pertinaciter credidit, animam hominis cum corpore humano mori & extingui ad inſtar animaliũ brutorum: dixitque mortuum ſemel, eſſe etiam in nouiſſimo die minime reſurrecturum, contra articulum de reſurrectione mortuorum. Quodque de præmiſſis fuit & eſt dictus Joannes papa apud clerum & populum grauiter diffamatus. Sicque vt prædicitur, fuit dictum, tentum, creditum & reputatũ; diciturque, tenetur, creditur & reputatur palam, publice & notorie.

Item quod dictus dominus Ioannes papa sæpe & sæpius publice dixit & professus est, se velle omnia facere opportuna pro vnione ecclesiæ sanctæ Dei, etiam vsque ad mortem inclusiue; nec in prædictis a voluntate huius Concilii aliquo modo discedere. Et hæc sunt vera, publica & notoria; & vt notoria habentur, tenentur & reputantur. Anno Christi 1415.

Hoc loco scriptus fuit articulus approbationis protonotariorum per quatuor nationes deputatorum. Hunc, quia præter rationem hic insertus videbatur, submotum hinc, superius in sessione prima suo correspondenti adiunctum offendes.

Litera missiua domini Ioannis papæ XXIII. missa domino regi Romanorum de Cellis.

Carissimo in Christo filio Sigismundo Romanorum regi semper Augusto & Hungariæ, &c. regi. Ea salute quæ Christus & omnium vera salus est, perpetuo & feliciter adimplere.

Licet, Carissime fili, prudentiam tuam præ ceteris huius æui regibus rex regum insigniuerit cunctarum varietate virtutum, licuit tamen sæpe & sæpius * *& profuit, ad viuaciora virtutum studia mentes etiam peruigiles excitare. Propter quod & te, vt ad clementiam, quæ sola solidat thronos regum, qua ex innata bonitate ad miserendum te quantumcumque pro tuis offensoribus non solum liberalitate, sed vsque ad prodigalitatis speciem hactenus supererogasse dinosceris, erga nostram personã in præsenti, quam permittente Domino non absque nostra (fatemur) incuria incidisse, incidimus casum, excitare possimus, quasi confidentissimis susurriis duximus flagitandum, plurima eorum quæ tibi per diuersos viua voce significare curauimus, præsentibus repetentes, vt efficaciorem vim nostræ petitionis tribuat modorum petendi multiplicatio frequentata. Quantis itaque, carissime ac dulcissime fili, tenerrimæ dilectionis affectibus a primordio assumptionis nostræ ad supremi pontificatus apicem, erga te nostra flagrarunt præcordia, liceat quæsumus cum tua serenitate fabulari. Nonne, vt plurima breuitatis gratia transeamus, defuncto felicis memoriæ rege Ruperto, te non tam propter te, sed vniuersitatis populi Christiani salutem, in cordis nostri arcano cunctis viuentibus præeligentes, prædestinauimus in regem Romanorum, tuam ad hoc serenitatem, vt onus illud assumere dignaretur, solicitudine supplici curauimus præuenire? Et ad eumdem effectum nostros nuntios ad principes electuros & alios iteratis, reiteratis non piguit vicibus destinare.*

* etiam

ANNO CHRISTI 1415. *Quantaque vigilantia, vt diuersa de te facta electio conualesceret vsque ad perfectum atque profectum, non cessauimus insudare, nouit tua serenitas, nouerunt etiam tui nuntii, variique ipsius negotii tractatores. Deinde cum nostram præsentiam ipsa tua desideraret serenitas, quanta quæsumus promptitudine mentis desideriis tuis satagebamus occurrere? Nonne viarum discrimina, expensarum onera, & alia nobis incumbentia peragenda, nobis pro nihilo fuerunt computata? Sed & in tractatibus huiusmodi quanto qualique studio ad tui honoris, tuæque consolationis augmentum nostros conatus extendimus, non alio quam tuiipsius testimonio relinquatur. Denique cum cogitantibus nobis de Concilio conuocando per tuos ad nos nuntios destinatos requireres, vt de tempore locoque celebrandi Concilii tuis nos votis conformaremus, cardinales misimus, qui sine exceptione tuæ per omnia acquiescerent voluntati. Denique cum de aduentu nostro ad Constantiam quam elegeras, per nuntios tuos solicitaremur, nonne acceperant pro responso, quod sanitate desuper nobis concessa, absque dubio veniremus? infirmitate forsan grauati, gestatoriis ferremur. Porro si pedum officiis, aut etiam claudicantibus calcaneis id foret agendum, id idem nihilo minus ageremus. Demum etsi ab hac luce nos migrare contingeret, in satisfactionem præmissorum perfectam, corpus nostrum illuc perferri præciperemus. In his omnibus tuæ dilectioni plus quam saluisconductibus & aliis quibuscumque præsidiis sincerrima fiducia innitentes, sed pauca existimantes quæ fecimus, de affectu locupletissimo quantumlibet maiora faciendi, in nostra possumus conscientia gloriari. Et ecce negotiis in vrbis Romanæ ac patrimonii sancti Petri recuperatione prorsus postpositis, nullis dissuadentium receptis suggestibus, ad Constantiam te fili carissime tempore promisso præuenimus, tuum aduentum nosti quantum & qualiter fuimus grato animo præstolati. Hæc fili carissime ex dilectione purissima tuæ personæ, hæc carissime fili ad tui honoris sublimationem duximus liberaliter peragenda. Cumque dilectio nullis valeat mercibus comparari, nullis aliis queat quam vicissitudinariæ dilectionis retributionibus recompensari, ad te tamquam vnicum post Deum spei nostræ refugium dirigimus desideria cordis nostri, ad te deuotissimas preces pro dilectione dilectionem requirentes effundimus, obsecrantes per viscera misericordiæ Iesu Christi, memor esto viri tui, in quo nobis spem dedisti: hæc nos consoletur in humilitate nostra, &c. Et si cum causa & sine causa iratus fueris, misericordiæ recorderis.*

Nomenque egregium clementiæ ne (quæſumus) in hoc caſu pati patiaris inſtantiam. Sed qui aliis offenſoribus atrociſſimis parcendo te liberalem præbere conſueueras, parcere quoque nobis & miſereri ne ſpernas. Ne (quæſumus) pietatis tuæ præclaro titulo notam crudelitatis inferri permittas. Potes itaque, ſi velis, & vt velis depoſcimus, erga ſacrum Concilium quod tua ſapientia tuaque potentia tamquam firmiſſimum fundamentum cum ſuffultis tuis interceſſionibus operari, vt tui contemplatione honoris, perſonam noſtram habeat recommendatam: & vnione eccleſiæ ſemper ſalua, honorem, famam & ſtatum noſtros, poſt dimiſſionem papatus, quam pridem obtulimus, atque dudum aliquoties in manibus tuis poſuimus, quantum poſsibile fuerit, ſaluare & cuſtodire dignetur, & alia ſalutem noſtram reſpicientia proſequatur magnifico cum effectu. Pro quibus apud diſtrictum iudicem inter alios miſericordiæ cultores, cum omnes gratia egeamus, & tu miſericordiam ac alia retributionum præmia vlterius conſequeris, & per vniuerſum orbem inter optimos imperatores huiuſmodi clementiæ glorioſo titulo mereberis computari. Super quibus dilectionis virtus te cogat nobis celere piumque remandare reſponſum. Datum Cellis Conſtantienſis diœceſis, Dominica vigeſimaſexta menſis Maii, pontificatus noſtri anno quinto. ANNO CHRISTI 1415.

Inſtrumentum ratificationis articulorum factum per Dominum Baltaſſarem olim papam Ioannem vigeſimumtertium in oppido Cellis.

In nomine Domini. Amen.

Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, quod anno a natiuitate eiuſdem milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, & die Lunæ vigeſimaſeptima menſis Maii, indictione octaua, circa horam Primarum in loco de Cellis Conſtantienſis diœceſis, in camera in qua dominus Ioannes papa vigeſimustertius ſtabat, per reuerendos dominos Ioannē Vaurenſem, Andream Poznanienſem, epiſcopos, Thomam ſanctæ Mariæ extra muros Eboracenſes, Gaſparem ſancti Joannis eremitæ de Peruſio, monaſteriorum abbates, per ſacrum Concilium Conſtantienſe ad infra ſcripta commiſſarios ſpecialiter deputatos, præſentibus infra ſcriptis reuerendis patribus Iacobo Rhodini de Ianua, & Thoma Polcon, ſedis apoſtolicæ protonotariis, & aliis notariis publicis, venerabilibuſque perſonis aliis inferius nominatis, teſtibus adhibitis, &c. In primis dicti reuerendi patres commiſſarii per organum dicti Vaurenſis

ANNO CHRISTI 1415. *episcopi domino Ioanni papæ supradicto alta & intelligibili voce proposuerunt verba quæ sequuntur: Pater sancte, reuerendi domini mei, domini commissarii & deputati hic præsentes, & ego una cum eis, sumus transmissi ac destinati ad vestram sanctitatem ex parte sacri Constantiensis Concilii, ad insinuandum primo, ostendendumque & realiter exhibendum vestræ sanctitati articulos formatos, & coram eodem sacro Concilio contra personam vestram productos, super criminibus nonnullis grauibus & enormibus, de & super quibus contra eamdem sanctitatem per dictum sacrum Concilium procedetur, ad interrogandum & requirendum eamdem, vt super eisdem articulis omnibus & singulis sufficienter haberetis respondere, eos confitendo, vel diffitendo, prout vobis videbitur. Ac etiam ad videndum & sciendum, si huic processui velitis vos opponere, seu aliqua pro vestra defensione in hac causa facere, dare vel allegare. Licet, pater sancte, & hæc non sint multum necessaria, attento consideratoque grato benignoque responso per sanctitatem vestram pridie in isto oppido coram reuerendis patribus dominis de Vrsinis, de Salancho, de Salutiis, Cameracensi, Florentinensi, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, patribusque reuerendis Tolonensi & Augustensi episcopis, nonnullisque aliis prælatis & viris notabilibus præsentibus & ad hoc vocatis. Quod quidem responsum in schedula manu sanctitatis vestræ subscripta, dicto sacro Concilio relatum, pleneque notificatum extitit. Eapropter dictos articulos quos sæpe dictus Vaurensis episcopus in suis tenebat manibus, eidem domino Ioanni papæ exhibuit, obtulit & tradere voluit. Eumque super eisdem interrogando requisiuit, vt coram omnibus & singulis sufficienter, vt superius exprimitur, responderet, diceretque ac declarare vellet, si dicto processui, eiusve parti se opponere, seu aliqua ad sui excusationem vel defensionem dare vellet, eos offerendo hæc omnia libenter se receptaturos. Quibus sic, vt præmittitur, exhibitis, interrogatis, requisitis, oblatis & propositis, idem dominus Ioannes papa dixit & verbo proposuit, ipsum pro Dei ecclesia & eius vnione plura fecisse, etiam antequam in papam fuisset assumptus, præsertim tempore errorum, & circa Concilium Pisanum, & ante huius sacri Concilii Constantiensis congregationem. In quo etiam liberam cessionem sui papatus obtulit, prout in schedula per eum in eodem Concilio in publica sessione tunc lecta & publicata, plenius continebatur. Subiungens tristi vultu, vt apparuit, quod a Constantia & dicto sacro Concilio post ipsius schedulæ cessionem turpiter recesserat, quod bene recog-*

ANNO CHRISTI 1415.

noſcebat, imo quod maluiſſet illa die ſine animæ ſuæ præiudicio mortuus eſſe, quam ita turpiter receſſiſſe. Eapropter idem dominus Ioannes papa ſucceſſiue reſpondit, quod ipſe contra ſuperius recitata nullam defenſionem facere volebat: imo prout per dictam ſchedulam ſua manu ſubſcriptam, quam pridie eius ex parte ab oppido quo ſupra cardinales ſuperius recitati ad Concilium portauerunt, continebatur, volebat, & præſentialiter ſtare promiſit, in omnibuſque ſe conformare omni ordinationi, deliberationi & determinationi dicti ſacri Concilii. Et inſuper omnimodum proceſſum per idem Concilium contra eumdem habitum ratificabat & ratum habebat, aſſerens quod non aliter voluit prædictis articulis reſpondere, affirmans Concilium Conſtantienſe ſanctiſſimum eſſe, errareque non poſſe, ac Piſani Concilii fore continuatiuum; & quod ipſe ſacro Conſtantienſi Concilio nunquam contradicere vellet, etiam ſi in Bononia, aut alio quouis loco ſibi magis accepto perſonaliter iam eſſet, cum id ſibi minus non eſſet, quam publice fateri ſe in papatu ius nullum habere. Inſuper, vt intelligeret idem papa Ioannes Concilium non minus iuſte, minuſve legitime contra eum in præmiſſis aut eorum aliquo proceſſiſſe, dicta teſtium ſuper criminibus in quibus proceſſum ſit & fuerit contra eum, productis, ſæpe dictus Vaurenſis epiſcopus aperuit, & ſibi copiam dare obtulit ad finem, quod ſi contra eoſdem eorumve dicta quidquam opponere, aut defenſionem aliquam ſuſcipere vellet, id facere atque libere vti deberet & poſſet. Quibus per eumdem Ioannem papam, & omnimoda defenſione huiuſmodi, præterquam vt hic ſubſequitur expreſſius, renuntiatis, pro Concilio prædicto ſe ſubmiſit; adiiciens: Volo quod Concilium ſit defenſio mea, quod ſcio errare non poſſe: nec alia defenſione quacumque vti volo: ſupplicans ſe humillime per commiſſarios prænominatos eidem Concilio ſinceriter recommendandum fore. Demumque ſucceſſiue poſt præmiſſa epiſcopus Vaurenſis prælibatus, ſuo & commiſſariorum prædictorum nomine aperto ore dixit: Pater ſancte, nos vltra præmiſſa in mandatis habemus, vobis aſſignare terminum ad ſententiam diffinitiuam per dictum ſacrum Concilium contra perſonam veſtram ſuper omnibus & ſingulis, in quibus iam contra eamdem proceſſerat, proferendam, & prout ipſius eſſe qualitas & natura requirunt. Ideo vobis terminum aſſignamus ad huiuſmodi ſententiam audiendam in Conſtantia, ad diem craſtinam hora ſeſſionis conſueta. Qui dictus Ioannes papa inibi, vt apparuit, comparere non curans, reſpondit: Summe mihi placet ſententia ipſa, quæ (ſupplico) quam cito lata ſit, mihi de-

ANNO CHRISTI 1415. *feratur, quam cum omni reuerentia, etiam cum birreti mei depositione recipiam: eamque, quantum in me fuerit, confirmabo, approbabo & emologabo, prout & dictum processum, ac omnia contra me (vt superius est expressum) in Concilio gesta, exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc ratifico, approbo & confirmo, promittoque contra eam me aliquo processu temporum non venire. Atque statim porrectis & realiter ad manus traditis per dominum Gasparem abbatem & commissarium superius nominatum, articulis & testium dictis omnium supradictis, supranominatoque protonotario domino Thoma Polcon, episcopus Vaurensis sæpe dictus, dicto Ioanne papa audiente, eumdem dominum Thomam & Iacobum Rhodini protonotarios superius expressos, aliosque publicos notarios hic inferius descriptos, ad præmissa & eorum occasione vocatos, instantius requisiuit, vt super præmissis omnibus & singulis, vt supra recitanter dictis, propositis, allegatis & responsis, assertis & gestis, vnum, duo vel plura conficerent publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Et quod in his testes essent vnusquisque eorum. Et reuerendi patres domini Vitalis Tolonensis, ac Fridericus Augustensis, episcopi, honorabilesque viri magistri Vuilhelmus Clynck in sacra pagina professor, Ioannes Fitton Saresbirienſis ecclesiæ canonicus, Petrus Gaiecanus canonicus Conseranensis, Henricus Surynck, Ioannes Nederboue, notarii publici Paderbornensis & Colonienſis diœcesum, & multi alii testes specialiter requisiti & rogati per episcopum Vaurensem supranominatum. Consequenterque sine mora dictus dominus Ioannes papa eosdem protonotarios & notarios cum instantia conformiter requisiuit, vt supra per eum præmittitur, dictis, responsis, promissis, habitisque & gestis testes sibi fierent, eaque sub eorum scriptis publicis facerent annotari, & quod tunc adstantes ceteri nonnulli hic superius expressi, & alii interessentes plurimi, testes itaque sibi fierent ad præmissa. Acta sunt hæc in dicto oppido Cellis, de quo supra, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, indictione octaua, pontificis eiusdem Ioannis papæ anno quinto.*

Quibus sic peractis, idem Andreas electus Poznanienſis quoddam decretum pro approbatione scripturarum & deputationis legebat & publicabat, cuius tenor sequitur & est talis.

Decretum deputationis notariorum.

Item constituit & deputat & ordinat dicta sancta Syno-

dus pro qualibet natione vnum protonotarium, videlicet pro natione Gallicana Ioannem de Trembleyo, pro natione Italica Iacobum Rhodini de Ianua, pro natione Germanica Hermannum de Duuerck, pro natione Anglicana Thomam Poltenſem. ANNO CHRISTI 1415.

Item notarios nationum, videlicet pro natione Gallicana Michaelem Bolſonis & Ioannem * Guiardi. Pro natione Italica Bartholomæum de * Gnoſtis & Ioannem Azel. Pro Germanica natione * Sumpertum Fabri, & Giſeleum Fonentem. Et pro natione Anglicana Guillermum Porezell. quibus dat auctoritatem & plenariam poteſtatem, omnia & ſingula in ſacro præſenti Conſtantienſi Concilio dictata, acta, actitata, promulgata, publicata, lecta, petita, & omnia alia quæcumque geſta & facta, & omnia quæcumque in poſterum dicenda, agenda, actitanda, promulganda, publicanda, legenda, petenda; & quæcumque alia in & pro dicto ſacro Concilio, & ad dictum ſacrum Concilium quomodolibet pertinentia, facienda & peragenda, in formam publicam redigendi & alias conſcribendi. Approbatque dicta ſancta Synodus omnia & ſingula per ipſos protonotarios & notarios in dicto ſacro Concilio, & ad ipſum ſacrum Concilium quomodolibet pertinentia, conſcripta: & tam in publicam formam, quam alias in ſcriptis ſeu actis quomodocumque redacta vſque nunc, ſub quibuſcumque verbis per dictum ſacrum Concilium fuerint ſtatuta, decreta, ordinata, pronuntiata & quomodolibet diffinita. Quo decreto lecto, fuit petitum per procuratorem, an placeret prout pronuntiatum extitit. Fuitque reſponſum per præſidentem ſeſſionis huiuſmodi, & etiam quatuor præſidentes quatuor nationum, & deinde per totius Synodi ſuppoſita, per verbum, Placet.

* Girardi, * Guaſtis * Gumpertum

SESSIO XII.

In qua commiſſarii ad Ioannem papam fecerunt relationem, & lata fuit ſententia diffinitiua contra ipſum.

DIE Mercurii vigeſimanona menſis Maii ſupradicti, fuit ſeſſio generalis in eccleſia maiori Conſtantienſi, in qua præſidebat reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis, præſente ſereniſſimo principe Sigiſmundo Romanorum rege in inſi-

ANNO CHRISTI 1415. insigniis regalibus, cum suis nobilibus in eisdem sibi seruientibus.

Cui astabant inter cardinales domini Angelus episcopus Prænestinus, Laudensis, & Iordanus episcopus Albanensis, de Vrsinis nuncupati. Præsentibus etiam dominis Francisco Venetiarum, Antonio Aquileiensi, Alamanno Pisano, Petro Cameracensi, Branda Placentino, Antonio de Chalanco, Francisco Florentino, Lucido de Comite, Odone de Columna, Landulpho Barensi, Ludouico de Flisco, Raynaldo de Branckasiis, Amadeo Salutiarum, diaconis cardinalibus.

Et fuit decantatum officium Missæ de Spiritu sancto per dominum patriarcham Antiochenum. Quo completo, dicebantur litaniæ, &c. vt moris est. Quibus peractis, fuit facta relatio a legatis & nuntiis missis ad Ioannem papam per organum domini Ioannis episcopi Vaurensis, quemadmodum * articulis & attestationibus contentis in processu sacri Constantiensis Concilii contra ipsum dominum Ioannem papam eidem exhibitis, offerendo ex parte Concilii ipsius, si quid vellet opponere, quod libere posset. Item intimato eidem termino ad proferendum sententiam, quod respondisset verbo, se pro Dei ecclesia & eius vnione plura fecisse, etiam antequam fuisset in papam assumptus, & ante dicti Concilii Constantiensis inchoationem, in quo etiam obtulit liberam papatus sui cessionem. Et quod turpiter ab inde recesserat, bene recognoscebat: maluisse tque illa die sine animæ

*for. ex

Post cuius quidem officii Missæ peractionem fuerunt lectæ & dictæ litaniæ cum introitu, Exaudi nos Domine, &c. more solito cum euangelio, Nunc iudicium est mundi, nunc princeps huius mundi eiicietur foras, *ceteriſque collectis ac orationibus & hymno, Veni creator Spiritus. Quibus habitis, instante magistro Henrico de Piro promotore & procuratore prædicto, reuerendi patres ac honorabiles & prouidi domini Ioannes episcopus Vaurensis, Andreas electus Poznanienſis, Gaspar abbas Perusinus, Thomas abbas monasterii sanctæ Mariæ extra muros Eboraci, Iacobus Rhodini de Ianua, Thomas Polcon sedis apostolicæ protonotarius, magister Ioannes Guiardi & Vuilhelmus Porcell notarii, legati & nuntii missi heri per sacram Synodum, & ad terram Cellis, vbi Ioannes papa XXIII. existebat, per os*

Ioan. 11.

ſuæ præiudicio mortuus eſſe, quam ita turpiter receſſiſſe: quodque contra proceſſum ſacri Concilii nullam defenſionem facere volebat, ſed prout per ſchedulam ſua manu ſubſcriptam, datam cardinalibus qui ad eum venerant, continebatur, vouebat & præſentialiter promittebat ſtare, ac ſe in omnibus conformare omni ordinationi, declarationi & determinationi dicti ſacri Concilii; ac inſuper omnimodum proceſſum per idem Concilium contra eumdem habitum ratificabat, aſſerens quod non aliter voluit prædictis articulis reſpondere, affirmans Concilium Conſtantienſe ſanctiſſimum eſſe, errareque non poſſe, ac Concilii Piſani continuatiuum: & quod ipſi ſacro Conſtantienſi Concilio nunquam contradicere vellet, etiam ſi in Bononia, aut alias quouis loco ſibi magis accepto perſonaliter iam eſſet, cum id ſibi minus non eſſet, quam publice fateri ſe in papatu nullum ius habere. De ſententia autem ferenda, quod ſumme ſibi placeret, vt quam cito lata foret, eidem referretur, quam omni reuerentia, etiam cum bireti ſui depoſitione

domini Joannis epiſcopi Vauenſis prædicti, ſibique ex parte ipſius Synodi intimarunt, qualiter terminus ad ferendum ſententiam fuiſſet prorogatus in diem præſentem propter beneuolam reſponſionem de non appellando, ſed eam acceptando, & eam approbare velle: & ex hoc mota dicta ſancta Synodus ſiue Concilium, attendendo honorem eius in huiuſmodi pronuntiatione, vellent limitare & mitigare verba ſententiæ. Eo non obſtante, ſi vellet opponere & defendere cauſam ſuam contra dictam ſententiam, poſſet & deberet ſibi dari tempus & hora atque locus pro ſua defenſione. Qui Ioannes papa ipſis nuntiis reſpondebat, quod non vellet videre neque atteſtationes, neque proceſſus, nec quidquam opponere ſiue excipere, ſed eam approbare velle & acceptare. Et extunc acceptauit, approbauit, & placuit, quod Concilium ferret ſententiam, dicens quod ſciret Concilium errare non poſſe: & lata huiuſmodi ſententia obtulit ſe paratum ad ſubſcribendum eamdem. Et vlterius dixerunt, quod dicta ſententia deberet ferri die Lunæ proxima. Sed ex quo materia pro tunc non erat parata, idcirco de mandato Concilii intimarunt ſibi dictam prorogationem: de quibus reddidit ſe idem Ioannes contentum, regratiando ipſis nuntiis,

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415.

reciperet, & eam, quantum in se foret, confirmaret, ratificaret, approbaret & emologaret, prout dictum processum, ac omnia contra ipsum in Concilio gesta, extunc ratificabat, approbabat & confirmabat, promittebatque contra ea se aliquo processu temporis non venire. Prædicta relatione completa, reuerendus pater dominus episcopus Atrebatensis legebat sententiam diffinitiuam contra Ioannem papam XXIII. ac constitutiones quasdam, quarum tenores sequuntur hoc modo.

supplicans vt recommendarent honorem & statum ac personam suam domino regi Romanorum & Concilio, prout in quodam publico instrumento in notam recepto per dictos notarios, tenoris infra scripti, plenius continetur.

Qua relatione facta, idem Henricus de Piro promotor & procurator petiit pronuntiari, prout & quemadmodum in quadam papyri schedula, quam ibidem in suis tenebat manibus, eamque de verbo ad verbum perlegebat, protestans, petens & dicens, vt in eadem schedula infra scripti tenoris plenius continetur. Petitione lecta & data notariis ibidem nomine Concilii præsentibus, & deinde toto Concilio & Synodo mandante, reuerendi patres domini Ioannes patriarcha Antiochenus, Martinus episcopus Atrebatensis, Antonius episcopus Concordiensis, Nicolaus episcopus Mersburgensis, & Patricius episcopus Cortagensis, ascenderunt ambonem, in quo edicta Concilii & Synodi sanctæ prædictæ legi & publicari solent. Et de mandato Concilii & ipsius Synodi reuerendissimus pater dominus episcopus Atrebatensis, Christi nomine inuocato, &c. pronuntiauit, & legebat dictam sententiam diffinitiuam de verbo ad verbum, prout in schedula, quam suis tenebat manibus, infra scripti tenoris, plenius continetur. Qua pronuntiatione facta, vt præmittitur, reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis & præsidens proposuit, quod si aliquis esset ibidem præsens, siue magnus, siue paruus, pauper aut diues, volens contradicere dictæ sententiæ diffinitiuæ, seu eius pronuntiationi, dicat & surgat, cum potestas libera sit per dictum Concilium vnicuique concessa ad dicendam voluntatem suam. Et in casu quo non dixerit, habebitur pro consentiente. Tunc nemine respondente siue loquente, ipse dominus episcopus Ostiensis habuit respondere nomine collegii cardinalium, quod placet. Deinde ipsi commissarii in ambone, & inde quilibet pro

*natione ſua, videlicet Ioannes patriarcha pro natione Gallicana, Nicolaus Mersburgenſis pro natione Germanica, Antonius Concordienſis pro natione Italica, & Patricius Cortagenſis pro natione Anglicana, reſponderunt, Placet. Et ſubſequenter omnes ibidem exiſtentes in Concilio & de Concilio reſponderunt, Placet. Subſequenter dominus Franciſcus cardinalis Florentinus leuauit ſe, & voluit legere vnam ſchedulam papyream: fuitque dictum per omnes, quod non placeret: & ſic ſiluit, nihil legendo. Deinde de mandato Concilii dominus Ioannes archiepiſcopus Rigenſis bullam papæ portauit, & præſentauit eam Concilio tamquam eius cuſtos. Qua præſentata, fuit per magiſtrum Henricum de Piro promotorem petitum, an placeret, quod dominus vicecancellarius, tamquam ad eum pertinens, rumpi faceret * arma Baltaſſaris. fuit reſponſum quod ita, & placuit omnibus. Qua bulla recepta, ſiue ferro quo bulla fabricabatur, & ibidem in præſentia omnium per magiſtrum Arnoldum aurifabrum prædicta bulla fuit rupta, & arma ipſius Ioannis deleta. Et abſolutus dominus Ioannes archiepiſcopus Rigenſis ab eius cuſtodia, & pronuntiatus, quod fideliter cuſtodiuiſſet & præſentaſſet. Super quibus omnibus & ſingulis idem magiſter Henricus de Piro promotor petiit ſibi fieri nomine quo ſupra, & dictus dominus archiepiſcopus per ſe, vnum vel plura, publicum ſeu publica, inſtrumentum ſeu inſtrumenta, per protonotarios ibidem præſentes, notarios & tabelliones, &c. Præſentibus ibidem illuſtribus principibus, duce Ludouico Bauariæ, comite Palatino Rheni, Henrico Rompolt duce Zodanenſi de Sileſia, Ioanne Iacobo comite Aquæſanenſi filio marchionis Montiſferrati, comite Bertholdo de Vrſinis, Philippo comite de Naſſabo, & ambaſiatoribus regum Poloniæ, Norwegiæ, Sueciæ, Daciæ, Nauarræ & Cypri, & aliis Chriſti fidelibus in numero copioſo.* Anno Christi 1415.

* nomen

Suſpenſio futuri ſummi pontificis.

Sacroſancta generalis, &c.

Quod non procedatur ad electionem papæ, ſi contingat ſedem vacare, ſine expreſſo conſenſu Concilii.

Sacroſancta generalis Conſtantienſis Synodus eccleſiam catholicam repræſentans, ad extirpationem præſentis ſchiſmatis & errorum, eccleſiæque reformationem in capite & in membris faciendam, in Spiritu ſancto legitime congregata, ad facilius & liberius & vtilius vnionem eccleſiæ conſequendam, pronuntiat, decernit, ſtatuit & ordi-

ANNO CHRISTI 1415. nat, vt si contingat sedem apostolicam quouis modo vacare, in prima illius vacatione ad electionem futuri summi pontificis nullo modo procedatur sine deliberatione & consensu huius sacri generalis Concilii Constantiensis. Et si contrarium fieret, sit ipso facto irritum & inane auctoritate dicti sacri Concilii. Nullusque electum contra hoc decretum in papam recipiat, nec illi, vt papæ, quomodolibet adhæreat vel obediat sub pœna fautoriæ dicti schismatis & maledictionis æternæ: punianturque hoc casu eligentes & electus, si consentiat, ac illi adhærentes, pœnis per hoc sacrum Concilium ordinandis. Suspenditque dicta sancta Synodus pro bono vnionis ecclesiæ, omnia iura positiua, etiam in Conciliis generalibus edita, & ipsorum statuta, ordinationes, constitutiones & consuetudines, priuilegia quibuscumque concessa, & pœnas contra quoscumque editas, inquantum effectum dicti decreti impedire possent quoquo modo.

Sententia diffinitiua contra Ioannem papam vigesimumtertium.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam repræsentans, inuocato Christi nomine, solum Deum præ oculis habens, visis articulis in hac causa contra dominum Ioannem papam XXIII. formatis & oblatis, ac probationibus eorumdem factis, eiusdem submissione spontanea, vna cum toto processu huius causæ, habita matura deliberatione super eisdem, per hanc sententiam diffinitiuam, quam fert in his scriptis, pronuntiat, decernit & declarat, recessum per præfatum dominum Ioannem papam XXIII. ab hac ciuitate Constantiensi, & dicto sacro Constantiensi Concilio generali, clandestine & de nocte, hora suspecta, in habitu dissimulato & indecenti factum, fuisse & esse illicitum, ecclesiæ Dei & dicto Concilio notorie scandalosum, pacis & vnionis ipsius ecclesiæ turbatiuum & impeditiuum, schismatis inueterati nutritiuum, a voto, promissione & iuramento per ipsum dominum Ioannem papam Deo & ecclesiæ & huic sacro Concilio præstitis deuiatiuum; ipsumque dominum Ioannem simoniacum notorium, bonorumque & iurium nedum Roma-

næ, sed aliarum ecclesiarum plurium, & aliorum locorum piorum dilapidatorem notorium, malumque spiritualium & temporalium ecclesiæ administratorem & dispensatorem fuisse & esse, suis detestabilibus, inhonestis vita & moribus ecclesiam Dei & populum Christianum notorie scandalizantem ante eius assumptionem ad papatum, & post vsque ad ista tempora: ipsumque per præmissa ecclesiam Dei & populum Christianorum notorie scandalizasse & scandalizare, postque monitiones debitas & caritatiuas iteratis & crebris vicibus eidem factas, in præmissis malis & arrogantia pertinaciter perseueraſſe, seque ex hoc notorie incorrigibilem reddidisse, ipsumque propter præmissa & alia crimina in processu dictæ causæ contra eum deducta & contenta, tamquam indignum & inutilem & damnosum a papatu & omni eius administratione spirituali & temporali amouendum, priuandum & deponendum fore. Et cum hoc dicta sancta Synodus amouet, priuat & deponit, vniuersos & singulos Christicolas, cuiuscumque status, dignitatis vel conditionis existant, ab eius obedientia & fidelitate & iuramento absolutos declarando. Inhibendo insuper vniuersis Christi fidelibus, ne eumdem (vt præmittitur) a papatu sic depositum, de cetero in papam nominent, aut illi tamquam papæ adhæreant, seu quoquo modo obediant. Et nihilo minus ex certa scientia & de plenitudine potestatis supplet dicta sancta Synodus omnes & singulos defectus, si qui forsan in præmissis, aut aliquo præmissorum interuenerunt; eumque ad standum & morandum in aliquo bono loco & honesto, sub custodia tuta sereniſſimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ, &c. regis, & vniuersalis ecclesiæ aduocati & defensoris deuotiſſimi nomine dicti sacri generalis Concilii, quamdiu dicto sacro Concilio generali pro bono vnionis ecclesiæ Dei videbitur condemnandum fore, & eadem sententia condemnat. Alias vero pœnas, quæ pro dictis criminibus & excessibus inferri deberent iuxta canonicas sanctiones, dictum Concilium arbitrio suo reseruat declarandas & infligendas, secundum quod rigor iustitiæ vel misericordiæ ratio suadebit.

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415.

Quod neuter contendentium reeligatur in papam.

Item ſtatuit, decernit & ordinat dicta ſancta Synodus pro bono vnionis eccleſiæ Dei, quod nullo vnquam tempore reeligatur in papam dominus Baltaſſar Coſſa nuper Ioannes papa vigeſimustertius, nec Angelus de Corario Gregorius duodecimus, nec Petrus de Luna Benedictus decimus tertius, in ſuis obedientiis ſic nominati. Et ſi contrarium fieret, id ſit ipſo facto irritum & inane. Nulluſque cuiuſcumque dignitatis vel præeminentiæ, etiamſi imperiali, regali, cardinalatus, vel pontificali dignitate præfulgeat, eis vel eorum alteri contra hoc decretum vllo vnquam tempore obediat, ſeu adhæreat, ſub pœna fautoriæ dicti ſchiſmatis & maledictionis æternæ: ad quas contra præſumptores, ſi qui in poſterum fuerint, etiam cum inuocatione auxilii brachii ſæcularis, & alias rigide procedatur. Datum Conſtantiæ prouinciæ Moguntinenſis, in ſeſſione publica in maiori eccleſia ſolenniter celebrata, die Mercurii vigeſimanona menſis Maii, anno Domini 1415. indictione 8.

Pro iudicibus, quod vocentur prælati abſentes.

Item decernit dicta ſancta Synodus, quod quatuor generales iudices deputati debeant vocare prælatos abſentes ad Synodum, & punire non venientes, prout eis de iure & ſecundum Deum videbitur expedire. Datum, &c.

Inſtrumentum ratificationis ſententiæ factæ per dominum Baltaſſarem olim papam, in villa de Cellis Conſtantienſis diœceſis.

In nomine Domini. Amen.

Per hoc præſens publicum inſtrumentum cunctis pateat euidenter, quod anno a natiuitate eiuſdem 1415. *die Veneris vltima menſis Maii, indictione octaua, circa horam duodecimam in loco de Cellis Conſtantienſis diœceſis, in domo habitationis reuerendiſſimi in Chriſto patris & domini, domini Baltaſſaris Coſſæ nuper Ioannis papæ vigeſimitertii nuncupati, in camera ipſius Baltaſſaris, præſentibus infra ſcriptis reuerendis patribus, dominis Iacobo Rhodini de Ianua, & Thoma Polcon de Anglia, ſedis*

apostolicæ protonotariis, aliisque notariis publicis & etiam infrascriptis testibus ad inferius recitata vocatis & rogatis, reuerendi in Christo patres domini Ioannes Vaurensis episcopus, Gaspar sancti Ioannis eremitæ de Perusio, decretorum doctores, & Thomas sanctæ Mariæ extra muros Eboracenses, monasteriorum abbates personaliter existentes in præsentia dicti domini Baltassaris pridie Joannis papæ vigesimitertii nuncupati, per organum dicti domini Vaurensis episcopi, ex parte sacri generalis Constantiensis Concilii sibi significabant & intimabant diffinitiuam sententiam depositionis a papatu contra eum die Mercurii vltimo præterito, scilicet vigesimonono præsentis mensis Maii, per dictum generale Concilium in sessione publica latam & publicatam fuisse: quam quidem sententiam ibidem sibi in scriptis exhibuerunt, & realiter tradiderunt ad finem, quod ea plenius intellecta, diceret declararetque, an eidem sententiæ, eam approbando, acquiescere, seu eidem se in aliquo opponere, vel contradicere vellet. Qui quidem dominus Baltassar ipsam sententiam sibi traditam per seipsum ad partem legit. Et deinde ad respondendum eisdem prælatis super præmissis per eos propositis, spatium & temporis interuallum habere voluit, vt super eadem sententia & petitis deliberaret. Qui quidem prælati de hoc contenti, dixerunt eos habita deliberatione huiusmodi ad suum beneplacitum, ad ipsum redire velle, suam responsionem in præmissis audituri. Et sic ab eius præsentia pro tunc recesserunt. Et deinde eadem die & circa horam secundam post meridiem, iidem domini prælati ex parte dicti domini Baltassaris, & ad eius præsentiam pro audienda responsione in præmissis vocati, ad eum personaliter accesserunt. Quibus cum supradictis protonotariis, notariis & testibus in eius præsentia constitutis, respondendo dixit, quod super dicta sententia per eum visa, lecta, bene concepta, ac plenius intellecta deliberauerat, & ideo quantum poterat, & in eo erat, eamdem sententiam, cuius tenor est talis: In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. &c. vt supra, prout per dictum sacrum Concilium lata, & ab ipso Concilio processerat & dictata erat, ex sua certa scientia approbabat, ratificabat & emologabat, ac eidem processui contra eum ad eius depositionem per Concilium factam, acquiescebat & consentiebat. Apponendoque manus ad pectus eius, assertione libera affirmabat, iurans corporaliter suo proprio motu, quod nunquam contra eamdem sententiam contra ipsum sic, vt præmittitur, latam quidquam opponere, nec contra eam reclamare publice vel occulte, aut

Anno Christi 1415.

ab

ANNO CHRISTI 1415.

ab ea appellare vellet, seu super papatu* quandocumque controuersiam opponere; nec aliquo vnquam tempore de eodem papatu se quouis modo intromitteret, imo eidem papatui & iuri, si quod in eodem sibi qualitercumque competierat, seu si quod sibi nunc in eodem competebat, pure, simpliciter & absolute, libereque & sponte cedebat & renuntiabat. Et ibidem omni modo, via & forma, quibus melius potuit, resignauit, cessit & renuntiauit expresse: & in huius signũ iam de camera sua crucem papalem amoueri fecerat, ac vestes mutatorias habuisset, omnia & singula insignia papalia, sicut disposuerat dicta die Mercurii, qua dicta sententia fuit lata, tunc coram prælatis prædictis deposuisset. Dixitque quod nullo vnquam tempore se pro papa gereret seu nominaret, aut nominari faceret: voluisset quod ad ipsum papatum nunquam fuisset assumptus, quia exposi nunquam habuit bonum diem. Et si contingeret casus, quod in futurum reeligeretur, nunquam suum præberet assensum: adiiciens tamen, quod si aliqua persona singularis post iam facta præmissa, in sui personam quidquam criminis vlterius obiicere vellet, ad vlteriorem processum contra eum habendum, seu grauiorem pœnam in ipsum infligendam, quod in hoc seipsum defendere vellet sub dicti Concilii generalis protectione, quod pro suo iudice & defensore recepit. Supplicans humiliter, quod in hoc & in aliis Concilium sacrum & regia serenitas ipsum haberent specialiter recommissum; volens & requirens idem dominus Baltassar, quod de omnibus his & singulis præmissis fierent & retinerentur publica instrumenta pro bono vnionis ecclesiæ sanctæ Dei, ad perpetuam rei memoriam, per dominos protonotarios sanctæ sedis apostolicæ, & alios notarios publicos ibidem præsentes: quod ad hoc vicibus repetitis instantius requisiuit. Quibus sic per eumdem dominum Baltassarem & prælatos supra nominatos dictis, propositis, factis, gestis, habitis & responsis, iidem domini prælati per organum dicti Vaurensis episcopi petierunt & requisierunt confici, & perpetuo retineri publicum & publica, instrumentum & instrumenta, per dictos protonotarios & notarios publicos infrascriptos. Acta fuerunt hæc anno, die, mense, indictione, loco & hora quibus supra, præsentibus reuerendis in Christo patribus, dominis Vitale Tolonensi & Friderico Augustensi episcopis, ac venerabilibus religiosis & circumspectis viris dominis & fratribus, Eymerico de Arciis licentiato in decretis, priore prioratus sanctæ Benignæ Augustensis, Pantio Gaudæ baccalaureo in theologia, ordinis fratrum Minorum, Begone de Rogerio in decretis licentiato, Sistari-

* al. quãcumque

censis & Rigensis ecclesiarum canonico officiali Vticensi, Petro Gaietano literarum pœnitentiariæ scriptore, canonico Conseranensi; Ioanne Gonsalui baccalaureo in decretis, archipresbytero ecclesiæ Astensis; Henrico de Grauia notario publico, clerico Leodiensis diœcesis, testibus, &c. ANNO CHRISTI 1415.

Quibus sic (vt præmittitur) lectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis præsidens proposuit, quod si aliquis esset ibidem præsens, dictæ sententiæ diffinitiuæ contradicere volens, seu eius pronuntiationi, surgeret & diceret: & in casu quo non dixerit, habebitur talis pro consentiente. Tunc nemine respondente, siue loquente, ipse dominus Ostiensis habuit respondere nomine collegii cardinalium, quod placet. Deinde ipsi commissarii in ambone, quilibet pro natione sua, videlicet Ioannes patriarcha Antiochenus pro natione Gallicana, Nicolaus Mersburgensis pro natione Germanica, Antonius episcopus Concordiensis pro natione Italica, & Patricius Cortagensis pro natione Anglicana, Placet, responderunt.

SESSIO XIII.

DIE Sabbati quintadecima mensis Iunii, anno a natiuitate Domini 1415. indictione octaua, fuit sessio generalis in ecclesia maiori Constantiensi, in qua fuit cantatum officium Missæ de beata virgine Maria per reuerendum patrem dominum Ioannem episcopum Lutomussensem.

Quo completo, legebantur litaniæ, &c. more aliarum sessionum, præsente ibidem sereniſſimo principe Sigismundo Romanorũ & Hungariæ, &c. rege. Præsidebat in eadem sessione reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis. Ex deputatione vero ipsius Synodi archiepiscopus Mediolanensis legebat quasdam ordinationes & decre-

Et deinde officio Missæ celebrato, fuerunt lectæ litaniæ cum introitu: Exaudi nos Domine: cum diuersis collectis, euangelio, hymno, Veni creator Spiritus, iuxta consuetudinem & ritum aliarũ sessionum: præsente ibidem sereniſſimo principe Sigismundo Romanorum & Hungariæ &c. rege. Cui adstabant reuerendiſſimi patres domini cardinales de Vrsinis & Laudensis. Cui sessioni, siue Synodo, inter cardinales & eorum nomine reueren-

ANNO CHRISTI 1415. ta de cetero in Romana ecclesia tenenda & obseruãda, quorum tenores inferius sequuntur in hunc modum: *dissimus in Christo pater & dominus Ioannes Ostiensis cardinalis Viuariensis præsidebat, in præsentia dominorum Franciſci Venetiarum, Antonii Aquileiensis, Brandæ Placentinensis, presbyterorum; Thomæ Tricaricensis, Odonis de Columna, Landulphi Barensis, Raynaldi de Branckasiis, & Franciſci Florentini, diaconorum cardinalium. Quo officio Missæ & litaniarum cantato, lecto atque dicto, Henricus de Piro & Ioannes de Scribanis promotores & procuratores negotiorum dictæ Synodi, comparuerunt ibidem, & proposuerunt coram tota Synodo, dicentes quod in diuersis mundi partibus incepissent pullulare certæ hæreses, & antiquatæ continuari; & præsertim quod sacerdotes aliqui hodie communicarent Corpus Christi post cœnam, & non ieiuni, & sic ministrarent alii. & alias dixerunt, prout & quemadmodum in quadam petitionum papyri schedula infra scripti tenoris continetur: petentesque sibi super præmissis prouideri, nominibus quibus supra, de remedio opportuno. Qua petitione oblata & recitata, placuit domino præsidenti, omnibusque aliis & singulis suppositis huiusmodi Synodi, super hoc remediari. Et statim reuerendi patres & venerabiles viri domini, Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, Stephanus episcopus Dolensis, Antonius episcopus Concordiensis, Andreas electus Poznanensis, Nicolaus episcopus Mersburgensis, & Patricius episcopus Cortagensis decretorum doctor, ascenderunt ambonem nomine nationum quatuor: & dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis ad hoc per Synodum deputatus, legebat quasdam ordinationes & decreta de cetero in ecclesia Romana obseruandas & tenendas, quarum tenores inferius sequuntur.*

Tenores vero dictæ petitionis & declarationis papyri schedularum, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

Quia in nonnullis partibus mundi peruersus mos pullulare incepit, vt sacerdotes laicos sub vtraque specie, panis videlicet & vini, communicare non cessent, contra Romanæ & vniuersalis ecclesiæ consuetudinem approbatam, vnde scandala & hæreses verisimiliter oriri suspicantur: petimus nos promotores & procuratores huius sanctæ Synodi, in Spiritu sancto legitime congregatæ, per vestras reuerendissimas paternitates prouideri salubriter ecclesiæ Dei.

In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. ANNO CHRISTI 1415.

Cum in nonnullis mundi partibus quidam temerarie aſſerere præſumant, populum Chriſtianũ debere ſacrum euchariſtiæ ſacramentum ſub vtraque panis & vini ſpecie ſuſcipere, & non ſolum ſub ſpecie panis, ſed etiam ſub ſpecie vini populum laicum paſſim cõmunicent, etiam poſt cœnam, vel alias non ieiunum, & communicandum eſſe pertinaciter aſſerant, contra laudabilem eccleſiæ conſuetudinem rationabiliter approbatã, quam tamquam ſacrilegam damnabiliter reprobare conantur: hinc eſt, quod hoc præſens Concilium ſacrum generale Conſtantienſe, in Spiritu ſancto legitime congregatum, aduerſus hunc errorem ſaluti fidelium prouidere ſatagens, matura plurium doctorum tam diuini quam humani iuris deliberatione præhabita, declarat, decernit & diffinit, quod licet Chriſtus poſt cœnam inſtituerit, & ſuis diſcipulis adminiſtrauerit ſub vtraque ſpecie panis & vini hoc venerabile ſacramentũ, tamen hoc non obſtante, ſacrorum Canonum auctoritas laudabilis, & approbata conſuetudo eccleſiæ ſeruauit & ſeruat, quod huiuſmodi ſacramentum non debet confici poſt cœnam, neque a fidelibus recipi non ieiunis, niſi in caſu infirmitatis, aut alterius neceſſitatis, a iure vel eccleſia conceſſo, vel admiſſo.* Et ſicut hæc conſuetudo ad euitandum aliqua pericula & ſcandala eſt rationabiliter introducta, quod licet in primitiua eccleſia huiuſmodi ſacramentũ reciperetur a fidelibus ſub vtraque ſpecie, poſtea a conficientibus ſub vtraque, & a laicis tantummodo ſub ſpecie panis ſuſcipiatur; cum firmiſſime credendum ſit, & nullatenus dubitandum, integrum Chriſti corpus & ſanguinem tam ſub ſpecie panis, quam ſub ſpecie vini veraciter contineri. Vnde cum huiuſmodi conſuetudo ab eccleſia & ſanctis patribus rationabiliter introducta, & diutiſſime obſeruata ſit, habenda eſt pro lege, quam non licet reprobare, aut ſine eccleſiæ auctoritate pro libito mutare. Quapropter dicere, quod hanc conſuetudinem aut legem obſeruare, ſit ſacrilegum aut illicitũ, cenſeri debet erroneum: & pertinaciter aſſerentes oppoſitum præmiſſorum, tamquam hæretici arcendi ſunt & grauiter puniendi per diœceſanos locorũ, ſeu officiales eorum, aut inquiſitores hæreticæ prauitatis in re-

Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22.

Hunc locum alii ſic legũt. * Et ſimiliter, quod licet in primitiua eccleſia huiuſmodi ſacramẽtum reciperetur a fidelibus ſub vtraque ſpecie, tamen hæc conſuetudo ad euitandum aliqua pericula & ſcãdala eſt rationabiliter introducta, quod a cõficientibus ſub vtraque ſpecie, & a laicis tantummodo, &c.

Anno Christi 1415. gnis seu prouinciis, in quibus contra hoc decretum aliquid fuerit forsan attentatum aut præsumptum, iuxta canonicas & legitimas sanctiones, in fauorem catholicæ fidei, contra hæreticos & eorum fautores, salubriter adinuentas.

Quod nullus presbyter sub pœna excommunicationis communicet populum sub vtraque specie panis & vini.

Item ipsa sancta Synodus decernit & declarat super ista materia, reuerendissimis in Christo patribus & dominis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis, & eorum in spiritualibus vicariis vbilibet constitutis, processus esse dirigendos, in quibus eis committatur & mandetur auctoritate huius sacri Concilii sub pœna excommunicationis, vt effectualiter puniant eos contra hoc decretum excedentes, qui communicando populum sub vtraque specie panis & vini exhortati fuerint, & sic faciendum esse docuerint: & si ad pœnitentiam redierint, ad gremium ecclesiæ suscipiantur, iniuncta eis pro modo culpæ pœnitentia salutari. Qui vero ex illis ad pœnitentiam redire non curauerint animo indurato, per censuras ecclesiasticas per eos vt hæretici sunt coercendi, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis.

Quibus lectis, magister Ioannes de Scribanis & magister Henricus de Piro promotores petierunt responderi per dominos imperatorem, cardinales & ceteros prælatos, an placeret. Præsidens autem dominus Ostiensis respondit nomine collegii cardinalium, Placet. Similiter rex Romanorum. Sic successiue reuerendissimi patres domini episcopi, Antonius Concordiensis pro Italica, Stephanus Dolensis pro Gallicana, Nicolaus Mersburgensis pro Germanica, & Patricius Cortagensis pro Anglicana, in ambone existentes, responderunt, Placet.

Quibus factis, promotores & procuratores prædicti, Henrico de Piro loquente, petierunt nomine quo supra, deputari per dictam sanctam Synodum certos commissarios, in causa hæresis ventilata seu ventilanda, & ad Concilium ad præsens deuoluta vel deuoluenda, orta vel oritura, prout & quemadmodum in quadam petitionum papyri schedula, cuius tenor inferius est insertus, plenius continetur. Qua petitione data & intellecta, iuxta mandatum ipsius Synodi reuerendus pater dominus Andreas electus Poznaniensis in ambone legebat schedulam deputationis dictorum commissario-

rum cum eorum auctoritate & poteſtate, quæ inferius eſt inſerta. ANNO CHRISTI 1415.

Qua lecta fuit quæſitum & ſcrutatum per dictos promotores & procuratores, per ipſius Henrici de Piro organum, an dicti iudices placerent. Reſponſum fuit per dictum dominum præſidentem nomine collegii cardinalium & ſuo, Placet.

Et ſubſequenter per dominos Antonium Concordienſem, Dolenſem, Merſburgenſem, epiſcopos, & Cortagenſem, prædictos, nomine nationum ſuarum prædictarum, Placet: & ſimiliter per omnes alios, præterquam per reuerendum patrem dominum Martinum epiſcopum Atrebatenſem, ambaſiatorem ducis Burgundiæ, qui dixit, domino ſuo fore ſuſpectum reuerendiſſimum patrem dominum Petrum cardinalem Cameracenſem multis de cauſis, quas ſuo loco & tempore congruo dare vellet in ſcriptis, nullo modo conſentiendo in dictum dominum cardinalem tamquam commiſſarium, ſaltem in cauſa quæ ſperatur verti inter dominum ſuum ducem Burgundiæ & Pariſienſes, &c. Super qua proteſtatione ſibi fieri fecit & petiit vnum vel plura, publicum ſeu publica, inſtrumentum ſeu inſtrumenta.

Qua proteſtatione facta & admiſſa, promotores & procuratores prædicti petierunt ſibi nomine quo ſupra, ſuper omnibus & ſingulis cantatis, dictis, lectis, diffinitis & declaratis fieri vnum vel plura, & tot quot eſſent neceſſaria, publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta, per dominos protonotarios ſedis apoſtolicæ, dictæque Synodi, ac omnes & ſingulos notarios & tabelliones ibidem præſentes, ad perpetuam rei memoriam. Præſentibus ibidem illuſtribus & nobilibus viris, Ludouico duce Bauariæ & comite Palatino Rheni, Friderico Burgrauio Nurembergenſi, comite Bertholdo de Vrſinis, Philippo Span de Hungaria pincerna Syndou, aliiſque nobilibus in numero copioſo.

Tenores dictæ petitionis & commiſſariorum deputationis papyri ſchedularum, de quibus ſupra fit mentio, ſequuntur, & ſunt tales.

Item cum experientia doceat, continuo propter ſciſſuram eccleſiæ nouas oriri hæreſes, & aliquas antiquas renouari, difficileque ſit pro ſingulis huiuſmodi cauſis primitiuarum perſonarum de hæreſi ſuſpectarum ad hoc ſacrum concurrere generale Concilium, pro celeriori hæreſum extirpatione, petimus nos promotores & procuratores ſupradicti, aliquos ex reuerendiſſimis patribus dominis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, & aliquos alios ex ſingulis natio-

Anno Christi 1415. *nibus iudices & commissarios per vestras reuerendissimas paternitates delegari & deputari ad huiusmodi causas hæresum audiendum & terminandum, saltem vsque ad conclusionem vel sententiam exclusiue, cum omnibus & singulis emergentibus, incidentibus, dependentibus & connexis.*

Hæc sancta Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam repræsentans, pro celeriori extirpatione hæresum & ecclesiæ reformatione sacrosanctæ, specialiter deputat & eligit reuerendissimos in Christo patres dominos, videlicet, Iordanum de Vrsinis, Antonium Aquileiensem, Petrum Cameracensem, & Franciscum Florentinum, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales. Et pro Italica natione reuerendos patres dominos Concordiensem, Alexandrinum & Laudensem episcopos, & electum Pennensem: pro Gallicana episcopum Gebennensem, abbatem Gemeticensem, abbatem de Clarauilla, & magistrum Vrsinum de Callauando: pro Anglicana magistrum Vuilhelmum Corff sacræ theologiæ professorem, magistrum Vuilhelmum Clinc, magistrum Hugonem Houuetz, & Ioannem Vueues decretorum doctorem. Pro natione Germanica electum Poznaniensem, magistrum Nicolaum Dinckelspuel, Theodoricum de Monasterio sacræ theologiæ professorem, & Bertholdum Vuildungen sacri palatii apostolici causarum auditorem, ad audiendum & examinandum causas, & in ipsis iuridice procedendum, quarumcumque hæresum & errorum in fide catholica & moribus, vndecumque habuerint vel habeant originem, & salubriter extirpentur; & contra quascumque personas, cuiuscumque fuerint status aut dignitatis, etiamsi pontificali, vel alia quauis ecclesiastica vel sæculari præfulgeant dignitate; de eisdem suspectas petitiones, accusationes & declarationes eisdem propositas & proponendas recipiendum, partes vocandum, & in hoc sacro Concilio & extra citandum & publicandum, & alias seruatis seruandis procedendum, prout exigentia fidei & iuris ordo postulabunt. Nec non omnia & singula faciendum & exercendum, quæ in præmissis & circa ea necessaria fuerint, seu etiam quomodolibet opportuna, cum omnibus incidentibus, emergentibus & connexis, vsque ad ipsarum causarum conclusionem exclusiue. Sic tamen, quod si omnes interesse non possint aut non velint, duæ partes ipsorum prædicta libere exequantur.

In causa vero hæresis contra Ioannem Hus iam diu ventilata, quæ circa conclusionem existit, per iudices deputatos hucusque in ea vlterius cognoscatur & procedatur per eosdem.

SESSIO XIV.

ANNO CHRISTI 1415.

In qua Carolus de Malateſtis renuntiauit papatui nomine domini Gregorii XII.

ANNO a natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, apoſtolica ſede vacante, regnanteque ſereniſſimo & inuictiſſimo principe domino Sigiſmundo, Romanorum, Hungariæ, &c. rege, regnorum ſuorum anno, Hungariæ vigeſimonono, Romanæ electionis quinto, coronationis vero primo, die autem Iouis quarta menſis Iulii fuit tenta ſeſſio generalis per ſanctam Synodum Conſtantienſem in eccleſia cathedrali Conſtantienſi ſupradicta, præſente ibidem dicto ſereniſſimo domino Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ, &c. rege, cum inſigniis regalibus, & nobilibus ſibi in his ſeruientibus, videlicet dominis, Ludouico comite Palatino Rheni in pomo ſiue mundo, Henrico duce Bauariæ in enſe, Friderico burgrauio Nurembergenſi in ſceptro, & Andrea filio Sueualæ barone de Hungaria, in corona miniſtrantibus, ceteriſque principibus in numero copioſo. Præſentibus ibidem reuerendiſſimis patribus, Ioanne epiſcopo

ANNO & indictione quibus ſupra, ſede apoſtolica paſtore vacante, die vero Iouis quarta menſis Iulii fuit ſeſſio generalis. In qua ſereniſſimus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, tamquam imperator in inſigniis regalibus præſidebat, cuius enſem geſſit dux Henricus de Bauaria, ſceptrum vero burgrauius Nurembergenſis, mundiale, ſiue pomum dominus Ludouicus dux Bauariæ, comes Palatinus Rheni. De corona autem eiuſdem ſeruiuit comes. In qua etiam ſeſſione interfuerunt reuerendiſſimi in Chriſto patres, dominus Ioannes Oſtienſis dictus Viuarienſis, Iordanus Albanenſis dictus de Vrſinis, & Angelus Tuſculanus dictus Laudenſis, epiſcopi; Antonius tituli ſanctæ Suſannæ Aquileienſis, Petrus tituli ſancti Chryſogoni Cameracenſis, Franciſcus tituli ſanctæ crucis in Ieruſalem Venetiarum, Thomas tituli ſanctorum Ioannis & Pauli Tricarienſis, Alamannus tituli ſancti Euſebii Piſanus, Branda tituli ſancti Clementis Placentinus, Petrus tituli ſancti Marci de ſancto Marco, Antonius tituli ſanctæ Cæciliæ de Salancho, preſbyteri; Raynaldus tituli ſancti Viti in macello de

ſcopo

ANNO CHRISTI 1415.

scopo Ostiensi & cardinali Viuariensi, Angelo Laudensi, Iordano de Vrsinis, ceteriſque cardinalibus, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, & aliis patribus in copioſa multitudine: in cuius quidem ſeſſionis principio præfatus dominus Romanus rex indutus veſtibus regalibus, receſſit de ſua ſede ſolita, & tranſiuit ad aliam ſedem poſitam in fronte altaris, tamquam præſidens pro tunc in Concilio, Ioanne Dominici tituli ſancti Sixti cardinali Raguſino, & Carolo de Malateſtis domicello Ariminenſi, procuratoribus domini Angeli de Corario, Gregorii XII. in ſua obedientia nuncupati, ad auctorizandum Concilium, & cedendum papatui nomine dicti Gregorii, ſedentibus iuxta regem in quodam bancho reſpiciente verſus congregationem Synodi Conſtantienſis. Deinde cantatis antiphona, Veni ſancte Spiritus; ac hymno, Veni creator Spiritus: dictaque collecta de pace per dictum dominum cardinalem Viuarienſem, ſubſequenter per venerabilem virum dominum Iob Benner protonotarium domini Ludouici comitis Palatini, lectæ fue-

Branckaſiis, Ludouicus ſancti Hadriani de Fliſco, Landulphus ſancti Nicolai Barenſis, Amadeus ſanctæ Mariæ in Coſmedin Salutiarum, Lucidus de Comitibus, Franciſcus ſanctorum Coſmæ & Damiani Florentinenſis, diaconi communiter dicti ſacroſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales. Cantatoque ſolenniter hymno, Veni creator Spiritus, cum verſiculo, ſequentia, & oratione, Deus qui corda fidelium, &c. per Ioannem epiſcopum Oſtienſem lecta, reuerendus pater dominus Ioannes Dominici ſancti Sixti preſbyter cardinalis in ſua obedientia, ac magnificus vir dominus Carolus de Malateſtis, quaſdam literas bullatas, ſiue certa procuratoria ſeu mandata pro ipſo Gregorio ad conuocandum Concilium generale, & in eo agenda & tractanda approbandum, auctorizandum, nec non ad tractandum & practicandum, procurandum & concludendum cum regia maieſtate, ac aliis quibus ſuæ prudentiæ videbitur expedire; & alia in ipſis procuratoriis ſeu mandatis, quorum tenores inferius inſeruntur, exhibuerunt & produxerunt. Quas quidem literas bullatas ſuperius, vt præmittitur, exhibitas & productas de mandato domini regis ad tunc præſidentis, venerabilis vir Iob publica & intelligibili voce perlegit. Qui-

runt duæ bullæ ſequentis tenoris.

bus ſic lectis & peractis, reuerendiſſimus pater dominus Ioannes Dominici cardinalis, & Carolus, prædicti procuratores dicti domini Gregorii duodecimi in ſua obedientia nuncupati, ante altare Concilii prope ſedem præſidentis conſtituti, dictus Carolus prædicto reuerendiſſimo patri ad legendum ſchedulam tenoris infra ſcripti, maxime conuocationem Concilii, approbationem & ratificationem agendorum in eodem in ſe continentem, vices ſuas plenarie commiſit. Qua commiſſione ſic facta, ſurrexit præfatus dominus Ioannes cardinalis, ſumpto themate, Omnes vnanimes in oratione eſtote: *factaque ſuper eodẽ famoſa collatione, prælibatam ſchedulã publice alta & intelligibili voce perlegit. Qua ſic, vt præmittitur, lecta, reuerendus in Chriſto pater dominus Bartholomæus archiepiſcopus Mediolanenſis, rogante & exhortante præfato domino præſidente, ad inſtantem petitionem magiſtri Henrici de Piro, huius ſacri Concilii Conſtantienſis promotoris, ambonem aſcendit, & in eo ſibi aſſiſtentibus reuerendis patribus dominis Antonio Concordienſi pro natione Italica, Stephano Dolenſi pro natione Gallicana, Nicolao Merſburgenſi pro natione Germanica, & Patricio Cortagenſi pro natione Anglicana, epiſcopis in nationibus prædictis præſidentibus, quaſdam capitulorum tenoris infra ſcripti ſchedulas, quarum vna in effectu continebat, quod Concilium memoratum dictam conuocationem, auctorizationem & confirmationem, quantum ad eumdem dominum Gregorium pertinet & attinet, eas admittit: & collegium ipſius domini Gregorii duodecimi nuncupati, alteri collegio, videlicet olim Ioannis papæ XXIII. & e conuerſo, vnitas omnino fore decernit. Altera vero continebat in effectu, quod notarii rogati de præmiſſis non faciant mentionem in inſtrumentis ſuis de papa vel ſede apoſtolica, ſed de Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ, &c. rege, & regno Romanorum, vſque ad ceſſionem per Carolum nomine dicti Gregorii faciendam. Quibus lectis, dicti epiſcopi præſidentes nomine nationum ſuarum prædictarum, & Ioannes epiſcopus Oſtienſis pro ſe & collegis ſuis cardinalibus, inſtante & petente magiſtro Henrico de Piro promotore prædicto, exhortanteque & rogante ſereniſſimo principe domino Sigiſmundo Romanorum, &c. rege tunc præſidente, reſponderunt per verbum, Placet. Super quibus conuocatione, auctorizatione, confirmatione, admiſſione, ac vnione, ac ſtatutis & decretis, magiſter Henricus de Piro promotor & procurator a ſanctæ ſedis apoſtolicæ protonotariis per dictum Concilium deputatis, nec non a notariis quatuor na-*

ANNO CHRISTI 1415.

1. Petr. 3.

ANNO CHRISTI 1415. *tionum, & quibuſcumque aliis tabellionibus publicis ibidem adſtantibus, vnum vel plura fieri & confici inſtrumentum ſeu inſtrumenta, publicum ſeu publica, tot quot eſſent neceſſaria, inſtanter requiſiuit. Præſentibus ibidem.*

Hic erat locus vacuus in eo, ex quo iſta ſumpſimus, exemplari: tamquam ſi præſentes hic non expreſſi adhuc fuiſſent exprimendi.

Tenores vero dictarum bullarum, nec non ſchedularum & capitulorum prædictorum, de quibus ſupra fit mentio, ſequuntur, & ſunt tales.

*Gregorius epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis, Ioanni tituli ſancti Sixti presbytero cardinali, apoſtolicæ ſedis legato, & Ioanni in patriarcham Conſtantinopolitanum electo, noſtris & eiuſdem ſedis nuntiis; & venerabili fratri Vuernero archiepiſcopo Treuirenſi, nec non nobilibus viris Ludouico comiti Palatino Rheni, & Carolo de Malateſtis domicello Ariminenſi, in prouincia Romandiolæ pro nobis & * ſancta Romana eccleſia rectori, ſalutem & apoſtolicam benedictionem.*

* noſtra

Terrenas affectiones humanas tenebrare mentes conſtat, liberandas pro modulo luminationis. Cum lux illa quæ dixit, *Ego ſum lux mundi*, ſe luminantem oſtendit: & pro quanto terreno detinentur affectu, minus illius ſplendorem contingunt. In quo edocemur, errorem cauendum, amoremque rectum ſequendum, & noſtra omnia ad illam pacem, quæ eſt cum Deo homini mortali, feliciter conferenda, contra quam negare non poſſumus impios errores commiſſos circa papatum, noſque aduerſantium aſtutiis repulſos, ad pacem & eccleſiæ Chriſti clarum ſtatum per viam renuntiationis, & progreſſum firmiter deſiderantes, vt cum ſpes aliqua ſcintillaret, occurrimus erogando. Ex eodem igitur affectu continuato, intellecta prouidentia regia, cum affectione concordi ad eccleſiæ pacem cum nationibus quas vocauit ad ciuitatem Conſtantienſem, exhilarati, libenti animo prompti ſumus, vt ſemper fuimus, pro extirpatione horrendorum ſchiſmatum, & integra vnione merito optanda & perficienda, dimittere libere papatum, quamuis nobis clarum ſit, tam ex titulo ſanctæ memoriæ Vrbani ſexti prædeceſſoris noſtri & canonica noſtra electione, quam etiam cla-

Ioan. 8.

rissime ex nostra puritate cum efficaci voluntate & recta. Quapropter potius & altius rem ipsam & effectum qui intenditur, ac serenitatis regiæ cor, mentem, animum & opera post sui aduentum ad Constantiam fructuosa aduertentes, * quamque extrinsecus quouis artificio demonstrauit; & confidentes exinde de eius serenitatis dispositione Deo grata, & in eo sperantes cuius res geritur, quod serenitatem eamdem diriget in agendis, & vos etiam, qui pro præmissorum effectu estis ibidem. Et vt possitis in prædictis proficere melius & valere, quo efficaciorem potestatem a nobis constiterit vos habere, nobis seu illis ex nobis, quod vbi illi interfuerint, congregationem ipsam, in quantum per dictam serenitatem regiam, & non Baltassarem, se nuncupari facientem Ioannem vigesimumtertium, vocatam, vice nostra ad prædictorum effectum conuocandi & auctorizandi generale Concilium, remota tamen omnino dicti Baltassaris præsidentia & præsentia ab eisdem: nec non omnia, quæ postquam sic feceritis, disponentur pro vera redintegratione ac vnione ecclesiæ, ac præfatorum schismatum extirpatione, per congregationem eamdem remotis (vt præmittitur) præsidentia & præsentia dicti Baltassaris, vice nostra similiter auctorizandi, approbandi & confirmandi, plenam & liberam de plenitudine potestatis concedimus tenore præsentium facultatem. Datum Arimini tertio Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

ANNO CHRISTI 1415.

* quæque

De Curia. *G. de Imola.*
In plica. *M. de Strata in dorso in camera.*

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio nobili viro Carolo de Malatestis domicello Ariminensi, in prouincia nostra Romandiolæ pro nobis & sancta Romana ecclesia rectori, salutem & apostolicam benedictionem.

Cum ad laudem omnipotentis Dei & bonum ecclesiæ suæ sanctæ, pro vnionis redintegratione & pace Christianorum, & schismatum extirpatione, proh dolor, nunc vigentium, vltra alios nuntios nostros te tamquam personam nostram ad maiestatem regiam Constantiam personaliter destinemus, nos volentes pariter & optantes, vt eo

ANNO CHRISTI 1415. perfectius perficere valeas in præmissis, quo maiori fueris auctoritate munitus : tibi cum subordinata sit renuntiatio canonicæ & certæ electioni vnici futuri summi pontificis, & alia etiam necessaria habeant interuenire, pro prædictorum effectu salubriter consequendo, tibi conueniendo aut illis, cum quibus tuæ prouidentiæ videbitur expedire, modis congruis & opportunis tractandi, practicandi & concludendi, quæ tibi visa fuerint vtilia & necessaria ad prædicta, etiam si forent talia, quæ mandata alia & tibi data excederent, quantumcumque mandatum exigerent specificum & speciale, & si videbitur tibi, aliqua magis conuenire personæ ecclesiasticæ, illa expediri faciendi per personam ecclesiasticam quam elegeris, & ei sic electæ & iuxta tuam dispositionem facturæ, præsentium tenore de plenitudine apostolicæ potestatis plenam & liberam concedimus facultatem. Datum Arimini tertio Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

De Curia. *G. de Imola.*
Inplica. *M. de Strata in dorso in camera.*

Quibus bullis lectis, dominus Carolus (prout in eisdem continebatur) habens maiorem auctoritatem quam ceteri, commisit præfato domino Ioanni Dominici cardinali vices suas ad auctorizandum & approbandum dictum Concilium. Quam commissionem in se recipiens, facta breui collatione cum themate, *Omnes vnanimes in oratione estote*, auctorizauit Concilium, prout in schedula tenoris sequentis continetur. 1. Petr. 3.

Schedula auctorizationis Concilii.

Quia sanctissimus dominus noster, dominus Gregorius papa duodecimus audiuit, intellexit, atque multipliciter est informatus de celebri fama huius sanctæ congregationis pro generali Concilio Constantiensi in Christi nomine congregatæ, idcirco idem dominus noster auidus ecclesiasticæ vnionis & reformationis, & extirpationis hæreticæ prauitatis, commissionem fecit, prout in eiusdem literis nunc lectis dignoscitur contineri. Cuius quidem commissionis & mandati vigore ego Ioannes miseratione diuina tituli sancti Sixti presbyter cardinalis, Ragusinus vul-

gariter nuncupatus, pro me & collegis meis in hac parte hic exiſtentibus in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen. auctoritate ipſius domini noſtri papæ, quantum ad eumdem ſpectat, vt prædicta ſancta vnio, reformatio, & hæreticæ prauitatis extirpatio, Deo auctore, meliorem ſortiantur effectum, & vt ſub diuerſorum profeſſione paſtorum diſſidentes Chriſtiani in vnitate ſanctæ matris eccleſiæ & caritatis vinculo coniungantur, iſtud ſacrum Concilium generale conuoco, & omnia per ipſum agenda auctorizo & confirmo, iuxta modum & formam, prout in literis domini noſtri nunc lectis plenius continetur. ANNO CHRISTI 1415.

His autem peractis, reuerendiſſimus pater dominus Bartholomæus archiepiſcopus Mediolanenſis legebat capitula & ordinationes conceptas per Concilium Conſtantienſe. Tenores vero dictorum capitulorum ſequuntur, & ſunt tales: Cum principium cuiuſlibet rei potiſſima pars ſit, vt principium decens & amabile Deo, & poſſibilis eccleſiæ redintegratio fiat, ſacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto legitime congregata, eccleſiam catholicam repræſentans, vt iſtæ duæ obedientiæ, videlicet illa quæ profitetur Ioannem vigeſimumtertium olim fuiſſe papam, & illa quæ profitetur dominum Gregoriũ XII. eſſe papam, vniantur vna alteri, & altera alteri coniungantur ſub capite Chriſto, dictas conuocationem, auctorizationem, approbationem & confirmationem nomine illius domini qui in ſua obedientia dicitur Gregorius XII. nunc factas, quantum ad ipſum ſpectare videtur, quia abundans ad certitudinem pro bono cautela nemini nocet, ſed omnibus prodeſt, in omnibus & per omnia admittit, & amodo has ſupradictas obedientias coniunctas & vnitas eſſe decernit & declarat in vno corpore Domini noſtri Ieſu Chriſti, & huius ſacri vniuerſalis Concilii generalis, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.

Hæc ſancta Synodus ex certis bonis aſpectibus ſtatuit & ordinat, quod per notarios qui de præmiſſis rogabuntur, in inſtrumentis per eos conficiendis nulla fiat mentio de Romano pontifice vel de ſede apoſtolica, ſed de anno regnorum ſereniſſimi & inuictiſſimi principis domini Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ &c. regis, & hoc vſque ad ceſſionem incluſiue.

ANNO CHRISTI 1415. *Quibus sic factis, prædictus dominus Ioannes Dominici cardinalis recessit a loco vbi ante altare fuerat, ad scamnum seu locum in quo presbyteri cardinales sedebant, per Lucidum cardinalem de Comitibus prædictum introductus: & ad osculum fraternale receptus, & osculo prælibato, inter reuerendissimos patres dominum Franciscum Venetiarum, & Antonium Aquileiensem, presbyteros cardinales prædictos collocatus sedebat. Subsequenter vero inuictissimus ac serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ &c. rex, de loco quo præsidebat, ad sedem suam propriam regiam, in qua sedere solet in sessionibus generalibus, accessit, & ibi sedebat. Præmissis omnibus, sicut præmittitur, peractis, reuerendissimus pater dominus Alamannus tituli sancti Eusebii presbyter cardinalis, Pisanus communiter dictus, Missam celebrauit de sancto Spiritu. Et venerabilis vir magister Theodoricus de Monasterio sacræ theologiæ professor sermonem fecit, cuius thema fuit:* Qui sequitur me, non ambulat *Ioan. 8.* in tenebris. *Quo & dicta Missa finita, cantatoque responsorio seu introitu, Exaudi nos Domine, &c. dictisque per reuerendissimum patrem dominum Ioannem episcopum Ostiensem orationibus, lectoque euangelio,* Si quis venit ad me, *&c. hymnoque, Veni creator Spiritus, iterum solenniter cantato, ac aliis precibus consuetis ad Deum deuote profusis, præsidente pro tunc domino Joanne episcopo Ostiensi, memoratus Carolus quamdam aliam bullam Gregorianam, sigillo plumbeo sigillatam, sanam &c. tenoris infra scripti exhibuit & produxit. Quam quidem bullam præfatus immediate præsidens per præfatum dominum Iob legi fecit publice alta & intelligibili voce. Quibus peractis, surrexit præfatus dominus Carolus, & quamdam papyri schedulam tenoris infra scripti, quam in suis tenebat manibus, alta & intelligibili voce perlegit. In qua effectualiter ponebatur petitio sua, videlicet, an expediat quod cessio Gregorii fiat in Constantia antequam eatur Niciam: seu, an Petrus de Luna cedere velit aut nolit, experiatur. Qua lecta, præfatus reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, adhuc vt supra in ambone cum præsidentibus prælibatis existens, exhortante & rogante reuerendissimo patre domino Joanne præsidente præfato, quamdam aliam schedulam certum in se continentem capitulum, in quo in effectu continebatur, quod Concilium Constantiense velit, quod resignatio Gregorii fiat in Constantia pro vtilitate & redintegratione fidei Christianæ, antequam eatur ad Niciam,*

cuius tenor inferius sequitur, alta & intelligibili voce legit. Ipsaque sic, vt præmittitur, lecta, surrexit magister Henricus de Piro prælibatus promotor, petiitque per dictos præsidentes pro se & nationibus suis prælibatis & aliis responderi super præmissis, per verbum, placet; vel, non placet. Et tunc memorati præsidentes pro nationibus suis, & earum qualibet, nec non reuerendissimus in Christo pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis pro se & suis collegis cardinalibus, responderunt per verbum, placet. Super quibus productis & lectis, dictus magister Henricus promotor & procurator petiit a reuerendis patribus sanctæ sedis apostolicæ protonotariis, ac a nobis per dictum Concilium deputatis notariis, & a quibuscumque aliis notariis & tabellionibus publicis ibidem adstantibus, vnum vel plura, publicum seu publica, tot quot essent necessaria, fieri & confici instrumentum & instrumenta. Præsentibus tunc ibidem testibus supradictis. ANNO CHRISTI 1415.

Tenores vero dictarum Bullarum, nec non schedularum ordine quo supra lectarum, sequuntur per ordinem, & sunt tales.

Tolluntur processus & cetera in duabus obedientiis hinc inde decreta occasione schismatis.

Aliud Capitulum.

Sacrosancta Synodus generalis Constantiensis &c.

Pro maiori pace & securitate vnionis ecclesiæ, omnes & singulos processus, censuras, pœnas & sententias in olim vocati Ioannis, & eius qui dicitur Gregorius duodecimus, obedientiis iam coniunctis occasione, vel ex causa schismatis hinc vel inde latas, decretas, promulgatas seu fulminatas, & omnem exinde contractam maculam siue notam iuris aut facti, quo ad easdem obedientias, tollit, abolet & irritat atque cassat. Omnes quoque & singulas personas dictarum obedientiarum, cuiuscumque conditionis vel sexus existant, in statibus, dignitatibus & officiis, quæ alias canonice, seu rationabiliter tenent, possident & exercent, ad abundantem cautelam habilitat, & cum eis, quantum opportunum fuerit, aut indigent, dispensat hæc sancta Synodus ex certis bonis respectibus: statuitque & ordinat, quod per notarios, qui de præmissis rogabuntur, in instrumentis per eos conficiendis nulla fiat mentio de Romano pontifice, vel sede apo-

ANNO CHRISTI 1415. apostolica, sed de anno regnorum serenissimi & inuictissimi principis domini Sigismundi Romanorũ & Hungarorum &c. regis, & hoc, vsque ad cessionem inclusiue. His denique lectis, dictus dominus Ioannes Dominici cardinalis Ragusinus per cardinales *sistentes in Concilio receptus est ad osculum pacis, & collocatus est inter Franciscum Venetiarum, & Antonium Aquileiensem, presbyteros cardinales. Fuitque consequenter cantata Missa de Spiritu sancto per dominum † Almanum cardinalem Pisanum, cum sermone ad clerum. Et postmodum Missæ officio finito, accessit ad locum præsidentiæ dictus dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis; fuitque dictum officium litaniarum, aliarum more sessionum, cum euangelio, *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c.* Et dictus dominus Iob * Venner legebat bullam dicti domini Gregorii ad cessionem papatus, tenoris sequentis.

*f. assistentes

*Benner

Procuratorium ad renuntiandum &c.

Gregorius episcopus seruus seruorum Dei, dilecto filio nobili viro Carolo de Malatestis, domicello Arimini, in prouincia Romandiolæ pro nobis & sancta Romana ecclesia rectori, salutem & apostolicam benedictionem.

Diuina gratia dirigente, fideliter & pure conati fuimus ab ipso initio nostræ assumptionis schisma extirpare, & ecclesiam deducere ad clarum & pacificum statum integraliter, & vt debuimus & voluimus, & continue cum potuimus aduertere opportunitatem perficiendi, efficaci voluntate adhibuimus diligentiam nostram: sed fluxus diuersarum cupiditatum & tenebrarum, a timore Altissimi alienarum, multis & variis inuolutionibus sancto proposito obstiterunt, & per vias duras multiplici debito nos adstrictos incedere compulerunt. Et cum nuper verisimiliter dubitaremus grauiora præparari, recenter recepimus de cælo lumen aperiri, & regiam maiestatem per maturos processus pura mente ad lucem & pacem integram Christianorum, schismatibus de ecclesia repulsis, desideria peruenire, corruptis affectibus obuiando, & rectas vias optando. De quibus gratias Altissimo reddimus, &

ab eo lætitiam ſuſcipimus, ſine cuius gratia nullum recte efficitur fundamentum: a qua quidem diuina gratia non dubitamus tuam nobilitatem & animum fuiſſe & eſſe conſtanter directum. Cum ergo deſtinauerimus Conſtantiam ad eamdem regiam maieſtatem dilectos filios Ioannem tituli ſancti Sixti presbyterum cardinalem, ſedis apoſtolicæ legatum, & Ioannem in patriarcham Conſtantinopolitanum electum, noſtros & eiuſdem ſedis nuntios, cum certis literis & mandatis noſtris fideliter conceptis, ſecundum opportunitatem quæ tunc videbatur: nunc vero ſpe bona concepta, dilatato corde, Chriſtianorum pacem & integram vnionem in Domino deſiderantes, tuam nobilitatem, in qua plene confidimus, & cariſſimam vt perſonam noſtram tenemus, duce Domino ad regiam maieſtatem ipſam in Conſtantiam deſtinamus, vt animus tuus, quem ſemper inuenimus ſacræ vnionis amatorem, nobiſcum lætitia impleatur. Et propterea ad prædicta omnia plenarie exequenda, te qui etiam in ciuitate noſtra Ariminenſi, & in nonnullis pro nobis & eadem eccleſia in temporalibus es vicarius, omni modo, via, iure & forma, quibus melius fieri poſſit, tenore præſentium de plenitudine apoſtolicæ poteſtatis procuratorem noſtrum facimus ſpecialem, dantes & concedentes tibi vt procuratori noſtro, de plenitudine dictæ apoſtolicæ poteſtatis, omnimodam, plenam & liberam facultatem noſtro & dictæ eccleſiæ nomine tractandi, procurandi, totaliter concludendi, & effectualiter inducendi ſinceram & integram vnionem eccleſiæ ſanctæ Dei, per omnem & quamlibet rationabilem viam coniunctim & diuiſim, quæ tibi procuratori noſtro videbuntur accommoda ac quomodolibet opportuna. Et ſpecialiter renuntiandi & cedendi omni iuri papatus, ac titulo & poſſeſſioni, quod, quem & quam habemus in eodem, ſi vbi & ante videbitur tibi pro vnione huiuſmodi expedire: nec non omnia & ſingula faciendi, quæ circa præmiſſa & quodlibet eorum erunt, aut tibi vt procuratori noſtro videbuntur quomodolibet opportuna, etiam ſi forent maiora expreſſatis, & mandatum exigerent quantumcumque ſpeciale, & quæ nos ipſi facere poſſemus, ſi perſonaliter intereſſemus: promittentes Deo & eccleſiæ

Anno Christi 1415.

Anno Christi 1415. sanctæ Dei, ratum, gratum & firmum perpetuo irreuocabiliter habituros, quidquid per te procuratorem nostrum, actum, gestum, seu factum fuerit in præmissis, idque facturos dante Domino inuiolabiliter obseruari, promittentes bona fide, & sub attestatione diuini iudicii, quod potestatem huiusmodi tibi sic (vt præmittitur) attributam & concessam reuocare non intendimus, nec reuocabimus te verbo publice vel occulte, & supplentes omnem defectum, si quis in præsenti mandato fuerit admissus, vel in eo aliquid est omissum.

Datum Arimini sexto Idus Martii, pontificatus nostri anno nono.

De curia *G. de Imola.*
In plica *M. de Strata in dorso in camera.*

Qua * schedula lecta magnificus dominus Carolus leuans se, dixit hæc verba: Cum sanctissimus dominus noster Gregorius papa duodecimus me suum procuratorem constituerit ad cedendum modo & forma, prout in suis literis lectis dinoscitur contineri: Ego Carolus supra dictus sciens intentionem domini nostri sanctissimi Gregorii papæ duodecimi fuisse & esse totalem ad redintegrationem Christianorum, si possit largiente Domino fieri, & in hoc omnem, quantum in eo est, operam præstare per futuram papatus cessionem per se & suos; & quod ab omnibus caueantur, quæ hoc sanctum propositum impedire possent aut differre: per hoc sacrum Concilium declarari & determinari peto humiliter & instanter, vtrum pro vnione ecclesiæ sanctæ Dei & totali redintegratione per Dei gratiam procuranda, sacro Concilio vtile & expediens videatur, quod nomine præfati domini nostri papæ fiat hic Constantiæ cessio, antequam Niciam accedatur: seu, an Petrus de Luna, qui in sua obedientia dicitur Benedictus decimustertius, cedere velit vel nolit, experiatur. Quibus dictis, præfatus dominus archiepiscopus Mediolanensis in ambone existens, deputatus per Synodum, respondit in modum qui sequitur.

Concilium determinat, quod vtile & expediens est, quod fiat hic in Constantia renuntiatio.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis deter-

minat & declarat, expediens & vtile fore pro vnione ecclesiæ sanctæ Dei & totali redintegratione per Dei gratiam procuranda, quod nomine illius domini, qui in sua obedientia dicitur Gregorius duodecimus, fiat hic in Constantia cessio, antequam Niciam accedatur: seu, an Petrus de Luna, qui in sua obedientia dicitur Benedictus decimus-tertius, cedere velit vel nolit, experiatur. Subsequenter dictus dominus archiepiscopus Mediolanensis legit capitula quæ sequuntur. ANNO CHRISTI 1415.

Postea vero idem reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, adhuc vt supra in ambone vna cum prædictis præsidentibus sibi assistentibus existens, ad instantem petitionem & requisitionem magistri Henrici de Piro promotoris prædicti, ac exhortationem & rogatum domini Ioannis præsidentis prælibati, quædam alia capitula, quorum primum in effectu continet, quod Concilium statuit, quod cardinales non procedant ad electionem futuri summi pontificis absque consensu Concilii, nec eligendus recipiatur sub pœna maledictionis æternæ: & quod Concilium suspendit iura positiua contra præsens decretum facientia. Secundum vero, quod electio futuri summi pontificis valeat fieri modo & forma, loco & materia, &c. per Conciliũ fiendis, & quascumque personas habilitare, recipere & deputare ad electionem huiusmodi, tamen non obstantibus & aliis in ipsa constitutione contentis. Et quod Concilium non dissoluatur donec electio fuerit celebrata. Et quod imperator impendat, & verbo regio promittat, & literas suas decernat, & alia plura, prout in eisdem capitulis, quorum tenores inferius inscribuntur, publice alta & intelligibili voce perlegit. Quibus sic lectis, magister Henricus de Piro promotor & procurator prædictus petiit per dictos præsidentes in ambone, vt supra, existentes, pro se & nationibus suis prædictis & aliis, quorum interest, tunc præsentibus ibidem, responderi per verbum, placet; vel, non placet. Et tunc memorati domini præsidentes, ac Ioannes episcopus Ostiensis, nominibus quibus supra, responderunt per verbum, placet. Serenissimus princeps dominus Sigismundus Romanorum &c. rex, respondit per hæc verba, Promittimus, & literas decernimus. Quibus sic factis, venerabilis & circumspectus vir dominus Ioannes præpositus Quinqueeccleſienſis quasdam literas regias & ipsius domini regis sigillo magno maiestatis suæ ceræ glaucæ impresso sigillatas exhibuit & produxit, easque publice, alta & intelligibili voce tenoris infra scripti perlegit.

ANNO CHRISTI 1415. Tenores vero dictorum capitulorum & literarum regiarum, de quibus supra fit mentio, sequuntur, & sunt tales.

Quod vacante sede non procedatur ad electionem Romani pontificis.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus, ad facilius, liberius & vtilius integram vnionem ecclesiæ consequendam, pronuntiat, statuit & ordinat, quod prætextu cuiuscumque cessionis aut vacationis sedis apostolicæ siue papatus, durante præsenti Concilio factæ vel faciendæ, ad electionem futuri Romani pontificis nullatenus procedatur sine deliberatione & consensu huius sacri generalis Concilii. Et si quid fieret, sit ipso facto auctoritate huius sacri Concilii irritum & inane. Nullusque electum contra hoc decretum in papam recipiat, nec illi, vt papæ, quoquo modo obediat, sub pœna maledictionis æternæ & fautoriæ schismatis. Puniantur que in hoc casu eligentes & electus, si consentiat, ac illi adhærentes, pœnis per hoc sacrum Concilium ordinandis. Suspendit quoque dicta sancta Synodus pro bono vnionis ecclesiæ omnia iura positiua in Conciliis generalibus edita, & ipsorum statuta, ordinationes, consuetudines & priuilegia quibuscumque concessa, & pœnas contra quoscumque editas, in quantum dicti decreti effectum impedire possunt quoquo modo.

Sacrosancta Synodus Constantiensis, &c. pro maiori pace & sinceritate vnionis ecclesiæ, omnes & singulos processus, censuras, pœnas & sententias in olim vocati Ioannis vigesimitertii, & eius qui dicitur Gregorius duodecimus, obedientiis iam coniunctis, occasione, vel ex causa schismatis hinc vel inde latas, decretas, promulgatas, seu fulminatas, & omnem exinde contractam maculam siue notam iuris vel facti, quo ad easdem obedientias, tollit, abolet, irritat atque cassat. Omnes quoque & singulas personas dictarum obedientiarum, cuiuscumque conditionis vel sexus existant, in statibus, dignitatibus & officiis, quæ alias canonice, seu rationabiliter tenent, possident & exercent, ad abundantem cautelam habilitat, & cum eis quantum opportunum fuerit, aut indigent, dispensat.

Quod electio Romani pontificis fiat modo & forma per Concilium ordinandis: & quod Concilium non dissoluatur, donec sit facta electio: & quod ad hoc rex Romanorum det operam. ANNO CHRISTI 1415.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus, vt ecclesiæ sanctæ Dei eo melius & sincerius prouideatur, statuit & ordinat, pronuntiat & decernit, quod proxima electio futuri Romani pontificis fiat modo, forma, loco, tempore & materia per sacrum Concilium ordinandis. Et quod idem Concilium possit & valeat in futurum quascumque personas, cuiuscumque status vel obedientiæ sint aut fuerint, ad electionem huiusmodi actiue & passiue, & alios quoscumque actus ecclesiasticos, & omnia alia opportuna, non obstantibus quibuscumque processibus, pœnis aut sententiis, habilitare, recipere & deputare modo & forma, quibus etiam videbitur expedire. Quodque sacrum Concilium non dissoluatur, donec electio huiusmodi fuerit celebrata. Exhortans dicta sancta Synodus inuictissimum principem dominum Romanorum & Hungariæ regem, pariter & requirens, quatenus tamquam pius ecclesiæ aduocatus, & sacri Concilii defensor & protector, omnem ad hoc operam efficaciter impendat, & verbo regio velle facere hoc promittat, ac literas suæ maiestatis desuper fieri decernat. Quo capitulo lecto, statim domini deputati, videlicet Antonius Concordiensis, Stephanus Dolensis, Nicolaus Mersburgensis, & Patricius Cortagensis, episcopi, nomine quatuor nationum responderunt, Placet. & similiter reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis nomine collegii cardinalium respondit, Placet. subsequenter serenissimus princeps Romanorum rex ita respondit: Ita promisimus, & literas in bona forma fieri mandamus. Quas quidem literas decretas statim prælibatus princeps Romanorum rex idem per venerabilem virum dominum Ioannem præpositum Quinqueeccleſienſem legi fecit in hunc modum.

Sigismundus Dei gratia Romanorum, &c. rex, semper Augustus.

Notum facimus tenore præsentium quibus expedit, vniuersis ad futuram rei memoriam. Inter varias solicitudines, curasque mul-

ANNO CHRISTI 1415. *tiplices illa maxime nos vrget anxietas, ne inter domesticos fidei, qui Christiano censentur nomine, & præcipue ecclesiasticas personas, controuersia, seminante humani generis inimico, aliqualiter oriatur. Summopere igitur procurandũ est, vt non crescant iurgia, sed iuxta magistram bonorum omnium caritatem, quæ nihil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, imo propria auctoritate nutrit concordiã, dissociata coniungit, inter seruos Dei, quos non oportet de bono proposito resilire, pax & vnanimitas conseruetur. Æquum enim est, vt qui spiritu diriguntur, nulla sectione mentium, nulla voluntate contraria, nulla nouitate noxia diuidantur, ne inde discordia sumat initium, vnde pacis fœdera & præcipue ecclesiæ tranquillitatis commoda debent suscipere incrementum. Cum itaque sacrosancta Constantiensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam catholicam matrem nostram repræsentans, pro bono vnionis in ecclesia sancta Dei consequenda feliciter laborans, ac celeri (in quantum occurrentium casuum qualitas, aliarumque circumstantiarum necessitas, & præsentium temporum dispositio patiuntur) vnici, veri & indubitati summi pontificis electione fauente Domino celebranda, vt dum ædificationem spiritualis patris, filii, sponsique eiusdem matris sanctæ ecclesiæ votiuam enititur, parturientis partes experiens, conatus prosequens, & molestias perferens, acerbos dolores sentiat ad instar illius, vt post acceptam de antiquo & pestifero schismate victoriam, antiquæ felicitatis antidota resumat, eiusdem ecclesiæ prouisioni cum omni diligentia solerter & studiose, ac instanter & sedulo succurrere festinat. Verumtamen consultius idoneum pariendi tempus expectat, ne inconsultæ festinantiæ impetu partum præcipitet in abortum. Sicque nonnunquam occulta forsan Dei dispositione postponendus eligitur, & postponitur præferendus, prout his accidisse diebus ex humanorum defectuum supponimus consideratione. Cum inter cetera prouide statuerit & salubriter ordinauerit, quod hoc sacrum Concilium non dissoluatur, donec electio huiusmodi futuri summi pontificis fuerit celebrata: Nos qui tamquam Romanæ ecclesiæ aduocatus, dictique Concilii protector & defensor, ipsius Romanæ ecclesiæ celerem prouisionem totis præcordiis affectamus, & dictæ sanctæ Synodi statutis & ordinationibus colla nostra submisimus, eisdemque in omnibus parere & intendere volumus & debemus, animo deliberato ex certa scientia tenore præsentium verbo regio promittimus & nos obligamus, quod omnem ad hoc operam efficaciter impendemus, & bona fide curabimus, ac quan-*

tum in nobis est, legaliter faciemus, quod dicta sancta Synodus non dissoluetur, sed in suo robore conseruabitur, manutenebitur & protegetur, quousque dicta electio largiente Altissimo fuerit celebrata, ac Spiritus paracleti virtus, alto suo & secreto consilio obumbrante, eidem sanctæ Synodo concesserit Spiritum vnitatis ad felicem consummationem & reformationem ecclesiæ suæ sanctæ. Præsentium sub nostræ maiestatis sigilli appensione testimonio literarum. Datum Constantiæ anno Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, prima die mensis Iulii, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. vigesimonono, Romanorum electionis quinto, coronationis vero primo. ANNO CHRISTI 1415.

Ad mandatum domini regis Ioannes præpositus de Strigonio vicecancellarius.

Subsequenter præfatus reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis prædictus, adhuc prout supra in ambone cum prædictis nationum præsidentibus existens, ad mandatum & exhortationem dicti domini Ioannis præsidentis, instante primitus & petente antedicto magistro Henrico promotore & procuratore, quædam alia capitula tenorum infra scriptorum numero sex, seriatim & successiue legit. Quorum tenores sequuntur per ordinem, & sunt tales.

Concilium omnia per Gregorium duodecimum in sua obedientia alias canonice & rationabiliter gesta approbat & ratificat.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, &c. omnia & singula per illum dominum, qui dicitur Gregorius duodecimus in sua reali obedientia, apostolica auctoritate mediate vel immediate, alias canonice vel rationabiliter hucusque gesta, facta, dispensata, ordinata, concessa & indulta, & etiam vsque ad tempus notitiæ suæ renuntiationis pro eo faciendæ, quod tempus vltra mensem post huiusmodi renuntiationem nolumus extendi taliter gerenda, facienda, dispensanda, ordinanda, concedenda & indulgenda, ex certa scientia ratificat, & ex superabundanti cautela ad certitudinem boni approbat atque firmat, statuens & ordinans, quod ex causa vel occasione schismatis, vel cuiuscumque maculæ vel inhabilitatis ex eo prouenientium, non valeant infringi, vel contra ea excipi, aut in dubium reuocari, non obstantibus dis-

posi-

Anno Christi 1415. positionibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Decretum, quod non reeligatur Gregorius, non esse factum ad ipsius Gregorii inhabilitatem.

Sacrosancta Synodus generalis Constantiensis declarat, statutum seu ordinationem factam alias per istud sacrum Concilium, in quo inter alia cauetur, quod ille dominus qui dicitur in sua obedientia Gregorius duodecimus, nullo vnquam tempore reeligatur in papam, non fuisse factam ad ipsius domini Gregorii inhabilitatem, tamquam non sit capax papatus, sed pro bono pacis ecclesiæ, & futuris scandalis, scrupulis & suspicionibus euitandis.

Concilium reseruat, & se facturum declarat, quod prouidebit, vbi duo vel plures in eodem titulo ex diuersis obedientiis concurrunt.

Item sacrosancta Synodus Constantiensis reseruat, & se facturam declarat, vbi duo vel plures in eodem titulo ex diuersis obedientiis concurrunt, quod sacrum Concilium cum debita mansuetudine & rationabili æquitate, ita quod vna pars alia deterius non tractabitur, vtriusque obedientiæ honore, quantum fieri poterit, saluo, per se vel ad hoc specialiter deputandos, antequam separabitur, prouidebit modo & tempore opportunis.

Concilium recipit & admittit in cardinales, cardinales domini Gregorii papæ duodecimi.

Item sacrosancta Synodus Constantiensis, exnunc immediate post cessionem seu renuntiationem nomine illius domini, qui dicitur Gregorius duodecimus, de papatu per eumdem faciendam, ipsum dominum Gregorium & reuerendissimos in Christo patres dominos Antonium episcopum Portuensem, Ioannem tituli sancti Sixti, Gabrielem tituli sancti Clementis, Angelum tituli sanctorum Petri & Marcellini, Blandellum tituli sanctæ Sabinæ, presbyteros, & Petrum tituli sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconum, suæ obedientiæ cardinales recipit & admittit, eosque vt tales haberi vult, & ab omnibus venerari, nec non dignitate, emolumento, voce & aliis cardinalium priuilegiis, vt veros cardinales vti, frui pariter & gaudere,

ſaluis tamen aliis conſtitutionibus & ſtatutis in præſenti ſeſſione promulgatis & inferius promulgandis, de electione Romani pontificis facientibus mentionem. ANNO CHRISTI 1415.

Quod officiarii domini Gregorii gaudeant eorum officiis.

Item ſacroſancta Synodus Conſtantienſis, &c. ſtatuit & ordinat, quod omnes officiales & curiales eiuſdem domini, qui dicitur Gregorius duodecimus, in officiis & gradibus ipſorum alias canonice adeptis gaudeant, & ea rationabiliter adminiſtrent, prout alii officiales alterius obedientiæ indifferenter, ſaluo vbi in aliquo officio vnicus vel certus numerus debet haberi ſecundum conſuetudinem Romanæ curiæ, circa quod ſacrum Concilium ſibi reſeruat prouidendum cum debita manſuetudine & rationabili æquitate: ita quod vna pars alia deterius non tractabitur, vtriuſque obedientiæ honore, quantum fieri poterit, ſemper ſaluo, per ſe vel ad hoc ſpecialiter deputandos, antequam ſeparabitur, prouidebit modo & tempore opportunis.

Quod nullus recedat ſine licentia.

Item ſacroſancta Synodus, &c. Ne ante electionem futuri Romani pontificis & aliorum in eodem Concilio agendorum, ipſum ſanctum Concilium diſſoluatur, perturbetur, aut contra eius ſalutem vel proſperitatem aliquid machinetur, vel etiam ſancta ipſius ſtatuta & ordinationes quomodolibet moleſtentur aut tranſgrediantur, ſtatuit, ordinat & diffinit, quod quæcumque perſona Concilii, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis aut præeminentiæ exiſtat, ab hoc ſacro Concilio deinceps ſine licentia Concilii, vel ad hoc deputandorum receſſerit; & quæcumque Concilii, aut quæuis alia perſona ipſum Concilium quomodolibet perturbauerit, aut contra eius ſalutem vel proſperitatem quidquam machinata fuerit, vel ipſius ſacri Concilii, præſertim in hac præſenti ſeſſione, ſtatuta aut ordinationes temerarie violauerit, infregerit, aut tranſgreſſa fuerit vllo modo, tamquam vnionem perturbans, ſchiſma faciens, de hæreſi ſuſpecta, aut rea criminis læſæ maieſtatis, perpetuo ſit infamis, omnique dignitate, honore, ſtatu, officio & beneficio, eccleſiaſticis & ſæcula-

ANNO CHRISTI 1415. ribus, etiam si imperialis, regalis, cardinalatus, aut pontificalis existat, ipso iure priuata, spe promotionis omnino sublata; nec aliquatenus aperiatur ei ianua dignitatis aut honoris ecclesiastici aut mundani.

Quod imperator det operam, vt Concilium sit tutum.

Item sacrosancta Synodus Constantiensis exhortatur inuictissimum principem dominum Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem, quatenus placeat, patentes literas suæ maiestatis sigillis dare, & omnibus principibus, vassallis & subditis sacri imperii, & præsertim ciuibus & incolis ciuitatis Constantiensis præcipere & mandare, quod manutenebunt & defendent prædictum sacrum Concilium in sincera & totali libertate in omni euentu vsque ad electionem futuri summi pontificis, & alias quamdiu durauerit: & quod si & quando sacrum Concilium deliberauerit, ad electionem summi Romani pontificis hic fore procedendum, omnino ad hoc operam efficacem impendat, quod huiusmodi electio sit tuta, libera & secura. Hoc autem specialiter iurent rectores & consules huius ciuitatis fideliter obseruare. Et quicumque istam libertatem, tutelam, aut securitatem aliqualiter impediuerit, fraudem circa eam fecerit, aut quantum in eo fuerit non obseruauerit, cuiuscumque dignitatis, præeminentiæ, status aut conditionis existat, omni cessante priuilegio, eo ipso sententiam imperialis banni incurrat, perpetuo sit infamis, nec ei vnquam portæ dignitatis pateant, nec ad aliquod officium publicum admittatur: quinimo omnibus feudis ac aliis bonis quæ a Romano tenet imperio, sit ipso iure priuatus. Ciuitas autem, seu vniuersitas Constantiæ, nisi consules & rectores prædicta obseruauerint, aut si contra ea venerint, eo ipso banno imperiali subiaceat, & omnibus priuilegiis & libertatibus & gratiis imperialibus seu regalibus sit penitus destituta.

Quibus sic peractis, dictus magister Henricus de Piro promotor petiit a dictis præsidentibus, nominibus quibus supra, responderi per verbum, placet; vel, non placet. Memoratique præsidentes, & Ioannes episcopus Ostiensis, nominibus quibus supra, responderunt vt prius, per verbum, placet. Serenissimus princeps dominus Sigismundus rex respondit sub isto verborum tenore: Promittimus &

literas decernimus. Præmissis sic peractis, surrexit præfatus Ioannes præpositus Quinqueecclesiarum, literasque dicti serenissimi principis suæ maiestatis sigillo magno ceræ glaucæ impresso sigillatas exhibuit, easque legit, rogante & mandante prælibato domino Ioanne episcopo Ostiensi proxime præsidente. Quibus sic lectis, dictus magister Henricus promotor super potestate cedendi & renuntiandi dicto Carolo a præfato domino, qui Gregorius duodecimus dicitur, tradita, statutis & decretis promissis, petiit nominibus quibus supra vnum vel plura, publicum seu publica, tot quot essent necessaria fieri & confici instrumentum & instrumenta, præsentibus quibus supra. Sigismundus Dei gratia Romanorum rex semper Augustus, ac Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. rex. Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit vniuersis, ad futuram rei memoriam. Qui statuit terminos gentium secundum numerum angelorum & vtrorumque ministeria ordine miro dispensans, sicut choros angelicos variis dignitatibus, quæ propriis vocabulis (teste Apostolo) appellantur, mirabiliter insigniuit: sic & ecclesiam adhuc militantem in terris, diuersis tam spiritualium quam temporalium distinxit titulis potestatum, vt pulcra fidelibus, & infidelibus terribilis apparens, vt castrorum acies ordinata, procedat prospere, donec regina tandem a dextris summi regis in vestitu sedeat deaurato, feliciter in perpetuum regnatura. Vnde constat, quod omnis a Deo est potestas, qui solus potestatem habet in regno hominum, & quemcumque vult suscitat super illud. Nemo illi temere debet resistere, ne, secundum Apostolum, potestati diuinæ resistere videatur: quin potius tenetur quilibet in operibus manuum Domini exultare, per quæ semper iuxta prophetam misericordia & iudicium constat. Sane cum propter vacationem sedis apostolicæ, Romani & summi pontificis electio & prouisio in nostra Constantiensi ciuitate, in qua ad præsens generale Concilium celebratur, suo tempore iuxta eiusdem statuta Concilii immineat facienda, nos tamquam Romanæ ecclesiæ aduocatus, dicti Concilii defensor, ac præsertim dictæ ciuitatis Constantiensis dominus naturalis, volentes dictam electionem fore tutam, liberam & securam, omnibus & singulis principibus, vassallis & subditis sacri imperii, & præsertim ciuibus & incolis dictæ ciuitatis Constantiensis nostræ fidelibus nostris dilectis districte præcipimus & mandamus, quatenus dictum sacrum Concilium in pura, sincera, pacificaque libertate manuteneant & defendant in omnem euentum, vsque ad electionem & perfectionem futuri summi pontificis inclusiue.

ANNO CHRISTI 1415.

Anno Christi 1415. *Et quod si quando sacrum Concilium deliberauerit ad electionem Romani pontificis in eadem nostra ciuitate fore procedendum, omnem curam, diligentiam, solicitudinem & operam efficaciter impendant, quod electio huiusmodi in plena libertate & securitate debite defendatur. Specialiter autem rectoribus & consulibus dictæ nostræ ciuitatis Constantiensis iniungimus, vt iuxta sacrorum Canonum instituta, idipsum corporaliter iurent fideliter obseruare. Quicumque autem istam libertatem, tutelam aut securitatem aliquatenus impediuerit, violauerit, fraudem contra eam fecerit, aut quantum in eo fuerit, non obseruauerit, cuiuscumque dignitatis, status, præeminentiæ aut conditionis existat, omni cessante priuilegio, eo ipso sententiam imperialis banni incurrat, perpetuo sit infamis, nec ei vnquam portæ pateant dignitatis, nec ad aliquod officium publicum admittatur. Quinimo omnibus feudis & aliis bonis quæ a Romano tenet imperio, sit ipso iure priuatus. Ciuitas autem, seu vniuersitas Constantiensis, nisi consules & rectores prædicta obseruauerint, aut si contra ea venerint, eo ipso banno imperiali subiaceat, ac omnibus priuilegiis, gratiis & libertatibus imperialibus, siue regalibus sit penitus destituta. Præsentium sub nostræ maiestatis sigilli appensione testimonio literarum. Datum Constantiæ anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, prima die Iulii, regnorum nostrorum anno Hungariæ, &c. 29. Romanæ electionis quinto, coronationis vero primo.*

Ad mandatum domini regis Ioannes præpositus de Strigonio vicecancellarius.

Postmodum vero surrexit Carolus prænominatus procurator, solennemque & rhetoricam proferebat collationem in themate sumpto, Facta est multitudo angelorum &c. *Qua siquidem collatione facta, sæpe dictus Carolus quamdam cessionis & resignationis schedulam, quam in suis tenebat manibus, ibidem perlegit: factoque cessit & renuntiauit, & alia fecit, prout in schedula continetur. Qua schedula, vt præmittitur, lecta, prætactus reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis, adhuc in ambone vna cum præsidentibus nationum antedictis sibi assistentibus, rogante & exhortante dicto domino Ioanne episcopo Ostiensi præsidente, quoddam capitulum, in quo effectualiter continebatur, quod Concilium generale Constantiense præfatum, dictam* * *concessionem seu renuntiationem admisit, & nonnulla alia, vt in ipso capitulo tenoris infra scripti plenius continetur, alta & intelligi-*

Luc. 2.

* f. cessionem

bili voce perlegit. Quo quidem capitulo, vt præmittitur, lecto, mandante & rogante dicto domino præsidente, prædictus magister Henricus petiit per huiusmodi nationum præsidentes & alios supradictos, nominibus quibus supra, responderi per verbum, placet; vel, non placet. Dictique præsidentes & alii supra recitati responderunt nominibus quibus supra, per verbum, placet. Super cessione, resignatione, statutis, diffinitis & decretis, & aliis supra recitatis, præfatus Henricus promotor siue procurator petiit a protonotariis & nobis notariis dicti Concilii, ac aliis tabellionibus publicis quibuscumque, vnum vel plura, publicum seu publica, fieri & confici instrumentum & instrumenta, tot quot essent necessaria. Præsentibus testibus quibus supra.

ANNO CHRISTI 1415.

Tenores vero dictarum cessionis, siue renuntiationis, nec non admissionis eiusdem schedularum, sequuntur, & sunt tales.

Ego Carolus &c.

His autem perlectis, dictus dominus Carolus, facta pulcra collatione cum themate: *Facta est cum angelo multitudo militiæ cælestis, &c.* perlegit schedulam de renuntiatione papatus nomine dicti domini Gregorii in forma sequenti.

Luc. 2.

Carolus renuntiat papatui procuratorio nomine domini Gregorii duodecimi.

Ego Carolus de Malatestis Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus vicarius, nec non prouinciæ Romandiolæ rector pro sanctissimo in Christo patre domino Gregorio diuina prouidentia papa duodecimo, & sanctæ Romanæ ecclesiæ generalis, atque eiusdem sanctissimi domini nostri papæ procurator, habens ad infra scripta plenum, speciale & irreuocabile mandatum, quemadmodum constat per bullam authenticam sanctissimi domini nostri prædicti proxime lectam, nulla oppressus aut coactus violentia, aut nullo ductus errore, vt omnibus aperte pateat per effectum, quanta sinceritate, quantaque cordis affectione sacram vnionem & redintegrationem Christianorum in vnitate sanctæ matris ecclesiæ prosecutus fuit, prosequaturque per viam etiam renuntiationis inclusiue, pure & libere & sincere procuratorio nomine ipsius sanctissimi domini nostri, domini Gregorii papæ XII. in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti

Anno Christi 1415. renuntio & cedo expreſſe in his ſcriptis, realiter & cum effectu, iuri, titulo & poſſeſſioni, quod, quem & quam ipſe habet in papatu, & reſigno nomine præfati domini noſtri papatum, & omne ius papatus, titulum & poſſeſſionem, quod, quem & quam habet coram Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui eccleſiæ ſuæ ſanctæ eſt caput & ſponſus in hac ſacroſancta Synodo & vniuerſali Concilio, ſanctam Romanam & vniuerſalem eccleſiam repræſentante. Qua ſchedula lecta, archiepiſcopus Mediolanenſis loco quo ſupra reſpondendo ad prædicta, legebat in hunc modum.

Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem eccleſiam catholicam repræſentans, ceſſionem, renuntiationem & reſignationem pro parte illius domini, qui in ſua obedientia dicebatur Gregorius duodecimus, iuri, titulo & poſſeſſioni, quod, quem & quam habuit in papatu, vel ſi quod, quem vel quam nunc * habuit in papatu, nunc per magnificum & potentem dominum Carolum de Malateſtis hic præſentem, eiuſque ad hoc procuratorem irreuocabilem, pro eodem domino qui dicebatur Gregorius duodecimus, factas admittit, approbat & collaudat in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Amen.

* *f.* habet

Poſt hæc autem cantato, Te Deum laudamus, a ſæpe dicto archiepiſcopo Mediolanenſi legebatur ſequens capitulum.

Tandem vero hymno angelico, Te Deum laudamus, ſolenniter cantato, cum verſiculo & collectis ſequentibus, præfatus reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiſcopus Mediolanenſis, ad inſtantem petitionem magiſtri Henrici de Piro promotoris & procuratoris dicti ſacri Concilii, nec non ad rogatum & exhortationem dicti domini præſidentis, legit quoddam aliud capitulum in effectu continens tempus reſignationis faciendæ Petri de Luna poſt requiſitionem, & alia, vt in eodem capitulo continentur, tenoris infra ſcripti, ibidem alta & intelligibili voce perlegit. Quo quidem capitulo proximo ſuperius recitato, lecto, de mandato præfati præſidentis prælibatus magiſter Henricus inſtanter petiit, per nationum prædictarum præſidentes & alios prætactos ſuper præmiſſis per verbum, placet, vel, non placet, reſponderi. Et tunc dicti nationum præſidentes, & Ioannes epiſcopus Oſtienſis præſidens prædictus, pro ſe & nationibus ſuis quibus ſupra, per verbũ, Placet, ſolenniter reſponderunt.

non ſereniſſimus princeps dominus Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, promiſit, vt in capitulo continetur, & eidem præmiſſa recitata placuerunt. Super quibus omnibus & ſingulis ſic actis, habitis, geſtis, ſtatutis & diffinitis, promiſſiſque & dictis, memoratus magiſter Henricus promotor vt ſupra, a dominis protonotariis ſupradictis, nec non a nobis dicti Concilii notariis, & aliis tabellionibus publicis quibuſcumque, vnum vel plura, publicum ſeu publica, tot quot eſſent neceſſaria, fieri & confici inſtrumentum ſeu inſtrumenta inſtanter requiſiuit & petiit. Præſentibus tunc ibidem teſtibus quibus ſupra. Anno Christi 1415.

Tenor vero dicti capituli, de quo ſupra fit mentio, ſequitur & eſt talis.

Sacroſancta generalis, &c.

Quod requiratur Petrus de Luna auctoritate Concilii ad cedendum.

Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis, &c.

Cum in Romana eccleſia dudum grauis & peſtilens exorta ſciſſura, humani generis inimico procurante, innumerabilia Chriſtiano populo attulerit detrimenta, quibus obuiandis ac pro redintegratione fabricæ catholicæ quamuis multa quæſita fuerint remedia immenſis laboribus, ſolicitudinibus & expenſis, inter quæ præſtantius & validius toti pene Chriſtianitati dudum, & nuper etiam huic ſacro Concilio viſum ſit, ceſſionem & renuntiationem papatus fieri per quemlibet pro papa, ſeu Romano pontifice ſe gerentem, nec hactenus ceſſio, ſeu renuntiatio huiuſmodi facta, aut redintegratio, aut ſchiſmatis extirpatio fuerit ſubſecuta, miſericors tamen & miſerator Dominus ſponſam ſuam ſanctam eccleſiam diebus proximis reſpexit oculis pietatis, dum videlicet in hac ſancta Conſtantienſi Synodo præter nonnulla alia ſanctæ vnionis eccleſiæ præparamenta, coniunctis ſub capite Chriſto in vna eccleſia duabus, videlicet olim nuncupati Ioannis, & illius qui dicebatur Gregorius duodecimus, obedientiis, magnificus dominus Carolus de Malateſtis pleniſſimum ad hoc habens mandatum pro præfato domino, qui dicebatur Gregorius duodecimus, eiuſque nomine omni iuri, titulo & poſſeſſioni, quod, quem & quam,

vel

Anno Christi 1415. vel si quod, quem vel quam habuit in papatu, non sine magno ipsius domini, qui dicebatur Gregorius duodecimus, laudis præconio cesserit, renuntiauerit expresse, realiter & cum effectu, & resignauerit nomine prædicti domini, qui dicebatur Gregorius duodecimus, papatum & omne ius papatus, titulum & possessionem, quod, quem & quam habuit in papatu. Cumque Petrus de Luna, in sua obedientia Benedictus decimustertius nuncupatus, dudum memoratam cessionis & renuntiationis papatus viam acceptauerit, eamque diuersis promissionibus, votis & iuramentis firmauerit, nec adhuc fecerit, sed protelauerit vsque modo, & prout fere toti Christianitati est notorium & manifestum, sancta Synodus Constantiensis supradicta, nihil, quantum in ea est, quod ad sanctam vnionem vtile fuerit, volens relinquere improuisum, declarat, statuit & diffinit, præfatum Petrum de Luna, ex superabundanti per procuratores sacri Concilii ad hoc specialiter constituendos, loco & tempore opportunis fore solenniter requirendum, vt infra spatium decem dierum, requisitionem huiusmodi immediate sequentium, omni iuri papatus, quod se prætendit habere, nec non titulo & possessioni seu detentioni eiusdem cedat & renuntiet totaliter & absolute. Quod si non fecerit, dicta sancta Synodus ipsum dominum Petrum ex nunc prout ex tunc pronuntiat, decernit & declarat, fuisse & esse notorium schismaticum, antiqui schismatis nutritorem, defensorem, fautorem, approbatorem, incorrigibilem & pertinacem, hæreticum, a catholica fide deuium, promissionum, votorum & iuramentorum suorum transgressorē, & ecclesiam Dei notorie scandalizantem, & propterea omni honore & dignitate etiam papali se reddidisse indignum, ipsumque per sacros Canones fore abiectum, eiectum, priuatum & præcisum ab omni iure seu possessione & detentione, quæ habet seu se prætendit habere in papatu, mandando, præcipiendo & inhibendo eidem, ne se amplius pro Romano pontifice gerere præsumat, omnibus Christi fidelibus, etiam si imperiali, regali, cardinalatus, pontificali, aut alia quauis ecclesiastica vel sæculari dignitate præfulgeant, ne eidem Petro, aut eius successoribus in hac parte postea obediant, pareant vel intendant, aut auxilium, consilium

vel fauorem præstent vllo modo, sed eum tamquam schismaticum, ecclesiasticæ vnionis perturbatorem & hæreticum vitent & persequantur toto posse, bona fide, realiter & cum effectu. Et huic sacro Concilio ac futuro per Dei gratiam Romano pontifici eligendo, contra dictum Petrum, eius successores, fautores atque sequaces, quos etiam dicta sancta Synodus tamquam schismaticos & hæreticos vult persequi & haberi, assistant fideliter & cum effectu, inuictissimum dominum principem Sigismundum Romanorum & Hungariæ &c. regem, exhortans specialiter & requirens, quatenus tamquam pius ecclesiæ aduocatus & sacri Concilii defensor, hoc idem se mox tunc facturum, & suis & sacri imperii subditis mandaturum promittere dignetur, & fideliter obseruare. ANNO CHRISTI 1415.

Quo capitulo lecto, fuit responsum per deputatos quatuor nationum, Placet: nec non per D. Ostiensem nomine collegii cardinalium, & demum per regem Romanorum, Placet. Super quibus omnibus & singulis magister Henricus de Piro nomine quo supra per sæpe dictos notarios, protonotarios & tabelliones sibi vnum vel plura, & tot, quot sufficiant ad dictum sapientis, petiit fieri publicum seu publica, instrumentum & instrumenta: præsentibus ibidem illustribus principibus, comitibus, ambasiatoribus, ceterisque nobilibus testibus.

SESSIO XV.

SABBATI die, sexta dicti mensis Iulii, fuit sessio generalis Concilii loco & hora consuetis, in qua fuit Romanorum & Hungarorum rex cum nobilibus suis, sibi in insigniis regalibus seruientibus, præsidente in eadem Ioanne episcopo Ostiensi cardinali Viuariensi: fuitque in ea celebratum officium Missæ de Domina nostra, per reuerendissimum patrem dominum Nicolaum archiepiscopum Gneznensem. Qua cantata, legebantur reliqua more sessionum, & reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis legebat quoddam *videlicet illustribus principibus, Ludouico comite Palatino Rheni in mundo, Friderico burgrauio Nuremburgensi, & marchione Brandemburgensi in sceptro, Henrico duce Bauariæ in corona, & Stephano de Rosebon milite de Hungaria*

ANNO CHRISTI 1415. statutum, cuius tenor sequitur, & est talis.

in ense. Præsentibus ibidem reuerendissimis patribus, dominis, Ioanne episcopo Ostiensi cardinali Viuariensi ibidem præsidente nomine collegii cardinalium, Iordano de Vrsinis, Angelo Laudensi, episcopis, assistentibus ipsi domino regi Antonio Aquileiensi, Francisco Venetiarum, Antonio de Salancho, Petro Cameracensi, Branda Placentinensi, presbyteris; Amadeo Salutiarum, Ludouico de Flisco, Landulpho Barensi, Raynaldo de Branckasiis, Odone de Columna, Lucido de Comitibus, & Francisco Florentinensi, diaconis cardinalibus. In qua quidem sessione more solito cantata fuit Missa de beata virgine Maria per reuerendum patrem dominum Nicolaum archiepiscopum Gneznensem. Qua Missa cantata, fuit peractum officium litaniarum cum introitu, Exaudi nos Domine &c. collectis & orationibus ad hoc requisitis, iuxta exigentiam temporum & officii: & euangelio, Attendite a falsis prophetis, *&c. ac hymno,* Veni creator Spiritus. *Quibus Missa & officio litaniarum peractis, fuit introductus magister Ioannes Hus, accusatus & conuictus tamquam hæresiarcha, de regno Bohemiæ ad medium Concilii, vbi erat leuatus in vnum altum scamnum pro eo vltra alia sedilia communia ordinatum, ita quod omnis homo eum sufficienter videre poterat. Ipso Ioanne Hus hæretico, siue hæresiarcha ibidem constituto, ascendit ambonem reuerendus pater dominus episcopus Laudensis de ordine fratrum prædicatorum, & fecit vnum breuem, compendiosum & laudabilem sermonem, assumens pro themate,* Destruatur corpus peccati, *&c. ad Romanos 6. cap. in epistola, vt asseruit, proximæ diei dominicæ. Quo sermone finito, ascenderunt ambonem, in quo edicta Concilii publicari solent, & eadem approbari, reuerendi patres Antonius Concordiensis, Stephanus Dolensis, Nicolaus Mersburgensis, Guillelmus Tolonensis, Patricius Cortagensis, episcopi, & Bertholdus Vuildungensis sacri palatii apostolici causarum auditor, deputati per nationes ad approbandum acta, gesta & pronuntiata nomine nationum. Antonius episcopus Concordiensis de mandato sibi iuncto legebat quoddam statutum, imponendo silentium vniuersis & singulis in Synodo existentibus, in hunc modum.* Matth. 7.

Decretum silentii.

Sacrosancta Synodus Constantiensis &c. præcipit & mandat sub pœna excommunicationis latæ sententiæ,

quam contrauenientes incurrere vult ipſo facto, & ſub pœna carceris duorum menſium, & fautoriæ hæreſis, ne aliquis cuiuſcumque ſtatus, auctoritatis, gradus, ordinis, præeminentiæ aut conditionis fuerit, etiam ſi imperiali, regali, cardinalatus, archiepiſcopali aut epiſcopali præfulgeat dignitate, in hac præſenti ſeſſione Deo auctore hodie celebranda, ipſam ſeſſionem, ſeu pronuntiantes & loquentes in eadem perturbet, murmuret, impediat, aut quemuis ſtrepitum voce vel manibus aut pedibus faciat. Et quia iam materia Deo annuente tractanda per omnes nationes & ſanctos patres, Spiritu ſancto dirigente, vnanimiter & concorditer concluſa eſt, prout audietis, prohibet & mandat eadem ſancta Synodus ſub ſimili pœna ac fautoriæ hæreſis, ne quis clamare, contradicere, aut etiam ſurgere, diſputare, vel defenſare, aut alta voce loqui audeat, niſi ad hoc ſit per ipſam ſanctam Synodum deputatus: alioquin contra facientes decreuit eo ipſo excommunicationis vinculo innodatos, pœnas carceris & duriores expreſſatis, minime euaſuros. Quam quidem conſtitutionem deputati quatuor nationum, videlicet Antonius Concordienſis nomine Italicæ, Stephanus Dolenſis nomine Gallicanæ, Nicolaus Mersburgenſis nomine Germanicæ, & Patricius Cortagenſis nomine Anglicanæ, dominus Ioannes Oſtienſis præſidens nomine collegii cardinalium, per verbum, placet, approbarunt. Anno Christi 1415.

Quo quidem ſtatuto lecto & approbato, prouidus vir magiſter Henricus de Piro promotor & procurator ſurrexit, proponens, qualiter articuli prædicati per magiſtrum Ioannem Hus in Bohemiæ regno & alias, de quibus eſt conuictus, eſſent hæretici, ſeditioſi, captioſi, aurium piarum offenſiui, &c. per dominum præſidentem, dominum Romanorum regem, totamque Synodum Conſtantienſem, condemnari, libroſque de quibus eſſent extracti, igne comburi debere, & alias ſibi fieri iuſtitiæ complementum, prout in quadam papyri petitionum ſchedula, quam ibidem legebat, cuius tenor inferius eſt inſertus, plenius continetur.

Tenor dictæ petitionis papyri ſchedulæ, de qua ſupra fit mentio, ſequitur & eſt talis.

Hoc loco in exemplari ex quo hæc deſumpta ſunt, erat aliquantum ſpatii tamquam pro reſtantibus relictum.

Qua petitione in ſcriptis oblata, de mandato & voluntate ipſius

Anno Christi 1415. *Synodi Constantiensis, venerabilis vir dominus Bertholdus de Vuildungen prædictus incepit legere articulos formatos & dogmatizatos per Ioannem Vuicleff & Ioannem Hus in hunc modum, quorum aliquos legit, & reliquos dicta sancta Synodus habuit pro lectis.*

Sicut Christus est simul Deus & homo, sic hostia consecrata est simul corpus Christi ad minimum in figura, & verus panis in natura. Vel quod idem sonat, verus panis naturaliter, & corpus Christi figuraliter.

Cum mendacium hæreticum de hostia consecrata, inter hæreses singulas teneat principatum, vt ipsa ab ecclesia extirpetur, secure denuntio modernis hæreticis, quod non possunt declarare nec intelligere accidens sine subiecto. Et ideo omnes istæ sectæ hæreticæ in capitulo ignorantium Ioannis quarto, Nos adoramus quod scimus, *audacter prænostico omnis istis sectis & suis complicibus, quod non defendant fidelibus, quod sacramentum erit accidens sine subiecto, antequam Christus & tota triumphans ecclesia venerit in finali iudicio equitans super flatum angeli Gabrielis.*

Sicut Ioannes figuraliter fuit Elias, & non personaliter; sic panis in altari figuraliter est corpus Christi: & absque ambiguitate hæc est figuratiua locutio, Hoc est corpus meum: *sicut ista, Ioannes est Elias.*

Fructus istius dementiæ, qua fingitur accidens sine subiecto, foret blasphemare in Deum, scandalizare sanctos, & illudere ecclesiæ per verba accidentis.

Diffinientes, paruulos fidelium sine sacramentali baptismo decedentes non fore saluandos, sunt in hoc stolidi & præsumptuosi.

Leuis & breuis confirmatio episcoporum, cum a dictis ritibus tantum solennizata est, ex natione diaboli introducta, & vt populus in fide ecclesiæ illudatur, & episcoporum solennitas aut necessitas plus credatur.

Quantum ad oleum quo episcopi vngunt pueros, & peplum lineum quod complexum est capiti, videtur quod sit ritus leuis, infundabilis ex scriptura, & quod ista confirmatio introducta super apostolos, blasphemat in Deum.

Confessio vocalis facta sacerdoti, introducta per Innocentium, non est tam necessaria homini, vt diffinit: quia si quis solum cogitatu, verbo vel opere offenderit fratrem suum; solum cogitatu, verbo vel opere sufficit pœnitere.

Graue est & infundabile, presbyterum audire confessionem populi modo quo Latini vtuntur.

In his verbis, Vos mundi estis, sed non omnes, *posuit diabolus pedicam infidelem, qua pedem caperet Christiani. Introduxit enim confessionem priuatam & infundabilem. Et postquam confessori nota fuit, vt legem statuit, quod non prodatur populo malitia sic confessi. Coniectura probabilis est, quod talis qui rite viuit, est diaconus vel sacerdos. Sicut enim cognosco, quod iste est Ioannes: sic probabili coniectura cognosco, quod iste sancte viuendo, constitutus est a Deo in tali officio siue statu.* ANNO CHRISTI 1415.

Non ex testificatione hominis ordinantis, sed ex iustificatione operis capienda est probabilis euidentia talis status. Deus enim potest sine tali instrumento digno vel indigno personam aliquam in tali statu constituere. Nec est probabilior euidentia quam ex vita. Ideo habita vita sancta & doctrina catholica, satis est ecclesiæ militanti. Error in principio & in fine.

Conuersatio mala prælati subtrahit acceptationem ordinum & aliorum sacramentorum a subditis, qui tamen necessitate cogente possent hoc ab eis capere, supplicando pie, quod Deus suppleat per ministros suos diabolos opus vel finem officii ad quod iurant.

Antiqui ex cupiditate temporalium, ex spe mutuorum iuuaminum, aut ex causa excusandæ libidinis, licet desperent de prole, copulentur ad inuicem, non vero matrimonialiter copulentur.

Hæc verba, Accipiam te in vxorem, eligibiliora sunt in contractu matrimoniali, quam ista, Ego te accipio in vxorem. Et quod contrahendo cum vna per hæc verba de futuro, & post cum alia per hæc verba de præsenti, non debent frustrari verba prima per verba secundaria de præsenti.

Papa, qui se falsè nominat seruum seruorum Dei, nullo gradu est in opere euangelii, sed mundano. Et si sit in ordine aliquo, est in ordine dæmonum, Deo plus culpabiliter seruientium.

Papa non dispensat cum simonia, vel voto temerario, cum ipse sit capitalis simoniacus, vouens temerarie seruare statum summe damnabilem, error in fine.

Quod papa sit summus pontifex, est ridiculum. Et Christus nec in Petro, nec in alio talem approbauit dignitatem.

Papa est patronus Antichristi, non solum illa simplex persona, sed multitudo paparum a tempore dotationis ecclesiæ, cardinalium, episcoporum, & suorum complicum aliorum, est Antichristi persona composita monstruosa. Non tamen repugnat, quin Gregorius & alii papæ, qui in vita sua fecerunt multa bona de genere, fructuose finaliter pœnitebant.*

* f. pœnituerunt.

Anno Christi 1415. *Petrus & Clemens cum ceteris adiutoribus in fide, non fuerunt papæ, sed Dei adiutores, ad ædificandum ecclesiam Domini nostri Iesu Christi.*

Quod ex fide euangelii ista papalis præeminentia cepit ortum, est æque falsum, sicut quod ex prima veritate error quilibet exortus.

Duodecim sunt procuratores & discipuli Antichristi, papa, cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, archidiaconi, officiales, decani, monachi, bifurcati canonici, pseudofratres introducti iam vltimo, & quæstores.

Patet luce clarius, quod quicumque est humilior ecclesiæ seruicinior, & in amore Christi quo ad suam ecclesiam amatinior, est in ecclesia militanti maior & proximus Christi vicarius reputandus.*

Omnis iniuste occupans quodcumque bonum Dei, capit rapina, furto, vel latrocinio aliena.

Nec testium depositio, nec iudicis sententiatio, nec corporalis possessio, sicut nec distensus hereditarius, nec humana commutatio, siue donatio confert homini sine gratia dominium, siue ius ad aliquod vel omnia ista simul. Error, si intelligatur de gratia gratum faciente.

Nisi esset lex caritatis intrinsecus, nemo propter chartas vel bullas habet habilitatem vel iustitiam plus vel minus.

Nos non debemus præstare aut donare aliquid peccatori, dum cognoscimus ipsum esse talem: quia sic foueremus proditorem Dei nostri.

Sicut princeps vel dominus tempore quo est in peccato mortali, non sortitur nomen illius officii, nisi nomine tenus & satis æquiuoce: sic nec papa, episcopus vel sacerdos, dum lapsus fuerit in mortali peccato.

Omnis habituatus in mortali peccato caret quocumque dominio & vsu licito operis etiam boni de genere.

Ex principiis fidei est per se notum, quod quidquid homo in mortali peccato fecerit, peccat mortaliter.

Ad verum sæculare dominium requiritur iustitia dominantis, sic quod nullus existens in peccato mortali, est dominus alicuius rei.

Omnes religiosi moderni seipsos necessitant, vt hypocrisi maculentur. Ad hoc enim sonat sua professio, vt sic ieiunent, vt sic induant, & vt sic faciant, quidquid indifferenter ab aliis obseruatur.

Omnis priuata religio sapit, vt sic, imperfectionem & peccatum, qua homo indisponitur ad Deo libere seruiendum.

Religio siue regula priuata, sapit præsumptionem blasphemam & arrogantem supra Deum: & religiosi talium ordinum, per hypocrisim defensionis suæ religionis, præsumunt se super apostolos exaltare. ANNO CHRISTI 1415.

Christus in scriptura non docet aliquam speciem ordinis de capitulo Antichristi. Et ideo non est de suo beneplacito, quod sunt tales. Capitulum autem istud in istis speciebus duodecim continetur, quæ sunt, papa, cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, archidiaconi, officiales, decani, monachi, canonici, fratres de quatuor ordinibus, & quæstores.

Ex fide & operibus quatuor sectarum, quæ sunt clerus Cæsareus, varius monachus, vanus canonicus, atque fratres, euidenter elicio, quod nulla persona istarum est membrum Christi in sanctorum catalogo, nisi in fine dierum deseruerit acceptatam stolide sectam suam.

Paulus quondam pharisæus propter meliorem sectam Christi, de eius licentia sectam suam dereliquit. Et ob hæc claustrales, cuiuscumque sectæ fuerint, debent libere ex mandato Christi exire ista vincula, & induere libere sectam Christi.

Sufficit laicis, quod dent quandoque seruis Dei decimas suorum prouentuum, & cum istis paribus semper dant ecclesiæ, licet non semper Deo, clero Cæsareo a papa vel a suis subditis assignato.

Potestas quæ fingitur a papa & aliis quatuor nouis sectis, sunt fictæ, & ad seducendum subditos diabolice introductæ, vt prælatorum Cæsareorum excommunicatio, citatio, incarceratio, & redditus pecuniarum vendicatio.

Multi sacerdotes simplices superant prælatos in huiusmodi potestate: imo videtur fidelibus, quod magnitudo potestatis spiritualis plus consequitur filium imitatorium Christi in moribus, quam prælatum qui per cardinales & tales apostatas est electus.

Subtrahit populus decimas, oblationes & alias priuatas eleemosynas ab indignis Antichristi discipulis, cum hoc facere debeat de lege Dei. Nec est timenda, sed gaudenter acceptanda maledictio vel censura, quæ infertur a discipulis Antichristi.

Dominus papa, episcopi, omnes religiosi vel puri clerici, titulo perpetuæ possessionis dotati, debent renuntiare illis in manibus brachii secularis. Quod si pertinaciter noluerint, per seculares debent cogi.

Non est maior hæreticus vel Antichristus, quam ille clericus, qui docet, quod licitum est sacerdotibus & leuitis legis gratiæ dotari in

possessio-

Anno Christi 1415. *possessionibus temporalibus. Et si sint aliqui hæretici vel blasphemi, sunt illi clerici, qui hæc docent. Non solum possunt domini temporales auferre bona ecclesiæ ab habitualiter delinquentibus: neo solum hoc eis licet, sed debent hoc facere sub pœna damnationis æternæ.*

Deus non approbat quemquam damnari ciuiliter, vel ciuiliter iudicari.

Si fiat obiectio contra impugnantes dotationem ecclesiæ, de beato Benedicto, Gregorio ac Bernardo, qui pauca temporalia in paupertate possidebant, dicitur, quod finaliter pœnitebant. Si iterum obiicias, quod fingo sanctos istos de ista declinatione a lege Domini finaliter pœnitere: doce tu, quod sint sancti; & ego docebo, quod finaliter pœnitebant.

Si scripturæ sacræ & rationi debemus credere, patet, quod discipuli Christi non habent potestatem coacte exigendi temporalia per censuras: sed hæc attentantes sunt filii Heli, filii Belial.

Quælibet essentia vnum habet suppositum, secundum quod producitur aliud suppositum par priori. Et ista est actio remanens perfectissima, possibilis naturæ.

Quælibet essentia siue corporea, siue incorporea, est communis tribus suppositis, & omnibus illis insunt communiter proprietates, accidentia & operationes.

Deus nihil potest annihilare, nec mundum maiorare vel minorare; sed animas vsque ad certum numerum creare, & non vltra.

Impossibile est, duas substantias corporeas coextendi, vnam continue quiescentem localiter, & aliam corpus quiescens continue penetrantem.

Linea aliqua mathematica continua componitur ex duobus, tribus, vel quatuor punctis immediatis, aut solum ex punctis simpliciter finitis. Vel tempus est, fuit, vel erit compositum ex instantibus immediatis. Item non est possibile, quin tempus & linea, si sint, taliter componantur. Prima pars est error in philosophia. Sed vltima errat circa diuinam potentiam.

Imaginandum est, vnam substantiam corpoream in principio suo ductam esse ex indiuisibilibus compositam, & occupare omnem locum possibilem.

Quodlibet est Deus.

Quælibet creatura est Deus.

Vbique omne ens est, cum omne ens sit Deus.

Omnia quæ euenient, absolute necessariove euenient.

Anno Christi 1415.

Infans præscitus & baptizatus necessario viuet diutius, & peccabit in Spiritum sanctum, ratione cuius merebitur vt perpetuo condemnetur: & ita nullus ignis potest ipsum comburere pro hoc tempore vel instanti. Vt fidem assero, omnia quæ euenient, de necessitate euenient ei. Sic Paulus præscitus non potest vere pœnitere, hoc est, contritione peccatum finalis impœnitentiæ delere, vel ipsum non habere.

Quibus articulis lectis, similibus mandato & voluntate dominus Antonius episcopus Concordiensis legebat vnam schedulam per modum sententiæ condemnatoriæ dictorum articulorum, huiusmodi sub tenore.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, ecclesiam catholicam repræsentans, ad extirpationem schismatis, errorumque & hæresum, in Spiritu sancto legitime congregata: Auditis diligenter & examinatis libris & opusculis damnatæ memoriæ Ioannis Vuicleff, per doctores & magistros studii generalis Oxonienſis, qui de eisdem libris & opusculis ducentos & sexaginta reprobos excerpendo collegerunt & scholastice reprobarunt articulos. Quos omnes hæc sancta Synodus petiit examinari, & sæpius recenseri per plures patres ecclesiæ Romanæ cardinales, episcopos, abbates, magistros in theologia, doctores vtriusque iuris, & alios plures notabiles diuersorum & generalium studiorum in multitudine copiosa. Quibus articulis sic examinatis, fuit & est repertum, aliquos & plures ex ipsis fuisse & esse notorie hæreticos, & dudum a sanctis patribus reprobatos: quosdam blasphemos, alios erroneos, alios scandalosos, quosdam piarum aurium offensiuos, nonnullos eorumdem temerarios & seditiosos. Et propterea in nomine Domini nostri Iesu Christi hæc sancta Synodus prædictos articulos & eorum quemlibet hoc perpetuo decreto reprobat & condemnat, inhibens omnibus & singulis catholicis sub anathematis interminatione, ne de cetero dictos articulos, aut ipsorum aliquem audeat prædicare, dogmatizare, offerre vel tenere. Super quibus exequendis & debite obseruandis, mandat prædicta sancta Synodus ordinariis locorum aut inquisitoribus hæreticæ prauitatis vigilanter intendere, prout ad quemlibet pertinet secundum iura & canonicas sanctiones. Si quis vero huius sacri Concilii decreti & sententiarum temerarius violator extiterit, animaduersione debita per locorum ordinarios, quocumque priuilegio non obstante, sacri huius auctoritate Concilii puniatur. Præfati vero articuli hic sequuntur, de quibus aliqui, licet non omnes, recitabuntur ad præsens.

ANNO CHRISTI 1415.

Tenor vero dictorum articulorum, de quibus supra fit mentio, sequitur & est talis.

Consequenter episcopus Concordiensis legebat sententiam contra Ioannem Hus de regno Bohemiæ, qui fuit degradatus in præsentia Concilii, & traditus curiæ sæculari.

Sententia contra Ioannem Hus.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus, ecclesiam catholicam repræsentans, in Spiritu sancto legitime congregata, ad perpetuam rei memoriam.

Quia teste veritate, arbor mala fructus malos facere consueuit, hinc est, quod vir damnatæ memoriæ Ioannes Vuicleff sua mortifera doctrina non in Christo Iesu per euangelium, vt olim sancti patres filios genuere, sed contra Christi salutarem fidem velut radix virulenta plures genuit filios pestiferos, quos sui peruersi dogmatis reliquit successores, aduersus quos hæc sancta Synodus tamquam contra spurios & illegitimos filios cogitur insurgere, & eorum errores ab agro dominico tamquam vepres nociuas, cura peruigili & cultro auctoritatis ecclesiasticæ resecare, ne vt cancer serpant in perniciem aliorum. Cum itaque in sacro generali Concilio nuper Romæ celebrato decretum fuerit, doctrinam damnatæ memoriæ Ioannis Vuicleff damnandam esse, & libros eius huiusmodi doctrinam continentes fore tamquam hæreticos comburendos, & doctrinam ipsam damnatam & libros eius, tamquam doctrinam insanam & pestiferam includentes, combustos fuisse cum effectu, & huiusmodi decretum auctoritate Concilii fuerit approbatum: nihilo minus tamen quidam Ioannes Hus in hoc sacro Concilio hic personaliter constitutus, non Christi, sed potius Ioannis Vuicleff hæresiarchæ discipulus, post & contra damnationem & decretum huiusmodi ausu temerario contraueniens, errores eius plures & hæreses, tam ab ecclesia Dei, quam etiam a certis olim reuerendis in Christo patribus, dominis archiepiscopis & episcopis diuersorum regnorum, & magistris in theologia plurium studiorum condemnatos, dogmatizauit, asseruit & prædicauit, præsertim damnationi scholasticæ ipsorum articulorum Ioannis Vuicleff factæ pluries in vniuersitate

Pragenſi cum ſuis complicibus in ſcholis & in prædicationibus publice reſiſtendo, ac ipſum Ioannem Vuicleff virum catholicum & doctorem euangelicum, in fauorem eius doctrinæ, coram multitudine cleri & populi declarauit, certos etiam articulos infra ſcriptos & plures alios, & merito damnabiles, tamquam catholicos eſſe aſſeruit & publicauit, qui in libris ipſius Ioannis Hus, & opuſculis notorie continentur. Quapropter habita per prius plenaria informatione de præmiſſis, & diligenti deliberatione reuerendiſſimorum in Chriſto patrum dominorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, patriarcharum, archiepiſcoporum, epiſcoporum & ceterorum prælatorum & doctorum ſacræ paginæ & iuris vtriuſque in multitudine copioſa, hæc ſacroſancta Conſtantienſis Synodus declarat & diffinit, articulos infra ſcriptos, qui habita collatione per plures magiſtros in ſacra pagina, reperti fuerunt contineri in eius libris & opuſculis manu propria ſcriptis, & quos etiam idem Ioannes Hus in publica audientia coram patribus & prælatis huius ſacri Concilii confeſſus fuit in ſuis libris & opuſculis contineri, non eſſe catholicos, nec tamquam tales eſſe dogmatizandos, ſed ex eis plures eſſe erroneos, alios ſcandaloſos, aliquos piarum aurium offenſiuos, plureſque eorum eſſe temerarios & ſeditioſos, & nonnullos eorumdem eſſe notorie hæreticos, & iamdudum a ſacris patribus & generalibus Conciliis reprobatos & damnatos, ipſoſque prædicare, dogmatizare, aut quomodolibet approbare diſtricte inhibendo. Sed cum infra ſcripti articuli expreſſe contineantur in libris, ſeu tractatibus ſuis, videlicet in libro quem intitulat de eccleſia, & aliis ſuis opuſculis, ideo libros prædictos & doctrinam, & ſingulos alios tractatus & opuſcula in Latino ſiue vulgari Bohemico per ipſum editos, aut in quocumque alio idiomate per alium, vel alios, tranſlatos, hæc ſacroſancta Synodus reprobat atque condemnat, ipſos comburendos publice & ſolenniter in præſentia cleri & populi in ciuitate Conſtantienſi & alibi, decernit & diffinit: adiiciens propter præmiſſa omnem eius doctrinam merito eſſe & fore ſuſpectam de fide, & ab omnibus Chriſti fidelibus euitandam: & vt de medio eccleſiæ illa pernicioſa doctrina eliminetur, hæc ſacroſancta Synodus

ANNO CHRISTI 1415.

Anno Christi 1415. prorsus iubet, per locorum ordinarios, tractatus & opuscula huiusmodi per censuram ecclesiasticam, etiam si opus fuerit, cum adiectione pœnæ & fautoriæ hæresis, diligenter inquiri, & repertos ignibus publice concremari. Si quis autem huius sententiæ ac decreti violator aut contemptor extiterit, statuit eadem sancta Synodus, per locorum ordinarios & inquisitores hæreticæ prauitatis, contra talem vel tales, veluti suspectum vel suspectos de hæresi, procedendum. Visis insuper actis & actitatis in causa inquisitionis de & super hæresi contra prædictum Ioannem Hus habitis & factis, habita per prius fideli & plenaria commissariorum in huiusmodi causa deputatorum relatione, aliorumque magistrorum in theologia, ac doctorum iuris vtriusque in, de, & super actis, actitatis ac dictis testium fide dignorum & plurimorum, quæ dicta ipsi Ioanni Hus palam & publice lecta sunt coram patribus & prælatis huius sacri Concilii, per quorum testium dicta apertissime constat, eumdem Ioannem multa mala, scandalosa, seditiosa, & periculosas hæreses dogmatizasse in publico, & per multa annorum curricula prædicasse: Christi nomine inuocato hæc sacrosancta Synodus Constantiensis, solum Deum præ oculis habens, per hanc diffinitiuam sententiam, quam profert in his scriptis, pronuntiat, decernit & declarat, dictum Ioannem Hus fuisse & esse verum & manifestum hæreticum, ipsumque errores & hæreses ab ecclesia Dei dudum damnatas, & plurima scandalosa, piarum aurium offensiua, temeraria & seditiosa dogmatizasse, & publice prædicasse, in non modicam offensam diuinæ maiestatis, ac vniuersalis ecclesiæ scandalum, & fidei catholicæ detrimentum, claues etiam ecclesiæ & censuras ecclesiasticas vilipendisse, in quibus per annos multos perstitit animo indurato, Christi fideles per suam pertinaciam nimium scandalizans, cum appellationem ad Dominum nostrum Iesum Christum, tamquam ad summum iudicem, omissis ecclesiasticis mediis interposuerit, in qua multa falsa & iniuriosa posuit & scandalosa, ipsius sedis apostolicæ censurarum ecclesiasticarum & clauium in contemptum. Idcirco propter præmissa & alia plura, præfatum Ioannem Hus hæreticum fuisse & esse hæc sancta Synodus pronuntiat, & tamquam hæ-

reticum iudicandum & condemnandum fore iudicat & condemnat per præsentes: dictamque appellationem tamquam iniurioſam & ſcandaloſam & illuſoriam iuriſdictionis eccleſiaſticæ reprobando, ipſumque Ioannem Hus populum Chriſtianum, maxime in regno Bohemiæ, in prædicationibus ſuis publicis & ſcripturis per eum compilatis ſeduxiſſe, ac eiuſdem populi Chriſtiani non veracem prædicatorem euangelii Chriſti ſecundum expoſitionem ſanctorum doctorũ, ſed fuiſſe verius ſeductorem verum: quia per ea quæ hæc ſacroſancta Synodus vidit & audiuit, cognouit eumdem Ioannem Hus pertinacem & incorrigibilem, & adeo totaliter, quod non cupiebat ad gremium ſanctæ matris eccleſiæ redire, neque hæreſes & errores per eum publice defenſatos & prædicatos velle abiurare. Idcirco hoc ſacrum Concilium Conſtantienſe eumdem Ioannem Hus ab ordine ſacerdotali, & aliis ordinibus, quibus exiſtit inſignitus, deponendum & degradandum fore declarat & decernit: committens nihilo minus reuerendis in Chriſto patribus archiepiſcopo Mediolanenſi, Feltrenſi, Aſtenſi, Alexandrino, Bagarenſi & Vaurenſi epiſcopis, vt in præſentia huius ſacroſanctæ Synodi dictam degradationem, ſecundum quod ordo iuris requirit, debite exequantur. Hæc ſancta Synodus Conſtantienſis Ioannem Hus, attento quod eccleſia Dei non habeat vltra quid gerere valeat, iudicio ſæculari relinquere, & ipſum curiæ ſæculari relinquendum fore decernit. Anno Christi 1415.

Articuli damnati Ioannis Hus, de quibus ſupra fit mentio.

1. Vnica eſt ſancta vniuerſalis eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum vniuerſitas. & infra ſequitur. Vniuerſalis ſancta eccleſia tantum eſt vna, ſicut tantum eſt numerus vnus omnium prædeſtinatorum.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecerit actus quoſdam actibus eccleſiæ malignantium conſimiles.

3. Præſciti non ſunt partes eccleſiæ, cum nulla pars eius ab ea finaliter excidat, eo quod prædeſtinationis caritas, quæ ipſam ligat, non excidit. 1. Cor. 13.

4. Duæ naturæ, diuinitas & humanitas, ſunt vnus Chriſtus.

Anno Christi 1415.

5. Præscitus etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctæ ecclesiæ: & prædestinatus semper manet membrum ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia aduentitia, sed non a gratia prædestinationis.

6. Sumendo ecclesiam pro conuocatione prædestinatorum, siue sint in gratia, siue non, secundum præsentem iustitiam, isto modo ecclesia est articulus fidei.

7. Petrus non fuit, nec est caput ecclesiæ sanctæ catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminose viuentes, sacerdotii polluunt potestatem, & sicut filii infideles, sentiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiæ, de clauibus, officiis, censuris, moribus, ceremoniis, & sacris rebus ecclesiæ, veneratione reliquiarum, indulgentiis & ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæsare inoleuit, & papæ præfectio & institutio a Cæsaris potentia emanauit.

10. Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se, vel de alio, quod esset caput particularis sanctæ ecclesiæ: nec Romanus pontifex est caput Romanæ ecclesiæ.

11. Non oportet credere, quod iste quicumque est particularis Romanus pontifex, sit caput cuiuscumque particularis ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinauerit.

12. Nemo gerit vicem Christi, vel Petri, nisi sequatur eum in moribus; cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter a Deo recipiat procuratoriam potestatem: quia ad illud officium vicarii requiritur & morum conformitas, & instituentis auctoritas.

13. Papa non est manifestus & verus successor principis apostolorum Petri, si viuit moribus contrariis Petro: & si quærit auaritiam, tunc est vicarius Iudæ Scariothis. Et pari euidentia cardinales non sunt manifesti & veri successores collegii aliorum apostolorum Christi, nisi vixerint more apostolorum, seruantes consilia & mandata Domini nostri Iesu Christi.

14. Doctores ponentes quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, iudicio sæculari est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas & pharisæos, qui Christum nolentem eis obedire

Ioan. 8. in omnibus, dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari iudicio tradiderunt, eo quod tales sunt homicidæ grauiores quam Pilatus. ANNO CHRISTI 1415.

15. Obedientia ecclesiastica est obedientia secundum adinuentionem sacerdotum ecclesiæ, præter expressam auctoritatem scripturæ.

16. Diuisio immediate humanorum operum est, quod sint vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agat quidquam, tunc agit vitiose: & si est virtuosus, & agat quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium, quod crimen dicitur, siue peccatum mortale, inficit vniuersaliter actus hominis vitiosi, sic virtus viuificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdos Christi viuens secundum legem eius, & habens notitiam scripturæ, & affectum ad ædificandum populum, debet prædicare, non obstante prætensa excommunicatione. & infra: Quod si papa vel aliquis prælatus mandat sacerdoti sic dispositio, non prædicare, non debet obedire subditus.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem euidens est, quod ab Antichristo tales procedant censuræ, quas vocant in processibus suis fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam Antichristi, quam clerus maxime pro se vsurpauit.

20. Si papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc vt Iudas apostolus est diabolus, fur, & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis ecclesiæ, cum nec sit membrum eius.

21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus ecclesiæ & quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

22. Papa, vel prælatus malus & præscitus, est æquiuoce pastor, & vere fur & latro.

23. Papa

ANNO CHRISTI 1415. 23. Papa non debet dici ſanctiſſimus etiam ſecundum officium, quia alias rex etiam deberet dici ſanctiſſimus ſecundum officium; & tortores & præcones dicerentur ſancti: imo etiam diabolus deberet dici ſanctus, cum ſit officiarius Dei.

24. Si papa viuat Chriſto contrarie, etiam ſi aſcenderet per * ritam & legitimam electionem ſecundum conſtitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde aſcenderet, quam per Chriſtum, dato etiam quod intraret per electionem a Deo principaliter factam. Nam Iudas Scarioth rite & legitime eſt electus a Deo Ieſu Chriſto ad apoſtolatum, & tamen aſcendit aliunde in ouile ouium. *Matth. 10. Ioan. 10.*

25. Condemnatio quadragintaquinque articulorum Ioannis Vuicleff per doctores facta, eſt irrationabilis & iniqua, & male facta, & ficta eſt cauſa per eos allegata, videlicet ex eo quod nullus eorum ſit catholicus, ſed quilibet eorum aut eſt hæreticus, aut erroneus, aut ſcandaloſus.

26. Non eo ipſo quo electores, vel maior pars eorum conſenſerit viua voce ſecundum ritus hominum in perſonam aliquam, eo ipſo illa perſona eſt legitime electa, vel eo ipſo eſt verus & manifeſtus vicarius vel ſucceſſor Petri apoſtoli, vel alterius apoſtoli in officio eccleſiaſtico. Vnde ſiue electores bene vel male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipſo, quo quis copioſius operatur meritorie ad profectum eccleſiæ, habet a Deo ad hoc copioſius poteſtatem.

27. Non eſt ſcintilla apparentiæ, quod oporteat eſſe vnum caput in ſpiritualibus regens eccleſiam, quod ſemper cum ipſa militante eccleſia conuerſetur & conſeruetur.

28. Chriſtus ſine talibus capitibus monſtruoſis, per ſuos veraces diſcipulos ſparſos per orbem terrarum, melius ſuam eccleſiam regularet.

29. Apoſtoli & fideles ſacerdotes Domini ſtrenue in neceſſariis ad ſalutem regularunt eccleſiam, antequam papæ officium foret introductum: ſic facerent, deficiente per ſumme poſſibile papa, vſque ad diem iudicii.

30. Nullus eſt dominus ciuilis, nullus eſt prælatus, nullus eſt epiſcopus, dum eſt in peccato mortali.

ANNO CHRISTI 1415.

Sequuntur articuli ex processibus contra Ioannem Hus sufficienter deducti, & probati per testes fide dignos.

Et primo articulus quartus, & etiam octauus, in quibus continetur, quod Ioannes Hus pertinaciter articulos erroneos Vuicleff in ciuitate Pragensi, in scholis & prædicationibus publicis prædicauit & defendit.

Item articulus nonus, in quo continetur, quod propter præmissa, in ciuitate Pragensi secuta est seditio grandis facto, dolo & culpa Joannis Hus, in tantum, quod notabiles viri catholici & Deum timentes coacti sunt exire & latere extra ciuitatem prædictam: stragesque, deprædationes, sacrilegia, aliaque horribilia & execrabilia orta & executa sunt opera, dante & procurante præfato Ioanne Hus cum suis complicibus.

Item articulus decimus, in quo continetur, quod Ioannes Hus continue & in dicta ciuitate Pragensi fuit & erat sectator, fautor & eruditor ac defensor errorum quondam Ioannis Vuicleff hæresiarchæ, & vt talis & pro tali habitus, nominatus & reputatus in ciuitate Pragensi, & in aliis partibus circumuicinis.

Item articulus quintusdecimus, & etiam sextusdecimus, in quibus continetur, quod dominus archiepiscopus Pragensis, exequendo mandatum domini Alexandri felicis recordationis papæ quinti, quo sibi commisit & mandauit, ne extunc in antea aliquis auderet in locis priuatis dictæ ciuitatis, nisi in ecclesiis cathedralibus, collegiatis, parochialibus, monasteriis, & eorum cœmeteriis ad populum prædicare. Quodque præfatus dominus archiepiscopus continuando executionem literarum apostolicarum huiusmodi, inhibuit in generali Synodo tunc Pragæ congregata. Ipse vero Ioannes Hus executioni dictarum literarum, nec non sententiæ & prohibitioni huiusmodi de facto se opposuit; & post eamdem prohibitionem de mense Iunii, & præsertim die vigesimasecunda eiusdem mensis & expost, pluribus & diuersis vicibus in quadam capella Bethlehem nuncupata, prædicauit, & ibidem populum copiosum conuocauit, & conuocari procurauit, contra inhibitionem antedictam.

Item articulus decimusseptimus, in quo continetur, quod præfatus Ioannes Hus tam de dicto mense Iunii anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimo, quam etiam ante & post, in dicta capella prædicando ad populum ibidem collectum, & etiam in diuersis aliis locis ciuitatis Pragensis diuersis vicibus, multos errores & hæreſes tam ex dictis libris dicti quondã Ioannis Vuicleff, quam ex sua

ANNO CHRISTI 1415. proteruitate & dolositate adstruxit, docuit, disputauit, & pro posse defendit, maxime infra scriptos, videlicet:

Quod post consecrationem hostiæ in altari maneat panis materialis, vel substantia panis.

Item decimusoctauus, in quo continetur, quod sacerdos existens in mortali peccato non conficit corpus Christi, non ordinat, non baptizat, &c.

Item decimusnonus articulus, in quo continetur, quod indulgentiæ papæ, siue episcoporum concessæ nihil prosunt.

Item vigesimusprimus articulus, in quo continetur, quod ecclesia sit synagoga satanæ.

Item vigesimusquartus, in quo continetur, quod nulla hæresis debet exterminari per potentiam, sed per disputationem in scholis.

Item articulus vigesimussextus, in quo continetur, quod dictus Ioannes Hus ad seducendum populum & simplices, ausu temerario dixit, quod in Anglia multi monachi & alii magistri conuenissent in quadam ecclesia sancti Pauli contra magistrum Ioannem Vuicleff, & non potuerunt eum conuincere: sed statim tonitruus & fulgur de cælo descendisset super eos, & rupisset ostium ecclesiæ, ita quod ipsi magistri & monachi vix euasissent ad ciuitatem Londonensem. Et hoc dixit ad auctorizandum dictum Ioannem Vuicleff. vnde prorumpendo in hæc verba, dixit ad populum hæc verba: Vtinam anima mea esset ibi, vbi est anima Ioannis Vuicleff. Et post hæc, literam quamdam falsificatam sub sigillo falso vniuersitatis studii Oxonienſis pluries publicauit. In qua continebatur, licet falsè, Ioannem Vuicleff fuisse virum catholicum, & doctorem euangelicum, bonæ famæ & laudabilis conuersationis, ab æuo suæ iuuentutis vsque in diem exitus sui.

Item articulus vigesimusnonus, in quo continetur, quod sæculares debeant auferre clericis bona temporalia; quod hoc esset meritorium.

Item articulus trigesimussecundus, & etiam trigesimusseptimus, in quibus continetur, quod Ioannes Hus existens in excommunicatione & aggrauatione, diuinis se immiscuit, populo prædicauit, & publice dixit, quod non curaret excommunicationem: quia non potest excommunicari aliquis ab homine, nisi prius sit excommunicatus a Deo.

Item articulus trigesimusoctauus, in quo continetur, quod Joannes Hus diuersos errores prædicauit, ex quibus scandala exorta sunt inter prælatos & populum regni Bohemiæ, & magistros ac scholares studii Pragensis, & inobedientia subditorum quo ad

eorum prælatos, & destructio vniuersitatis studii Pragensis. Anno Christi 1415.

Item articulus septimus, in partibus in causa inquisitionis coram archiepiscopo Pragensi datus & oblatus contra eumdem Ioannem Hus, in quo continetur, qualiter Ioannes Hus ad populum dixit: Ecce papa nuper defunctus, videlicet Alexander quintus, nuper scripsit archiepiscopo Pragensi pro extirpandis erroribus Joannis Vuicleff in Bohemia & Morauia, quod ibi sunt multi homines, opiniones & errores Vuicleff contra fidem tenentes, quorum corda sunt hæresi infecta. Et ego dico & regratior Deo, quod ego nullum Bohemum vidi hæreticum, & quod ad verba præmissa populus clamabat, Mentitur, Mentitur.

Item articulus nonus, in quo continetur, quod idem Ioannes Hus dixit in vulgari ad populum: Ecce completa est prophetia, quam prædixerat Iacobus de Theramo: Quod anno Domini millesimo quadringentesimo nono surget vnus, qui euangelium, epistolas & fidem Christi persequetur: per hæc denotando D. Alexandrum, qui in suis bullis mandauit, libros Vuicleff cremari.

Item articulus vndecimus, in quo continetur, quod Alexander papa nuper defunctus, nescio tamen si sit in cælo vel in inferno, qui scribit in cutibus suis asininis, quod archiepiscopus cremare deberet libros Joannis Vuicleff, in quibus multa bona continentur.

Item articulus alius de responsione sua quam fecit, in quo continetur, quod dictus Joannes Hus literam post eius recessum de Bohemia reliquit ad legendum populo, quæ continet: Vt pensantes laborem eius solicitum, quem cum eis habuit, orarent pro eo, starent in doctrina Domini nostri Iesu Christi, scientes, quia nunquam eis errores prædicauit, quos sibi inimici ascribunt. Et si vinceretur per falsos testes, quod non turbarentur, sed starent fixi in veritate.

Primus articulus in se continens, qualiter Ioannes Vuicleff diuersos libros & opuscula in diuersis facultatibus, tam in theologia, quam in philosophia composuit, videlicet dialogum, trialogũ, &c. & quadragintaquinque articulos erroneos, probatur per libros Vuicleff, per sententiam in Romano Concilio promulgatam.

Tertius articulus in quo continetur, quod suprascriptæ conclusiones & articuli sunt erronei, similiter probatur per sententiam in Romano & Constantiensi Conciliis promulgatam.

Quartus articulus in quo continetur, quod Ioannes Hus sæpe & sæpius in disputationibus & in sermonibus publicis conclusiones, articulos & libros, &c. docuit & defendit, probatur per vnum doctorem sacræ theologiæ, qui dicit se vidisse intimationes, in quibus

ANNO CHRISTI 1415. *continebatur, quod Ioannes Hus prætensas conclusiones, libros & articulos tamquam catholicos voluit defendere, &c. per vnum plebanum Pragensis diœcesis fore verum, reddens causam scientiæ, quia ab ore eius sæpius audiuit: per vnum alium plebanum, ex communi fama fide dignorum: per vnum vicarium cuiusdam ecclesiæ Pragensis, de veritate; & reddit bonam causam scientiæ.*

Quintus articulus qui incipit, quod præmissa omnia & singula sunt vera, probatur per testes quoad deposita per eos.

Septimus articulus qui incipit, quod in ciuitate Pragensi sit studium, &c. est notorius.

Octauus articulus, in quo continetur, quod Ioannes Hus pertinaciter articulos erroneos Vuicleff in ciuitate Pragensi, in scholis publicis & prædicationibus publicis prædicauit & defendit, fore verum probatur per vnum plebanum Pragensis diœcesis, reddentem causam scientiæ, quia dicit se sæpius ab eo audiuisse in disputationibus publicis, ac in prædicationibus & sermonibus publicis prædicasse: per vnum abbatem, qui dicit articulum fore verum & notorium ex communi fama: per vnum doctorem in theologia, fore verum de veritate: per vnum decretorum doctorem, ex fama multimoda: per vnum canonicum Pragensem, ex communi fama: per vnum alium plebanum Pragensem similiter de veritate, & reddit diuersas causas scientiæ: per vnum magistrum in artibus & sacræ theologiæ professorem similiter ex communi fama: per vnum alium plebanum Pragensem, etiam ex communi fama: & per plures alios, ex auditu & communi fama.

Nonus articulus, in quo continetur, quod propter præmissa in ciuitate Pragensi fuerunt magna seditio & scandala, &c. fore verum probatur per vnum plebanum Pragensis diœcesis; & reddit diuersas causas scientiæ. Per vnum doctorem in sacra theologia similiter probatur fore verum: per vnum abbatem, qui reddit similiter diuersas causas scientiæ: per vnum vicarium cuiusdam ecclesiæ Pragensis, de veritate: per vnum presbyterum Pragensis diœcesis: per vnum alium doctorem in theologia, qui optime causas scientiæ reddit: per vnum decretorum doctorem, ex auditu fide dignorum: per vnum magistrum in artibus, de veritate: per vnum alium in artibus & sacræ theologiæ magistrum; & reddit optimam causam scientiæ: per vnum presbyterum Lutomuslensis diœcesis, similiter de veritate: per vnum protonotarium, de veritate & notorietate.

Decimus articulus, in quo continetur, quod præfatus Ioannes

Hus continue in dicta ciuitate Pragensi fuit sectator & fautor errorum Ioannis Vuicleff, &c. probatur de veritate per vnum plebanum Pragensis diœcesis, & per alios supra nominatos testes. ANNO CHRISTI 1415.

Vndecimus & duodecimus articuli sunt generales.

Tertiusdecimus articulus, in quo continetur commissio facta archiepiscopo Pragensi per Alexandrum papam quintum bonæ memoriæ. Et quartusdecimus, in quo narratur, quod archiepiscopus condemnauit libros Vuicleff igne comburendos, probatur per bullam Alexandri & sententiam archiepiscopi Pragensis, & per confessionem Ioannis Hus, qui etiam confitetur a sententia huiusmodi condemnationis & combustionis librorum appellasse, vt patet in actis causæ.

Quintusdecimus articulus, in quo continetur executio sententiæ huiusmodi & processus archiepiscopi, similiter probatur per instrumenta, vt in actis. Et inhibitio facta quibuscumque, ne prædicarent conclusiones Vuicleff.

Sextusdecimus articulus, in quo continetur, quod Ioannes Hus post executionem literarum apostolicarum ac inhibitionem (vt præmittitur) factam, diuersis vicibus in capella de Bethlehem ad populum prædicauit, probatur per vnum plebanum Pragensem, de auditu: per vnum doctorem in theologia, de veritate: per vnum abbatem, ex communi fama: per vnum vicarium cuiusdam ecclesiæ Pragensis, de auditu a complicibus Ioannis Hus: per vnum presbyterum Pragensis diœcesis de veritate, qui dicit se vidisse & audiuisse, prout articulatur: per vnum doctorem in theologia optime, qui similiter reddit bonas causas scientiæ: per vnum doctorem in decretis de veritate: similiter per vnum magistrum in artibus, & per multos alios de auditu ex communi fama.

Item confitetur Ioannes Hus, quod prædicauit respectu appellationis suæ, quod obtinuerat vnam inhibitionem; & refert se ad acta causæ.

Decimusseptimus articulus, in quo continetur, quod dictus Ioannes Hus in dicta capella & diuersis aliis locis errores & hæreses, &c. in ciuitate Pragensi prædicauit & dogmatizauit, &c. & præsertim, quod post consecrationem hostiæ in altari manet panis materialis, probatur per vnum plebanum Pragensis diœcesis fore verum, reddentem causas scientiæ, quia ita audiuit ab aliis ex communi voce & fama: & hoc etiam est publicum & notorium. Etiam quoad secundam partem articuli, similiter per vnum doctorem in theologia, qui dicit se audiuisse ab ore Hus, quod te-

ANNO CHRISTI 1415. nuit istam, quod substantia panis post consecrationem manet in sacramento altaris. Et subiunxit, quod etiam audiuit in quadam disputatione, vbi præsidebat quidam magister Richardus, quod Ioannes Hus concessit istam, quod Ioannes Hus esset persona in diuinis. Et quod plures essent personæ in diuinis quam tres. Similiter per vnum doctorem in theologia, fore verum ex communi voce & fama: per vnum abbatem ex communi fama: per vnum vicarium cuiusdam ecclesiæ Pragensis, qui dicit se audiuisse ab ore ipsius Ioannis Hus, prout articulatur. Per vnum alium plebanum Pragensis diœcesis, qui dicit se similiter audiuisse ab ore ipsius Ioannis Hus, prout articulatur: per vnum magistrum in theologia de veritate, & per multos alios, ex communi fama & credulitate fide dignorum. Per vnum magistrum in artibus, plebanum Pragensis diœcesis: per vnum examinatum in partibus: per vicarium archiepiscopi Pragensis, qui dicit se audiuisse magistrum Ioannem Hus prædicasse in capella de Bethlehem de materia corporis Christi: & post multa concluſit, quod dictus Ioannes Hus multis rationibus probabat, opinionem quam tenet ecclesia de sacramento corporis Christi, non fore veram. Similiter per vnum plebanum Pragensem de veritate, dicens se audiuisse a dicto Ioanne Hus, quod post consecrationem maneat panis materialis, siue substantia panis in sacramento. Et cum idem testis replicasset, allegando dicta sanctorum doctorum, scilicet Gregorii: dixit idem Ioannes Hus, quod beatus Gregorius esset vnus ioculator, siue rigmarius, & quod dicta sua rigmatice composuisset. Per vnum prædicatorem ecclesiæ Pragensis, qui dicit, quod cum quadam vice iste Ioannes Hus fuisset in collatione cum aliis magistris, interrogatus quid sentiret de isto articulo, scilicet de sacramento, dixit quod Ioannes Hus respondit, quod hoc possit esse bene, quod post consecrationem maneat panis. Et cum correptus fuisset per testem, tunc dictus Ioannes Hus extraxit quemdam librum de manica sua, & nitebatur probare, quod maneat panis post consecrationem, sicut ante: quem ibi legebat, in quo error prædictus continebatur; & inter cetera legebat in eodem libro, dicens: Inuenerunt ipsi vnum vocabulum inusitatum, videlicet, Transsubstantiatio, vt simplices decipiant. & extunc etiam idem Ioannes obtulit se velle omnibus prædictum librum concedere. Per vnum præpositum, qui videtur concordare cum proximo supra nominato teste, qui ab eo audiuit, quod post consecrationem maneat panis. Per vnum ministrum & pœnitentiarium cuiusdam ecclesiæ Pragensis, qui dixit se semel interfuisse sermonibus Ioannis Hus,

& hoc de anno Domini milleſimo quadringenteſimo ſexto, in æſtate, vbi magiſter Ioannes Hus ad populum prædicando dixit: Ecce ſcribitur in Biblia: Ego ſum panis viuus qui de cælo deſcendi, &c. & hoc in vulgari Bohemico percutiendo manu librum, oportet quod hoc excidam, Ego ſum panis: & ego dico, quod eſt Deus & panis poſt conſecrationem, quia vides albedinem, rotunditatem, ſaporem panis, & fracturam audis, &c. Per vnum prædicatorem & pœnitentiarium, qui dicit ſe audiuiſſe in ſermone magiſtri Ioannis Hus in capella de Bethlehem: Ego dico vobis, quod ibi accidentia cum ſubiecto manent, vt in exemplo, homo in tunica, & anima in corpore, ſic Deus in pane. Per vnum doctorem in theologia Pragenſem, qui optime de veritate de hoc depoſuit. Similiter per vnum plebanum qui dicit articulum fore verum, quia audiuit ab ore ipſius Ioannis Hus, & ſimiliter deponit de tempore & loco: & ſubiunxit, quod audiuiſſet ab eodem Ioanne Hus, quod dicebat: Vtinam Deus vellet, quod anima ſua eſſet ibi, vbi eſt anima Ioannis Vuicleff. Similiter per vnum alium plebanum magiſtrum in artibus, qui dicit ſe audiuiſſe ab ore ipſius Ioannis Hus, quod non eſſet determinatio eccleſiæ, quod accidentia ſtarent in ſacramento altaris ſine ſubiecto: & multa alia depoſuit. ANNO CHRISTI 1415.

Decimus octauus articulus, in quo continetur, quod ſacerdos exiſtens in peccato mortali non conficit corpus Chriſti, &c. probatur per vnum plebanum ex communi fama; per vnum doctorem in ſacra theologia, articulum fore verum ex communi fama: per vnum abbatem, ex communi fama fide dignorum & catholicorum: per vnum alium plebanum, articulum fore verum, qui dicit ſe audiuiſſe ab ore ipſius Joannis Hus. per vnum alium doctorem in theologia, de veritate: per vnum canonicum, qui dicit ſe audiuiſſe præmiſſa a ſequacibus dicti Joannis Hus: per vnum protonotarium de veritate, qui dicit ſe audiuiſſe ab ore ipſius Ioannis Hus, prout articulatur. Et per multos alios de communi fama & credulitate ac auditu. ſimiliter per vnum alium plebanum Pragenſem, qui dixit, quod magiſter Ioannes Hus dixit: Hoc teneatis, quod ſi ſacerdos eſt in peccato mortali, tunc nihil facit, neque conſecrat, nec fit ibi corpus Chriſti, ſed manet ibi ſubſtantia panis ſicut ante. & per plures alios teſtes in partibus productos coram vicariis archiepiſcopi Pragenſis, de veritate & de auditu ab eodem.

Decimus nonus articulus, in quo continetur, quod indulgentiæ papæ ſeu epiſcopi conceſſæ, nihil proſunt, probatur per vnum plebanum Pragenſis diœceſis ex communi fama, per vnum doctorem in theolo-

ANNO CHRISTI 1415. *theologia, esse notorium, prout articulatur: per vnum abbatem, de relatu fide dignorum: per vnum vicarium, ex communi fama: per vnum alium plebanum, fore verum, ex notoria fama fide dignorum. Similiter per vnum alium plebanum, de veritate, qui dicit se audiuisse ab ore ipsius Ioannis Hus: per vnum doctorem in sacra theologia, similiter de veritate: per vnum decretorum doctorem, ex communi fama: per vnum magistrum artium similiter ex communi fama: per vnum canonicum, qui dixit se hoc audiuisse ab his qui hoc audiuerunt ab ore ipsius Ioannis Hus: per vnum alium plebanum Pragensem, ex communi fama: similiter per vnum protonotarium, qui dicit se hoc audiuisse a familiaribus suis. Et per plures alios testes in partibus productos coram vicario archiepiscopi Pragensis, qui dixerunt se audiuisse, quod Joannes Hus dixisset, quod indulgentiæ papæ & episcopi non valent, nisi Deus indulgeat. Et super hoc etiam est producta vna schedula, quam confessus est se composuisse, prout in actis quæ incipiunt, Pax Christi, &c.*

Vigesimus primus articulus, in quo continetur, quod Romana curia, vel ecclesia sit synagoga satanæ, probatur per vnum doctorem in theologia, qui dicit sibi tantum constare, quod Ioannes Hus dixit, quod ecclesia catholica non esset, nisi numerus prædestinatorum: per vnum abbatem de communi fama: per vnum plebanum, ex communi fama: per vnum canonicum, hoc esse verum ex auditu ab ore ipsius Ioannis Hus, prout articulatur: per vnum doctorem in theologia, de veritate: per vnum decretorum doctorem, de communi fama: & per multos alios, qui audiuerunt ab ore ipsius Ioannis Hus: per vnum magistrum artium, qui audiuit ab ore dicti Ioannis Hus, quod curia Romana esset synagoga satanæ.

Vigesimus secundus articulus, in quo continetur, quod præfatus Ioannes Hus præfatos errores tenuit & defendit, probatur per omnes testes superius nominatos, per vnum doctorem in theologia, de veritate: per vnum vicarium, articulum fore verum, ex fama notoria: per vnum abbatem, articulum fore verum, ex communi fama: per vnum plebanum, articulum fore verum, qui audiuit ab ore Ioannis Hus, &c. per vnum doctorem in theologia, de veritate: & per multos alios, ex communi fama, & etiam veritate.

Vigesimus tertius articulus, in quo continetur, quod dictus Joannes Hus docentibus & defendentibus errores huiusmodi adstitit in defensionibus eorumdem, &c. probatur per vnum plebanum, per

vnum doctorem in theologia, qui dicit hoc patere per experientiam: per vnum vicarium, articulum fore verum & notorium: per vnum plebanum, fore verum, qui dicit se vidisse & audiuisse: similiter per vnum doctorem in theologia, verum: per vnum magistrum in artibus, verum: & per multos alios ex communi voce & fama, & etiam veritate. ANNO CHRISTI 1415.

Vigesimus quartus articulus, in quo continetur, quod nulla hæresis debet damnari per potentiam, sed per disputationem in scholis, probatur per vnum abbatem, de auditu ab his qui audiuerunt ab ore ipsius Ioannis Hus: per vnum vicarium, verum, ex communi fama: per vnum doctorem in theologia, verum, qui reddit bonam causam scientiæ: & per multos alios de auditu communi voce & fama.

Vigesimus quintus & vigesimus sextus articuli omittuntur tamquam superflui.

Vigesimus septimus articulus, in quo continetur, quod populus non deberet credere bullis papæ, probatur per vnum plebanum, ex publica voce & fama: per vnum abbatem, * ab auditu ab his qui audiuerunt ab ore ipsius Ioannis Hus: per vnum vicarium probatur, vt per proximum probatum est: per vnum plebanum, de veritate, qui dicit se audiuisse ab ore Ioannis Hus: per vnum doctorem in theologia, de veritate, qui reddit etiam bonas causas scientiæ: & per multos alios, de communi voce & fama & credulitate. * de

Vigesimus octauus articulus, in quo continetur, quod magister Ioannes Hus dixisset: Vtinam anima mea esset ibi, vbi est anima Ioannis Vuicleff: probatur per vnum plebanum, qui dicit articulum verissimum: per vnum doctorem in sacra theologia, qui dicit se audiuisse ab ore ipsius domini Joannis Hus: per vnum alium plebanum, de veritate. Similiter per vnum doctorem in theologia, de veritate, qui reddit optimas causas scientiæ. Per vnum alium plebanum de veritate, qui dicit se hoc audiuisse ab ore Ioannis Hus. Et per multos alios, qui dixerunt se hoc audiuisse ab ore Hus in sermonibus, & alias de publica voce, &c.

Vigesimus nonus articulus, in quo continetur, quod sæculares debent auferre clericis bona temporalia, & quod hoc esset meritorium, probatur per vnum abbatem, de veritate: per vnum vicarium similiter, qui dicit se interfuisse sermonibus, quando talia prædicauit coram familia regis Bohemiæ. Similiter per vnum plebanum, qui similiter dicit se hoc audiuisse ab ore ipsius Ioannis Hus, quia tales conclusiones etiam habentur in tractatibus suis. Et per

Anno Christi 1415. *multos alios de auditu, communi voce & fama, & etiam veritate.*

Trigesimus articulus omittitur, quia generalis est.

Trigesimus primus articulus, in quo continetur, quod praefatus Ioannes Hus fuit excommunicatus, probatur per archiepiscopum Pragensem, & per literas archiepiscopi, & per confessionem ipsius Joannis Hus in actis.

Trigesimus secundus articulus, in quo continetur, quod Joannes Hus post huiusmodi excommunicationem diuinis se immiscuit & populo praedicauit, & quod non possit excommunicari per alium nisi per Deum, probatur per vnum plebanum, quo ad celebrationem: per vnum doctorem in theologia, verum; restringens tamen dictum suum, quoad praedicationem: per vnum abbatem, verum de auditu: per vnum alium plebanum, verum, qui dicit se ita audiuisse in sermonibus suis: per vnum alium doctorem in theologia, verum. Similiter per vnum alium plebanum, verum, quo ad sermones: & per plures alios, de communi voce, fama & credulitate: & per plures alios testes, in partibus coram vicario archiepiscopi Pragensis productos & examinatos.

Trigesimus tertius articulus est superius probatus.

Trigesimus quartus articulus, in quo continetur, quod Ioannes Hus commouit populum contra clerum in sermone, dicens haec verba in effectu: Vere foret necessarium, quod quilibet, prout in lege antiqua Moysi fuit mandatum, vt qui vellet legem Dei defendere, se gladio praecingeret, &c. probatur per vnum doctorem in theologia, verum: per vnum plebanum, verum, ex communi & notoria fama: per vnum plebanum, ex communi fama: per vnum protonotarium, verum. subiungens quod vidit plures schedulas affixas valuis ecclesiarum Pragensium, ex instinctu magistri Ioannis Hus, sic cauentes: Accingat se quilibet gladio suo super femur suum, & non pereat. Et per multos qui audierant ab his qui fuerant in sermonibus Hus.

Trigesimus quintus & trigesimus sextus articuli sunt generales.

Trigesimus septimus articulus, in quo continetur, qualiter praedicauit, quod nullus potest excommunicari ab homine, nisi Deus excommunicaret eum, probatur per vnum plebanum, qui dicit se hoc audiuisse ab ore ipsius Joannis Hus: per vnum alium plebanum, qui dicit se audiuisse a sequacibus suis: per vnum doctorem in theologia, qui dicit, quod istum articulum docuit in tractatu suo de ecclesia: qui etiam allegat multas auctoritates & rationes dicti Ioannis Hus, ad confirmandum conclusionem, seu articulum supe-

rius nominatum. Et per omnes teſtes ſuperius deſcriptos, ex communi voce & fama & credulitate. Anno Christi 1415.

Trigeſimusoctauus articulus, in quo continetur, quod Ioannes Hus diuerſos errores prædicauit, ex quibus magna diuiſio inter magiſtros & ſcholares dicti ſtudii Pragenſis, archiepiſcopum, clerum & populum, eſt orta: quod etiam exorta ſint magna ſcandala & inobedientia populi ad archiepiſcopum & ſuos prælatos, &c. probatur per vnum abbatem, verum, ex communi & notoria fama: per vnum vicarium, verum & notorium: per vnum plebanum ſimiliter verum & notorium: per vnum doctorem in theologia, verum, qui reddit optimas cauſas ſcientiæ. Similiter per vnum decretorum doctorem, verum de veritate: per vnum canonicum, verum de veritate: per vnum magiſtrum in artibus, verum de veritate: per vnum protonotarium, verum & notorium; & per multos alios, ex communi fama & voce, & etiam auditu.

Trigeſimusnonus articulus, in quo continetur, quod Ioannes Hus fuit fautor & nutritor hæreſum, & de his publice diffamatus, probatur per vnum doctorem in theologia: & ab omnibus, præterquam ab his qui ſuam tenent partem, pro tali tenetur. per vnum abbatem, verum: per vnum vicarium, verum & notorium: per vnum plebanum, verum de veritate: per vnum doctorem in theologia, verum de veritate: per vnum decretorum doctorem, verum de veritate: per vnum canonicum, verum quoad primam partem. Similiter per vnum alium doctorem in theologia, verum: per vnum protonotarium, verum quoad primam partem. Similiter per multos alios de communi voce & fama.

Quadrageſimus articulus eſt generalis, & probatus per omnes teſtes.

Super articulis in cauſa inquiſitionis contra Ioannem Hus oblatis & productis in partibus coram vicariis archiepiſcopi Pragenſis, & primo ſuper articulo tertio, qui incipit.

Item ponunt, &c. in quo continetur in effectu, quod Ioannes Hus in contemptu clauium exiſtens excommunicatus, quoniam prædicabat & diuinis ſe immiſcuit, &c. probatur per vnum prædicatorem, qui dicit articulum fore verum, ſaluo quod immiſcuit ſe diuinis: per vnum altariſtam cuiuſdam eccleſiæ Pragenſis, qui dicit, quod quaſi ſingulis diebus dominicis & feſtiuis prædicabat ad populum. per vnum magiſtrum in artibus, verum: per duos notarios publicos, verum: per vnum prædicatorem, verum: per vnum alium notarium, fore verum: per vnum clericum, qui dicit articulum fore verum,

ANNO CHRISTI 1415. *qui dicit ipſum prædicare & diuinum officium peragere. Et vlterius dicit, quod idem Ioannes Hus in ſermone ad populum circa feſtum ſancti Iacobi dixit: Pueri, ſciatis quod archiepiſcopus excommunicauit me, & alios appellantes; & non poteſt alias aliquem excommunicare, niſi quem excommunicat Chriſtus: & non timeatis excommunicationem eamdem. Et per multos alios teſtes de publica voce & fama.*

Quartus articulus, in quo continetur, quod dictus Ioannes Hus multos errores & hæreſes docuit, &c. probatur per vnum plebanum, verum, qui reddit bonas cauſas ſcientiæ: per vnum notarium publicum, verum, publicum & notorium: per vnum clericum, verum. & ſubiunxit, quod audiuit, quod pluries collaudando ſe, dixit in ſermone ſuo: Veniant omnes magiſtri de Pariſiis: Ego volo cum ipſis diſputare, qui libros noſtros cremauerunt, in quibus honor totius mundi iacuit. & per ſex alios de publica voce & fama.

Quintus articulus, in quo continetur in effectu, quod dominus Ioannes Hus populũ in multitudine copioſa in capella Bethlehem congregatum diuerſimode induxit, ſeu inſtruxit & confortauit in dictis erroneis opinionibus, probatur per vnum prædicatorem, articulum fore verum, notorium & manifeſtum: per vnum clericum, de veritate; & adiunxit bonas cauſas ſcientiæ: & per plures alios, de auditu, publica voce, &c.

Sextus articulus omittitur, qui tractat de excluſione Teutonicorum de ciuitate Pragenſi, & expulſione eorumdem, qui non tangit præciſe materiam Vuicleff, licet videatur eſſe probatus.

Septimus articulus, in quo continetur, qualiter Ioannes Hus ad populum dixit: Ecce papa nuper defunctus, videlicet Alexander quintus, nuper ſcripſit archiepiſcopo Pragenſi pro extirpandis erroribus magiſtri Ioannis Vuicleff, etiam in Bohemia & Morauia: & quod ibi ſint multi homines, opiniones & errores dicti Ioannis Vuicleff contra fidem tenentes, quorum corda ſunt hæreſi infecta: & ego dico & Deo regratior, quod ego nullum Bohemum hæreticum vidi. Probatur per vnum prædicatorem de veritate, per vnum altariſtam de veritate, per vnum baccalaureum in artibus de veritate, per duos notarios publicos de veritate, & per multos alios teſtes de veritate, publica voce & fama.

*Octauus articulus, in quo continetur, quod ad verba præmiſſa totus populus clamauit, Mentitur, Mentitur, probatur per vnum altariſtam verus, qui dicit ſe interfuiſſe: per vnum baccalaureum, qui dicit quod, * Mentitur: per vnum præpoſitum,*

* videtur deeſſe, *clamauerunt*

qui dicit, clamauerunt : Mentiuntur, Mentiuntur. Et per plures alios numero sex, de communi voce, &c. ANNO CHRISTI 1415.

Nonus articulus, in quo continetur, quod idem Ioannes Hus dixit, quod anno 1409. surget vnus, qui euangelium & epistolas & fidem Christi persequetur, probatur per vnum altaristam de veritate, per vnum baccalaureum in artibus, per vnum notarium publicum, & per multos alios, &c.

Decimus articulus, qui incipit, Item ponitur, &c. denotando dominum Alexandrum, probatur per vnum altaristam, articulum fore verum, qui dicit, quod interfuit. alii autem deponunt de publica voce & fama.

Vndecimus articulus, in quo continetur, quod papa nuper defunctus; nescit tamen si sit in cælo vel in inferno, qui scribit in cutibus suis asininis, quod archiepiscopus cremare deberet libros Ioannis Vuicleff, in quibus multa bona continentur; probatur per vnum præpositum de veritate, & per multos alios de publica voce & fama.

Duodecimus articulus, in quo continetur: Ecce appellaui contra mandata archiepiscopi, & exnunc appello : vultis mihi adhærere? ad quod totus populus clamauit in vulgari Bohemico : Volumus, & adhæremus : probatur per vnum presbyterum esse verum: per vnum baccalaureum in artibus, esse verum: per vnum notarium publicum, qui dicit, quod interfuit quando dixit: Si totus cœtus cardinalium cum papa dicerent, librorum combustionem iustam esse, nollem consentire. per vnum alium notarium publicum, per vnum rectorem cuiusdam parochialis ecclesiæ, per vnum altaristam, & per multos alios de publica voce & fama.

Decimus tertius articulus non est multum pertinens : ideo omittitur, licet sit probatus.

Decimus quartus articulus, qui incipit, Idem dixit, ideo deberetis, si vultis, mihi adhærere: non timeatis excommunicationem, quia secundum ritum & consuetudinem ecclesiæ appellastis mecum, &c. probatur per vnum notarium publicum, qui dixit audiuisse se a Hus, quod legitime potest se ingerere in diuinis sub tuitione appellationis; dicendo quod illam excommunicationem voluit habere pro benedictione: & per multos alios de publica voce, &c.

Decimus quintus & decimus sextus articuli sunt probati in Constantia per testes ibidem receptos, vna cum articulis sequentibus, coram cõmissariis Concilii; & per multos alios testes in partibus coram vicario archiepiscopi Pragensis, receptos similiter & examinatos.

Item aduertendum, quod coram commissariis sunt nonnulli libri

ANNO CHRISTI 1415. *& opuſcula, videlicet liber de eccleſia, &c. quos libros dictus Ioannes Hus fatetur ſe compoſuiſſe. Verumtamen quod ad articulos extractos ex dictis libris, in ſuis reſponſionibus non præciſe reſpondit, ſed certis modificationibus & limitationibus, vt apparet in actis.*

Item ex actis apparet vna proteſtatio, quæ videtur cruda; & alia in principio articulorum, ſi bene aduertatur.

Item quo ad libros & contenta in eis, remitto me ad dominos theologos.

Subſequenter magiſter Henricus de Piro promotor prædictus, nomine quo ſupra, expoſuit & dixit: ex quo proceſſus debite ſit tentus contra Ioannem Hus, eiuſque doctrinam & dictos articulos, non reſtat aliud niſi concludere & ferre ſententiam.

Quapropter per cauſam huiuſmodi per Synodum prædictam concludi & ſententiam ferri, iuxta petitionem per eum datam, debita cum inſtantia poſtulauit.

Quibus factis dominus Bertholdus de Vuildungen, auditor præfatus, loco quo ſupra exiſtens, mandato & auctoritate Synodi narrauit totum proceſſum habitum coram dominis iudicibus & commiſſariis, in huiuſmodi cauſa deputatis per Concilium, & alias quomodo ab initio cauſæ huiuſmodi fuit in curia Romana, & in partibus coram ordinario loci introducta de verbo ad verbum. Quo proceſſu recitato, idem dominus Bertholdus auditor & deputatus ad hoc, incepit articulos legere, incipiendo: Vnica eſt ſancta eccleſia, &c. & legendo quemlibet articulum, circa ipſum ſummarium teſtium, per quot, quantos, & quales perſonas, dominos, magiſtros, magnos aut paruos, probaretur. Et vſque ad finem articulorum.

Item idem dominus Bertholdus de Vuildungen dixit, qualiter ipſe Ioannes Hus alias in caſtro Buelebenſi Conſtantienſis diœceſis exiſtente, & ibidem detento, articuli memorati fuiſſent ſibi ibidem præſentati per certos deputatos, inter quos ipſe Bertholdus extiterat vnus. Et idem magiſter Ioannes Hus fuit interrogatus, an vellet dictos articulos defenſare, aut confiteri. qui magiſter Ioannes Hus tunc ſubmiſit ſe determinationi Concilii. Et ſubſequenter vno alio tempore ſimiliter inter deputatos nationum, & in præſentia dominorum Cameracenſis & Florentinenſis cardinalium ſimiliter reſpondit. Tertio vero, vt prius, interrogatus reſpondit, vt in ſchedula papyrea in hunc modum manu ſua ſcripta plenius continetur. Cuius ſchedulæ tenor ſequitur in hunc modum.

Ego Ioannes Hus in ſpe ſacerdos Ieſu Chriſti, timens Deum offen-

dere, & timens incidere periurium, nolo abiurare articulos omnes, & quemlibet ex illis, qui per falsos testes in attestationibus producti sunt contra me: quia Deo teste, non prædicaui, nec asserui, nec eos defendi, sicut dixerunt me eos defendisse, prædicasse & asseruisse. ANNO CHRISTI 1415.

Item de articulis extractis de meis libellis, saltem qui sunt debite extracti, dico, quod quicumque ex illis includit aliquem falsum sensum, illum detestor. Sed timendo offendere Deum in veritate, & contra sanctorum sententiam dicere, non quemlibet eorum volo abiurare. Et si possibile esset, quod toti mundo vox mea nunc pateret, sicut omne mendacium & omne meum peccatum in die iudicii patebit, libentissime omnem falsitatem & omnem errorem, quem vnquam ad dicendum conceperim vel dixerim, coram toto mundo reuocarem. Ista dico & scribo libere & voluntarie. Scriptum manu mea propria prima die Iulii.

Hi sunt qui fuerunt commissarii nomine Concilii, missi cum articulis ad ipsum magistrum Ioannem Hus vna vice: videlicet, Ioannes archiepiscopus Rigensis, Antonius archiepiscopus Ragusinensis, Bertholdus Vuildungen, Theodoricus de Monasterio. Hi fuerunt testes; videlicet, Ioannes de Vualden archidiaconus Lubecensis, Petrus Helpurg præpositus Vuetz florienſis, Henricus Heuborch decanus sancti Petri Traiectensis, Petrus de Merachor episcopus Traiectensis.

Subsequenter die Veneris quinta Iulii, in loco congregationis dominorum deputatorum, in domo fratrum Minorum, præsentibus Thoma de Amelia legum doctore, auditore sacri palatii, dominus Cameracensis, dominus Florentinensis, cardinales, patriarcha Antiochenus, episcopus Bathonienſis, episcopus Sareſbirienſis, archiepiscopus Rigensis, archiepiscopus Mediolanensis, episcopus Feltrensis, electus Poznanienſis, dictum magistrum Ioannem Hus interrogauerunt, an vellet abiurare articulos quos confitetur, & qui sunt in libris suis & manu sua scripti: & illos etiam qui sunt probati per testes, quos non negat se dogmatizasse, quantum probantur per testes: an vellet iurare, quod eos non tenet, nec tenebit, sed vult simul cum ecclesia cauere contrarium. Respondit, quod velit stare in eo quod scripsit manu sua in præsenti parte. Et factis sic hinc inde suasionibus, quod non vellet inhærere suæ opinioni, sed potius stare cum tota ecclesia, & cum tot doctis viris, quot sunt hoc sacro Concilio; tandem perstitit in proposito suo præmisso. Qua schedula sic lecta, magister Henricus de Piro promotor prædictus, nomine quo supra, petiit per dominos præsidentes & sanctam Synodum

libros

Anno Christi 1415.

libros ipsius Ioannis Hus, videlicet librum intitulatum de ecclesia, & alios libros suos siue opuscula, in quibus præfati articuli reperiuntur conscripti, condemnari ad comburendum, & sibi super his ministrari iustitiæ complementum.

Petitione ipsius magistri Henrici promotoris facta, reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis, mandato & auctoritate Concilii & generalis Synodi procedendo ad sententiam, protulit eam in scriptis, prout in schedula quam legebat de verbo ad verbum, cuius tenor inferius est insertus, plenius continetur. Veniendo namque ad verbum, siue dictamen, Verum quia, &c. continens cum sequentibus in casu quo abiurare vellet, veniret alia pœna & prolatio sententiæ: reperto demum, Ioannem remanere in peruersitate sua, & dicentem, quod propter homines quos docuit de opposito, non vellet abiurare, sed millesies comburi, quia per eius abiurationem generaretur scandalum illis quos docuit de opposito: ergo nollet aliquo modo abiurare. Et tunc dominus Antonius episcopus obmisit verba illa quæ pertinebant ad abiurationem, & processit ad alia verba sequentia, videlicet, & sumit sententiam, tradendo per sententiam eum iudicio sæculari.

Quibus factis, iuerunt ad ipsum Ioannem Hus reuerendi patres domini archiepiscopus Mediolanensis, suffraganeus domini episcopi Constantiensis, episcopus Bangorensis, pro degradatione ipsius Ioannis Hus, ad locum vbi ipse Ioannes Hus existebat, auctoritate & mandato ipsius sanctæ Synodi Constantiensis, ad finem, quod curiæ sæculari tradi posset, ipsum Ioannẽ degradarunt, legendo verba ad hoc ordinata de libro pontificali, incipientia: O Iuda: amouendo ab eo tamquam ab indigno calicem: & subsequenter solennitatibus ad quodlibet exhibitis, exuebant eum casula, stola, tondentes sibi crines, & similiter amouendo ab eo omnia sacerdotalia & clericalia.

Quibus factis, curia sæcularis recepit eum, & abduxit eum ad locum iustitiæ.

Super quibus omnibus Henricus de Piro petiit approbationem & executionem. Fuitque responsum per dominos deputatos omnium nationum prædictos, ac dominum præsidentem, regemque Romanorum, Placet.

Subsequenter fuit lecta per eumdem episcopũ Concordiensem sententia, cõdemnando illum articulum: Quilibet tyrannus, &c. Et fuit re-

Subsequenter ad petitionem magistri Henrici de Piro, idem dominus Antonius legebat vnã aliam sententiam, condemnando articulum illum, videlicet,

ſponſum per deputatos nationum quatuor, præſidentem & regem, Placet. Item, fuit lecta per dominum Stephanum epiſcopum Dolenſem ſchedula contra impeditores venientium ad Concilia generalia. *Quilibet tyrannus, &c. prout in ſchedula infra ſcripti tenoris continetur. Qua lecta, fuit reſponſum per deputatos prædictos, præſidentem & regem, Placet. Præſentibus ibidem illuſtribus principibus, Henrico duce Bauariæ, Ludouico comite Palatino Rheni, Friderico burgrauio Nurembergenſi, Carolo de Malateſtis domicello Ariminenſi, Ludouico duce Bauariæ, Franciæ & Angliæ, Poloniæ, Norwegiæ, Sueciæ, Daciæ, Ludouici Neapolitani, ducis Mediolanenſis, ambaſiatoribus, Guntero comite Suartzpurg, Euerardo comite de Vuinſperg, comite de Friburg, & aliis nobilibus prælatis & Chriſtianis in numero copioſo.* Anno Christi 1415.

Subſequenter fuit lecta vna minuta per dominum Stephanum epiſcopum Dolenſem, contra impeditores venientium ad Concilium, & recedentium ab eodem: cuius tenor ſequitur inferius.

Tenores vero dictæ ſententiæ diffinitiuæ,& alterius tyrannidis ac minutæ, de quibus ſupra fit mentio, ſeriatim ſequuntur, & ſunt tales.

Condemnatio illius propoſitionis, Quilibet tyrannus.

Præcipua ſolicitudine volens hæc ſacroſancta Synodus ad extirpationem errorum & hæreſum in diuerſis mundi partibus inualeſcentium prouidere, ſicut tenetur, & ad hoc collecta eſt; nuper accepit, quod nonnullæ aſſertiones erroneæ in fide & bonis moribus, ac multipliciter ſcandaloſæ, totiuſque reipublicæ ſtatum & ordinem ſubuertere molientes, dogmatizatæ ſunt, inter quas hæc aſſertio delata eſt: Quilibet tyrannus poteſt & debet licite & meritorie occidi per quemcumque vaſſallum ſuum vel ſubditum, etiam per clanculares inſidias, & ſubtiles blanditias vel adulationes, non obſtante quocumque præſtito iuramento, ſeu confœderatione factis cum eo, non expectata ſententia vel mandato iudicis cuiuſcumque.

Aduerſus hunc errorem ſatagens hæc ſancta Synodus inſurgere,& ipſum funditus tollere,præhabita deliberatione matura, declarat, decernit & diffinit huiuſmodi doctrinam erroneam eſſe in fide & in moribus, ipſamque

Anno Christi 1415. tamquam hæreticam, scandalosam, & ad fraudes, deceptiones, mendacia, proditiones, periuria vias dantem, reprobat & condemnat. Declarat insuper, decernit & diffinit, quod pertinaciter doctrinam hanc pernicioſissimam asserentes, sunt hæretici, & tamquam tales iuxta canonicas sanctiones puniendi.

Constitutio Concilii contra inuasores, seu spoliatores accedentium & recedentium a Concilio.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, vniuersalem ecclesiam repræsentans, in Spiritu sancto ad extirpationem schismatis, hæresumque & errorum, nec non ipsius ecclesiæ in capite & in membris debitam reformationem legitime congregata, ad futuram rei memoriam.

Iustitiam & æquitatem exerceri non dubitatur, si quos noxiæ voluntatis adeo captiuat peruersa intentio, quod processibus apostolicis impudenter obuiantes, auctoritatem sanctionis canonicæ contemnentes, in aliorum prolabuntur iniurias & offensas, ecclesiastica censura percellat, & pro demerito culpæ, rigorem adiiciat iudiciariæ potestatis. Nam si quilibet per campum licentiæ, freno deposito modestiæ, vagaretur impune, facile quisque sæuiret in proximum, & neruus disciplinantis iustitiæ rumperetur. Sane licet nonnulli Romani pontifices, antiquos Romanæ ecclesiæ morem & consuetudinem obseruantes, prout ad eos ex debito apostolatus sibi iuncti officii pertinebat, per certos suos processus in die cœnæ Domini annis singulis solenniter publicantes, inter omnes alios & singulos, qui ad sedem apostolicam venientes vel recedentes ab ea, nec non in illos omnes & singulos, qui per se, vel per alium seu alios, quascumque personas ecclesiasticas vel sæculares ad Romanam curiam super eorum causis & negotiis accedentes, illaque in eadem curia prosequentes, aut procuratores, gestores, aduocatos & promotores ipsorum, ac etiam auditores seu iudices, qui super dictis causis seu negotiis deputantur, occasione causarum seu negotiorum huiusmodi verberant, mutilant vel occidunt, cuiuscumque dignitatis, ordinis, conditionis aut status forent, prædicta vel eorum aliqua committentes, excommunicationis & anathematizationis sententias,

a quibus nullus per alium quam Romanum pontificem posset, præterquam in mortis articulo constitutus, absolui: nec etiam tunc, nisi de stando mandatis ecclesiæ, aut satisfactione præstanda, sufficienti cautione præmissa, candelis accensis, & ad terram proiectis, promulgauerant: & eis qui taliter excommunicatis & anathematizatis, vel eorum alicui præsumerent beneficiũ absolutionis impendere, similibus sententiis innodauerunt, eisque prædicationis, lectionis, administrationis sacramentorum ecclesiasticorum, & confessionem audiendi interdixerunt officium: nec non quicumque iniuriatores quorumlibet ad sacra Concilia generalia venientium, seu stantium in ipsis, aut recedentium ab eisdem, diuersas censuras ecclesiasticas & pœnas tam ex Canonis, quam diuini iuris dispositione incurrant: tamen sicut ad nostram fide dignorum multitudine valida insinuatione peruenit notitiam, nonnulli iniquitatis filii, perditionis alumni, huiusmodi censuras vilipendentes, ac huiusmodi sacri Concilii, extirpationis schismatis, hæresum ac errorum, ipsiusque ecclesiæ reformationis perturbatores, diabolico spiritu instigante, nec dignitati, nec ordini deferentes, Dei timore postposito, nefariis ac sacrilegis ausibus nonnullas personas ecclesiasticas & sæculares, etiam pontificali dignitate præditas, ad sedem apostolicam vel Romanam curiam, seu præsens generale Concilium in ciuitate Constantiensi prouinciæ Moguntinensis, vbi nunc Romana curia existit, in Spiritu sancto legitime congregatum venientes, aut recedentes ab eisdem, inuadere, capere, arrestare, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, ac spoliare bonis suis, vel iniuriis afficere quam plurimis, & alias male tractare, temeritate propria præsumpserunt, & dietim præsumunt in apostolicæ sedis & sacri Concilii vilipendium & contemptum, ac seditionis, schismatis, reformationis ecclesiæ, & correctionis morum, nec non hæresum & errorum prædictorum extirpationis disturbium, suarumque animarum periculum, & scandalum plurimorum.

Anno Christi 1415.

Nos igitur volentes in præmissis, nec non aduersus quoscumque ad ipsum Concilium, & quælibet alia futura generalia Concilia accedentes, aut stantes in ipsis, seu recedentes ab eisdem, ne ab aliis Deum non timentibus, teme-

ANNO CHRISTI 1415. rariis iniuriis infestentur & opprimantur violentiis, & ne quibusuis delinquendi aut excessus committendi pateat audacia, de opportuno & salubri remedio prouidere, huiusmodi, nec non omnes & singulos alios processus, sententias & censuras, aduersus quarumlibet personarum ecclesiasticarum vel sæcularium ad sacra generalia Concilia venientium, aut stantium in ipsis, seu recedentium ab eisdem, molestatores, perturbatores vel iniuriatores, auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, extendentes, omnes & singulos cuiuscumque dignitatis, gradus, status vel conditionis fuerint, etiamsi pontificali, imperiali, regali, vel alia quacumque ecclesiastica vel mundana præfulgeant dignitate, qui quascumque personas ecclesiasticas vel sæculares, quæ ad huiusmodi sedem apostolicam Romanam curiam hoc præsenti sacro durante Concilio, vel ad ipsum & quæcumque alia generalia Concilia venientes, & stantes in ipsis, aut ab eis recedentes, temeritate propria per se, vel alium, alios arrestare, inuadere, capere, detinere, incarcerare, mutilare, occidere, aut bonis suis spoliare, vel iniuriis afficere, seu ipsos sic delinquentes receptare, aut alias quomodolibet impedire, seu ea perpetrantium facta & commissa, rata & grata habere, vel eis dare auxilium, consilium vel fauorem, publice vel occulte, directe vel indirecte præsumpserint vel præsument in futurum, similibus excommunicationis & anathematizationis sententiis innodamus eo ipso. Terras quoque ipsorum & cuiuslibet qui in præmissis, vel eorum aliquo transgressor vel contemptor fuerit, dum * tamen vniuscuiusque sic transgressorum vel contemptorum vltra vnam diœcesim non contineat: nec non omnia, ciuitates, villas, castra, oppida, & quælibet alia loca in quibus huiusmodi excessuum patratores, seu eorum receptatores, vel ipsis consentientes, fauentes aut dantes auxilium, consilium vel fauorem, publice morabuntur: nec non illa, in quibus huiusmodi personæ quæ sic temeritate propria detentæ fuerint, quamdiu extiterint in eisdem, memorata auctoritate ecclesiastico supponimus interdicto. Quod si terra eiusdem duas diœceses vel amplius contineat, dominium domicilii principalis ipsius, & illam etiam in qua fuerit delictum commissum, si sua sit,

* tamen terra

& duas alias quæ ſub ipſo ſunt eidem loco magis * vicinæ, interdicto ſubiacere volumus ſupradicto, ac etiam omnes & ſingulos huiuſmodi excommunicationis & anathematizationis ſententiis ligatos, in quibuſlibet eccleſiis, loco vbi tale delictum fuerit perpetratum, vel terris & locis propter hoc interdictis magis conuicinis vbilibet exiſtentibus, omnibus diebus dominicalibus & feſtiuis, pulſatis campanis, candelis accenſis, publice nuntiari, ac terras, ciuitates, villas, caſtra, oppida & loca eccleſiaſtico interdicto prædicto ſuppoſita, donec ipſi ſic excommunicati meruerint ab huiuſmodi ſententiis beneficium abſolutionis obtinere, dictumque interdictum debuerit relaxari: ita tamen, quod nullus ex tranſgreſſoribus ac contemptoribus huiuſmodi per alium, quam per Romanum pontificem, vel ſacri Concilii auctoritate poſſit, niſi dumtaxat in mortis articulo conſtitutus, nec etiam tunc, niſi de ſtando mandatis eccleſiæ, ſatisfactione vel ſufficienti cautione (ſi hoc commode facere poſſint) primitus præſtita, abſolui, vel interdictum huiuſmodi relaxari. Eos vero cuiuſcumque dignitatis, ordinis, ſtatus aut conditionis fuerint, etiam ſi pontificali dignitate præfulgeant, qui contra tenorem præſentium proceſſuum, talibus vel eorum alicui abſolutionis beneficium impendere præſumpſerint, volumus, ſtatuimus & decernimus ſimilibus excommunicationis & anathematizationis ſententiis fore innodatos eo ipſo; ipſiſque prædicationis, lectionis, adminiſtrationis ſacramentorum, & audiendi confeſſiones officium auctoritate interdicimus ſupradicta, inſinuantes tranſgreſſoribus & contemptoribus in prædictis, quod ſpiritualiter & temporaliter (prout eorum requirent exceſſus & demerita) grauius procedetur, non obſtantibus quibuſcumque conſtitutionibus & quibuſlibet priuilegiis, indulgentiis & literis apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, eiſdem tranſgreſſoribus & contemptoribus, vel quibuſuis aliis communiter vel diuiſim a dicta ſede conceſſis, etiam quod ſuſpendi vel excommunicari, aut eorum terræ, dominia, ciuitates, villæ, caſtra, oppida & alia loca interdici non poſſint, etiam ſi de ipſis eorum tenoribus eſſet in ipſis proceſſibus mentio ſpecialis facienda, quæ, ne contra huiuſmodi ſen-

ANNO CHRISTI 1425.

* f. vicinas

Anno Christi 1415. tentias & proceſſus, quo minus includantur in eis, per ea valeant ſe, terras, dominia, ciuitates, villas, caſtra, oppida & loca huiuſmodi tueri, & quæ quo ad hoc tollimus, & penitus reuocamus. Et inſuper mandamus, vt huiuſmodi præſens proceſſus ad communem omnium notitiam deducatur, chartas ſiue membranas proceſſus continentes eoſdem in maioris & ſancti Stephani Conſtantienſis eccleſiarum valuis affigi, qui proceſſus ipſos ſuo quaſi ſonoro præconio & patulo iudicio publicabunt, vt prædicti quos proceſſus concernent, nullam poſſint excuſationem prætendere, vel ignorantiam allegare, quod ad eos proceſſus huiuſmodi non peruenerint, vel ignorauerint eoſdem: cum non ſit veriſimile remanere incognitum, quo ad ipſos, quod tam patenter fuit publicatum.

Ceterum omnibus & ſingulis dominis patriarchis, primatibus, archiepiſcopis, epiſcopis, ceterorumque locorum ordinariis præcipimus & mandamus, vt ipſi & eorum quilibet per ſe vel alium, ſeu alios, ſub pœna excommunicationis, quam ipſorum quemlibet, qui mandatorum noſtrorum huiuſmodi tranſgreſſor & contemptor fuerit, incurrere volumus ipſo facto, præſentes noſtros proceſſus per eorum, aut chartarum vel membranarum, ſeu tranſſumptorum continentium eoſdem, quibus ſicuti noſtris proceſſibus tantam volumus fidem adhiberi, in eccleſiarum valuis ſeu aliis locis affixionem publicent, & præfatos tranſgreſſores & contemptores huiuſmodi excommunicationis & anathematizationis ſententiis ligatos, ac terras, ciuitates, villas, caſtra, oppida & loca præfata huiuſmodi eccleſiaſtico interdicto ſuppoſita, quamprimum ipſis, vel eorum alicui de hoc legitime conſtiterit, tamdiu in eccleſiis dominicis & aliis feſtiuis diebus, dum inibi maior fuerit populi multitudo, campanis pulſatis, & candelis accenſis & extinctis, denuntient, & interdictum huiuſmodi inuiolabiliter faciant obſeruari per cenſuras eccleſiaſticas, aut alia iuris remedia, inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio brachii ſæcularis, donec ipſi tranſgreſſores & contemptores meruerint ab huiuſmodi excommunicationis & anathematizationis ſententiis abſolutionis beneficium obtinere, dictumque interdictum merito debuerit relaxari, non obſtantibus omnibus ſupradictis,

ANNO CHRISTI 1415.

seu si aliquibus coniunctim vel diuisim a sede prædicta indultum existat, quod interdici, suspendi vel excommunicari non possint per literas apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum, de indulto huiusmodi mentionem. Datum Constantiæ pridie Nonas Iulii, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, sede apostolica vacante, regnorum sereniſſimi principis domini Sigismundi Romanorum & Hungariæ regis, videlicet electionis quinto, coronationis primo, Hungariæ vero vigesimonono.

Finita autem sessione, libri Ioannis Hus fuerunt combusti in platea palatii episcopalis: videlicet liber de ecclesia, & alia opuscula per eumdem composita, igne fuerunt combusta & in cineres redacta, præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, domino Ioanne episcopo Vaurensi, & Petro Olorensi, episcopis, Regone & Rogerio in legibus licentiato, Nicolao de Marienuerder regiæ maiestatis, & Ioanne de Matura de Insula, notariis publicis, clericis Poznanienſis & Tornacensis diœcesis, testibus ad præmissa vocatis & specialiter rogatis.

SESSIO XVI.

DIE Iouis vndecima mensis Iulii supradicti, fuit sessio generalis in maiori ecclesia celebrata Constantiæ, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuarienſis. Et fuit cantatum officium Missæ de Spiritu sancto per reuerendū patrem dominum Nicolaum episcopum Merſburgensem. Quo completo, legebantur litaniæ, &c. more aliarum sessionum: & dominus Andreas electus Poznanienſis legebat certa capitula & ordinationes ser-

DIE Iouis vndecima mensis Iulii prædicti, fuit sessio generalis, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuarienſis, tamquam antiquior cardinalis; præsentibus ibidem reuerendissimis patribus, Angelo Laudensi, Iordano de Vrsinis, Ioanne Ragusinensi, Antonio Aquileiensi, Thoma Tricaricensi, Branda Placentino, Francisco Venetiarum, Petro Cameracensi, Antonio de Salancho, Alamanno Pisano, presbyteris, Landulpho Barensi, Ludouico de Fliſco, Odone de Columna, Lucido de

uandas,

ANNO CHRISTI 1415. uandas, tenoris ſubſequentis.

Comite, Amadeo Salutiarum, Raynaldo de Branckaſiis, & Franciſco Florentino, diaconis cardinalibus. Et fuit cantatum officium Miſſæ de Spiritu ſancto per reuerendum patrem dominum Nicolaum epiſcopum Merſburgenſem. Quo cantato, fuit factum & peractum officium litaniarum cum introitu ſolito, videlicet, Exaudi nos Domine, collectis & orationibus ad hoc requiſitis, ac euangelio, Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, *&c. & hymno, Veni creator Spiritus, collectis, verſiculo, & Benedicamus. Quibus habitis atque peractis, aſcenderunt ambonem, in quo edicta, ſiue propoſita & proponenda ſolent legi, reuerendi patres dominus Andreas electus Poznanienſis, Antonius Concordienſis, Nicolaus Merſburgenſis, Vitalis Tolonenſis, Patricius Cortagenſis, epiſcopi, tamquam deputati per quatuor nationes ad legendum, approbandum, &c. illa quæ Synodus deliberauerit.*

Idem dominus Andreas electus Poznanienſis legebat certa capitula, ordinationes & conſtitutionem ſeruandas de cetero, huiuſmodi ſub tenore.

Deputatio ambaſiatorum ſacri Concilii ad Aragoniam.

Sacroſancta Conſtantienſis Synodus generale Concilium faciens, in Spiritu ſancto legitime congregata, ſecundum mentem & effectum ordinationis ſeu decreti in vltima ſeſſione facti ſeu lecti, ad requirendum dominum Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium in ſua obedientia nominatum, & alia faciendum quæ fuerint neceſſaria & opportuna, facit, conſtituit & ordinat procuratores generales & ſpeciales, videlicet reuerendiſſimos in Chriſto patres dominos, Iacobum Turonenſem archiepiſcopum, Petrum Ripenſem, Iacobum Adrienſem, Ioannem Gebennenſem, epiſcopos, Ioannem abbatem ſancti Eligii * Nouimenſem, Conradum de Suſato, ſacræ theologiæ magiſtros, Ioannem de * Opzis ſacri palatii apoſtolici auditorem, Petrum Paulum de Iuſtinopoli vtriuſque iuris doctorem, Lampertum de ſtipite priorem prioratus conuentualis de Bortua Leodienſis diœceſis, Ioannem Vuellis, Hugonem * Holbbabe, Bernardum de Planta decretorum, & Ioannem de Fabrica legum doctores, præſentes & acceptantes; & Benedictum Gentiani vniuerſitatis Pariſienſis ſacræ theologiæ profeſſorem, abſentem

* Nouiomen.
* Opzis
* Holbalia

tamquam præsentem: ita tamen quod ipsi omnes, aut ipsorum quatuor, vna tamen cum consensu sereniſſimi principis domini Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ regis, si præsens fuerit, aliis non volentibus aut volentibus, cum ipso domino Benedicto decimotertio in sua obedientia nominato, aut aliis ab eo super hoc sufficientem potestatem habentibus, tractare & concludere, ac ipsorum quilibet in solidum, ipsum dominum Petrum Benedictum nominatum (vt præfertur) requirere, & alia coniunctim vel diuisim facere possint, sic & prout in instrumentis publicis super hoc fiendis vel conficiendis, eisque tradendis, plenius videbitur contineri. ANNO CHRISTI 1415.

Quibus lectis, idem dominus Andreas electus Poznanienſis legebat certas minutas ſuper requiſitione Petri de Luna fienda, quarum tenores ſimiliter ſunt inferius inſerti, & quas in continenti ibidem tradidit ad ingroſſandum notariis atque ſcribis propter expeditionem celeriorem. Quibus lectis, iuxta morem alias obſeruatum ſuper approbatione illorum quæ ibi decernuntur & ſtatuuntur, reuerendus pater dominus Antonius epiſcopus Concordienſis nomine nationis Italicæ reſpondit, Placet. Subſequenter dominus Vitalis epiſcopus Tolonenſis pro Gallicana natione, Nicolaus epiſcopus Merſburgenſis pro natione Germaniæ, & Patricius Cortagenſis pro natione Anglicana, reſponderunt, Placet. Similiter dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis præſidens nomine collegii cardinalium reſpondit, Placet.

Deinde magiſter Henricus de Piro procurator expoſuit, qualiter fuiſſent alias productæ bullæ pro parte domini Angeli de Corario tunc Gregorii duodecimi in ſua obedientia nominati, videlicet conſtitutiones ad renuntiandum & reſignandum papatui ſuo; nec non auctorizationis Concilii præſentis: quibus neceſſario ſereniſſimus princeps dominus Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex vna cum aliis ſupradictis procuratoribus per Concilium deputatis, ad Petrum de Luna ituris, vti haberent. Sed quia pericula cuncta euitari debent, quæ euitari poſſunt: ne ergo propter dictarum bullarum captionem, deſtructionem, aut alias malam cuſtodiam, ipſi Synodo Conſtantienſi periculum ſiue damnum generari poſſet, idcirco dictas bullas transſumi mandari per protonotarios, ſiue alios notarios Concilii per dictum Concilium, eiſque Concilii Conſtantienſis auctoritatem & decretum interponi taliter, quod hic & alibi ipſi transſumpto merito fides plenaria adhiberi poſſit.

ANNO CHRISTI 1415. *Et nihilo minus repetit is in valuis ecclesiæ executa, accusans contumaciam omnium illorum quorum interest, non comparentium, neque ipsas bullas transsumi mandare videntium, ac interponi auctoritatem Synodi supradictæ curantium: & in eorum contumaciam dictas bullas transsumi per dictam Synodum instanter postulauit, & super hoc responderi per deputatos prædictos nomine nationum quatuor, ac præsidentem, Placet.*

Quibus sic propositis, domini deputati, videlicet Antonius Concordiensis pro natione Italica, Vitalis Tolonensis pro natione Gallicana, Nicolaus Mersburgensis pro natione Germanica, & Patricius Cortagensis pro natione Anglicana, & Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis pro collegio cardinalium, responderũt, Placet.

Subsequenter magister Henricus de Piro promotor, nomine quo supra, petiit per eamdem Synodum declarari & decerni instrumenta depositionis papatus, renuntiationis & approbationis factarum per Baltassarem de Cossa in Cellis, & alia instrumenta ibidem per eum & nomine eius confecta, registranda & inserenda locis congruis, præsentis causæ registro, ita taliter, quod auctoritate ipsius Synodi ipsis instrumentis & aliis actis & habitis in Concilio Constantiensi & in sessionibus publicis, plenaria adhibeatur fides: & cetera alia petiit, prout inferius plenius continetur. Ad quæ responderunt ipsi domini prælati deputati & præsidens, Placet.

Quibus responsionibus factis & habitis, reuerendus pater dominus Andreas electus Poznanensis, auctoritate & mandato ipsius sacrosanctæ Synodi Constantiensis, pronuntiauit & declarauit quædam capitula siue ordinationes in futurum seruandas huiusmodi sub tenore.

Item eadem sancta Synodus ordinat, iubet & decernit, instrumenta in ratificatione sententiæ depositionis per hoc sacrum Concilium nuper latæ contra dominum Baltassarem de Cossa, olim papam vigesimumtertium, nec non renuntiationis per eum factæ de papatu, seu iure quod in eo poterat prætendere, apud acta ipsius Concilii in loco suo congruo registrari seu inseri.

Item ordinat & decernit, bullas & instrumenta olim domini Gregorii papæ duodecimi in sua obedientia nuncupati, nuper in cessione papatus per eum, seu eius nomine facta in dicto sacro Concilio producta, in formam publicam transsumi, seu de ipsis transsumpta publica fieri per protonotarios & notarios huius sacri Concilii. Quibus transsumptis decernit fidem plenariam adhiberi, tamquam ipsis originalibus auctoritate ipsius Concilii.

ANNO CHRISTI 1415.

Datur iudicibus poteſtas citandi ſub pœna priuationis illos, qui clandeſtine receſſerunt a Concilio.

Item eadem ſancta Synodus reuerendis in Chriſto patribus, Saresbirienſi, Plocenſi, Vaurenſi & Piſtorienſi epiſcopis, alias pro audiendis cauſis ad præſens ſacrum Concilium deuolutis & deuoluendis, ſeu alias ſpectantibus, per idem Concilium deputatis, citandi etiam ſub pœna priuationis per edictum in curia exequendum ſufficienti informatione præuia, omnes & ſingulos prælatos & curiæ officiales, alioſque ad ipſum Concilium vocatos, qui ab hoc ſacroſancto Concilio clandeſtine, ſeu ſine licentia receſſerunt, vt infra certum competentem terminum eis aſſignandum perſonaliter reuertantur & redeant, plenam tribuit poteſtatem.

Quod literæ de iuſtitia expediantur.

Item eadem ſancta Synodus ordinat, vt literæ de iuſtitia, alias in curia expediri ſolitæ, dummodo prius ſecundum antiquam curiæ conſuetudinem debitum curſum ſuum faciant, ſub ipſius ſanctæ Synodi nomine & ſigillo per reuerendiſſimum patrem & dominum Ioannem epiſcopum Oſtienſem ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalem & vicecancellarium expediantur.

Quod præſidentes habeant poteſtatẽ dandi licentiam recedentibus.

Item eadem ſancta Synodus quatuor præſidentibus nationum, vt ipſi omnes, aut eorum tres, ſingulis ad præſens Concilium vocatis, ſeu vocem habentibus, & ab eodem recedere cupientibus (vbi rationabilis cauſa ſuberit) licentiam recedendi dare poſſint, plenam tribuit facultatem.

Mandatur domino camerario, quod cardinalibus, ceteriſque indigentibus debeat de bonis cameræ prouidere.

Item præcipit & mandat domino camerario ſanctæ ſedis apoſtolicæ, aut eius locum tenenti, ſeu vicecamerario, vt dominis cardinalibus & prælatis, ceteriſque indigentibus in hoc ſacro Concilio exiſtentibus, de neceſſariis & vtilibus debeat ſubuenire, & de bonis cameræ prouidere.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Anno Christi 1415. Quibus ordinationibus lectis & pronuntiatis ad requisitionem ipsius magistri Henrici de Piro promotoris, totiusque Synodi, ipsi domini deputati successiue vnus post alium, & demum dominus Ioannes episcopus Ostiensis nomine cardinalium, responderunt, Placet.

Subsequenter magister Henricus de Piro promotor, nomine quo supra, exposuit, qualiter ex plurium fide dignorum relatione, etiam hoc fama publica deferente, quod quidam Carolus de Dueil dominus loci de Remouilla, & Henricus de Turre, cum plurium armatorum comitiua, non tamquam nobiles, sed more prædonum & turbatorum, dominos Carcassonensem & Ebroicensem episcopos, ac magistros Vuilhelmum de Meda decanum Siluanectensem, domini regis Francorum consiliarios, nec non Benedictum Gentiani in theologia, & Iacobum de Spais in artibus & medicina, magistros, per vniuersitatem Parisiensem ad Concilium destinatos, & per serenissimum principem Romanorum regem ad dictum dominum Carolum regem Francorum transmissos, inhumaniter in ducatu Barensi inuaserunt, eosque captiuarunt, spoliarunt bonis, rebus, equis, &c. & aliquos de eorum familia interfecerunt, aliquos vero lætaliter vulnerarunt. Quapropter petiit per ipsam Synodum recipere informationem super tali infamia, & contra eos procedere, & procedendum fore, prout iuris ordo & dictamen rationis id requirit atque postulat; & alias petiit, prout in quadam minuta inferius inserta plenius continetur. Et si placet Synodo, quod deputati respondeant, Placet.

Qua expositione queruloſa (vt præmittitur) facta, domini deputati quatuor nationũ, vnus post alium, & subsequenter dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis Viuarensis, nomine collegii cardinalium responderunt, Placet: & decreuerunt processus contra eosdem & alios impeditores venientes & euntes ad Concilium, & de Concilio recedentes, vt sequitur in minuta, quam dominus Bertholdus de Vuildungen adiutor legebat, prout sequitur inferius. Super quibus idem magister Henricus de Piro promotor nomine procuratorio quo supra, petiit sibi per protonotarios ac notarios Concilii, alioſque notarios & tabelliones ibidem existentes, vnum vel plura fieri instrumentum seu instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem reuerendis patribus dominis, Iacobo electo Pennensi, Ioanne de Thoriariis de Bononia, auditoribus, ambasiatoribus ducis Burgundiæ, regis Daciæ, Sueciæ & Noruegiæ, omnibusque dictam sanctam Synodum Constantiensem repræsentanti-

*bus, nobilibusque * infinitis in multitudine copiosa.* ANNO CHRISTI 1415.

Tenor vero dictarum literarum decretarum contra ipsos Carolum de Dueil, & Henricum de Turre, de quibus supra fit mentio, sequitur in hunc modum. * *alii* for.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, generale Concilium faciens, ac vniuersalem ecclesiam catholicam repræsentans, in Spiritu sancto legitime congregata, venerabilibus episcopis Parisiensi, Metensi, Tullensi, Leonensi, ac eorum vicariis, salutem in Domino sempiternam.

Nuper siquidem processus nostros contra quoscumque molestatores, perturbatores & iniuriatores quarumcumque personarum ecclesiasticarum & sæcularium, ad Romanam curiam & præsens Concilium, nec non quæcumque alia Concilia generalia venientium, stantium in ipsis, aut recedentiũ ab eisdem, in publica dicti sacri Concilii sessione fecimus & publicauimus, cuius tenorem causa breuitatis hic volumus pro inserto haberi. Cum autem ex plurium fide dignorum relatione, etiam fama publica referente, ad nostri notitiam peruenerit, quod nobiles viri Carolus de Dueil dominus loci de Ramouilla, & Henricus de Turre, cum plurium armatorum comitiua, non insequentes facta nobilium, sed suæ salutis immemores, tamquam iniquitatis filii, fideique catholicæ ac præsentis sacri Concilii turbatores, Christianorum inimici, prædonum & tyrannorum more venerabiles Carcassonensem & Ebroicensem episcopos, ac magistros Vuilhelmum de Meda decanum Siluanectensem, serenissimi ac Christianissimi principis Caroli regis Francorum consiliarios, per ipsum; nec non Benedictum Gentiani in theologia, & Iacobum de Spais in artibus & medicina, magistros, per vniuersitatem Parisiensem ad præsens Concilium destinatos: & qui per idem Concilium, nec non serenissimum & illustrissimum principem Sigismundum Romanorum & Hungariæ, &c. regem semper Augustum, huius sacri Concilii aduocatum, protectorem & defensorem, ad dominum Francorum regem pro bono vniuersalis ecclesiæ dictique sacri Concilii, ac honore & vtilitate ipsius Francorum regis, mittebantur cum sua familia & aliis de huiusmodi sacro Concilio & Romana curia redeuntibus, alias ignominiose ac tyrannice in terris Romano imperio subiectis, vno ex capellanis perempto, & duobus ex scutiferis episcopi Carcassonensis prædicti lethaliter vulneratis, crudeliter & sacrilege ceperunt, & nonnullis ex dicta familia & aliis per eosdem nobiles & prædones, equis &

ANNO CHRISTI 1415. bonis deprædatis, & per viam afflictis, & grauiter iniuriatis dimissis, præfatos episcopos, nuntios & alios, nec pontificali dignitati, nec clericali ordini deferendo, ad castrum de * Satyn in ducatu Barensi captiuos inhumaniter duxerunt, eorum bona inter eos vt prædam diuidendo. Et quod postmodũ dictus Carolus præfatos episcopos & aliquos ex notabilioribus captiuis prædictis, volens ipsos ducere longius & transferre, pœnis affligere acrioribus & tormentis, a dicto castro, reliquis captiuis ibi remanentibus, extraxit tempore nocturno, ipsosque per nemora & stagna, flumina pariter & deuia inhumaniter longe perduxit a castro memorato. Quibus ad illustriũ principum, videlicet Barensis primo, & deinde Lotharingiæ, ducum notitiam deductis, ipse videlicet Barensis illos qui in dicto castro captiui remanserant, eodem castro vi armorum capto, & Lotharingiæ duces, episcopos & alios, quos secum duxerat Carolus prædictus, armatorũ potentia, eis ad id communitatibus Metensi, Tullensi & Virdunensi ciuitatum præbentibus auxilium, consiliũ & fauorem, restituerunt libertati, & persuas terras libere conduci fecerunt, eis equos, munera & victualia gratiose concedendo. Nos e. c. præfatos duces & communitates de tantis per eos ipsis episcopis, nuntiis & aliis memoratis, ob sacri Concilii, vniuersalisque ecclesiæ ac regum prædictorum fauorem, gratiis impensis, in Domino collaudantes, nolentesque, sicut nec decet, nec expedit, dictos sacrilegos & quoscumque alios super huiusmodi horrendis & detestandis excessibus, & eis præstantes auxilium, consilium vel fauorem, absque animaduersione relinquere incorrectos, circumspectioni vestræ auctoritate Dei omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus sancti, Amen, committimus, & sub excommunicationis pœna, quam quemlibet vestrum, qui præsentibus nostris mandatis non paruerit, legitima excusatione cessante, & monitione præmissa, incurrere volumus ipso facto, præcipiendo mandamus, quatenus vos, vel duo, aut vnus vestrum per vos vel alium seu alios auctoritate præsentis Concilii, de omnibus & singulis præmissis excessibus & ea contingentibus simpliciter & de plano, sine strepitu & figura iudicii, solicita & fideli diligentia adhibita, tam in vestris ciuitatibus & diœcesibus, quam in locis aliis, quibus expedire videritis, vos informetis, & prædictos nobiles, & omnes alios & singulos clericos, laicos, cuiuscumque dignitatis, status vel conditionis fuerint, etiamsi regali, pontificali, vel alia quauis præfulgeant dignitate: quos per informationem reperiretis commisisse & committi fecisse, vel mandasse prædictos excessus, aut in eis committendis præstitisse

* Stayn

auxilium, consilium vel fauorem, seu eos gratos & ratos habuisse, vel ipsorum excessuum patratores receptasse nominatim, nec non illos de quibus vobis per informationem huiusmodi nominatim constiterit, qui quomodolibet culpabiles fuerint in præmissis iuxta generaliter formam ac tenorem processuum prædictorum, quos pro expressis hic volumus haberi, tamdiu excommunicatos & anathematizatos diebus dominicis & festiuis, pulsatis campanis & candelis accensis, & ad terram proiectis, in eisdem ecclesiis atque locis, cum maior in eis cleri & populi fuerit multitudo, publice nuntietis, & faciatis ab aliis publice nuntiari, & ab omnibus arctius euitari, dictumque interdictum in ecclesiis, & aliis vbilibet iuxta tenorem processuum prædictorum obseruari, donec nobis, præfatoque serenissimo principi Romanorum regi, & prædictis episcopis & nuntiis, ac aliis de sic eis commissis iniuriis ac damnis & interesse satisfecerint, & ablata seu deprædata ab ipsis restituerint, aut super iis cum eis concordauerint, & alias meruerint ab huiusmodi excommunicationis & anathematizationis sententiis absolutionis beneficium obtinere, dictumque interdictum debuerit merito relaxari: ita tamen quod id quod fuerit per vnum ex vobis inceptum, per alium seu alios valeat mediari & finiri. Quod si forte præfati nobiles & prædones de iniuris, damnis & interesse prædictis, eisdem episcopis, nuntiis & aliis, aut alicui eorumdem satisfacere, & ablata eis restituere, seu super hoc cum ipsis concordare per mensem post monitionem eis, vel in locis insignibus per edicta publica super hoc factam, distulerint, eos ad satisfaciendum de iniuriis, damnis & interesse huiusmodi, & eadem ablata restituendum, seu super ipsis concordandum, vt præfertur, auctoritate prædicta præuia ratione compellatis, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Et nihilo minus ad prædictorum nostrorum processuum executionem contra quoscumque ipsorum transgressores & contemptores procedatis in omnibus & per omnia iuxta ipsorum seriem & tenorem, contradictores per censuram ecclesiasticam, & alia iuris remedia, auctoritate prædicta compescendo, non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papæ octaui constitutionibus, in quibus cauetur, ne aliquis extra suam ciuitatem & diœcesim, nisi in certis exceptis casibus, vltra vnam diætam a fine suæ diœcesis ad iudicium euocetur. Sed quod iudices a sede deputati prædicta, extra ciuitatem & diœcesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, seu alii vel aliis vices suas committere, aut aliquem vltra vnam diætam a fine diœcesis eorumdem trahere non præsument, Anno Christi 1435.

Anno Christi 1415. *ment, & de duabus diætis in Concilio generali, quam aliis quibuscumque conſtitutionibus a Romanis pontificibus, tam de iudicibus delegatis, quam de perſonis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, & aliis editis, quæ noſtræ poſſent in hac parte iuriſdictioni atque poteſtati, eiuſque libero exercitio quomodolibet obuiare, nec non omnibus his quæ in dictis noſtris proceſſibus volumus non obſtare. Datum, &c.*

Quibus lectis, domini deputati, & demum dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis præſidens, reſponderunt, Placet.

Mandat Concilium regiſtrari inſtrumenta de ratificatione ſententiæ contra Ioannem papam XXIII.

Item eadem ſancta Synodus ordinat, iubet & decernit inſtrumenta in ratificationibus ſententiæ depoſitionis per hoc ſacrum Concilium nuper latæ contra dominum Baltaſſarem de Coſſa, olim Ioannem papam vigeſimumtertium, nec non renuntiationis per eum factæ de papatu, ſeu de iure quod poterat in eo prætendere, apud acta ipſius Concilii in loco ſuo congruo regiſtrari & inſeri.

Mandat tranſſumi literas de ceſſione Gregorii XII.

Item mandat & decernit, bullas & inſtrumenta olim domini Gregorii papæ duodecimi in ſua obedientia nuncupati, nuper in ceſſione papatus per eum ſeu eius nomine facta, in dicto ſacro Concilio producta, in formam publicam tranſſumi, ſeu de ipſis tranſſumpta publica fieri per protonotarios & notarios huius ſacri Concilii: quibus tranſſumptis decernit fidem indubiam adhiberi tamquam originalibus ipſis, auctoritate ipſius Concilii. Super quibus pronuntiationibus & reſponſionibus prædictis magiſter Henricus de Piro promotor & procurator, nomine quo ſupra, petiit ſibi fieri publicum & publica, inſtrumentum & inſtrumenta, præſentibus dictis dominis, &c. teſtibus, &c. Deputati vero quatuor nationum, earum, & dictus dominus Oſtienſis collegii cardinalium, nominibus approbando, reſponderunt: Placet.

SESSIO XVII.

ANNO CHRISTI 1415.

De receſſu domini imperatoris, quem Concilium benedixit.

DIE Lunæ quintadecima ſupradicti menſis Iulii, Conſtantiæ prouinciæ Moguntinenſis, in eccleſia maiori, in loco ſolito ad hoc ſpecialiter deputato, fuit tenta & ſolenniter celebrata ſeſſio generalis, præſente ibi ſereniſſimo principe domino Sigiſmundo Romanorum & Hungariæ, &c. rege, vna cum quampluribus principibus, ducibus, comitibus, & nobilibus. In qua celebrauit officium Miſſæ reuerendus pater dominus Vdalricus epiſcopus Verdenſis: præſidebatque ſeſſioni huiuſmodi reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis, indutus pontificalibus: & ſingulis ordinatis, legebantur litaniæ, ac aliæ deuotæ orationes more aliarum ſeſſionum. Ipſis autem omnibus expletis, dominus Sigiſmundus rex prædictus ſtetit ante altare genibus flexis in veſte non imperiali, ſed quotidiana, capite denudato, aſſiſtentibus eidem reuerendiſſimis patribus dominis Laudenſi & de Vrſinis ſanctæ Ro-

Die Lunæ decimaquinta menſis Iulii ſupradicti, fuit ſeßio generalis in eccleſia cathedrali Conſtantienſi, mane hora conſueta, pro receſſu ac felici tranſitu ſereniſſimi principis domini Sigiſmundi Romanorum & Hungariæ, &c. regis, ac conceſſionis fiendæ reuerendiſſimo patri domino Angelo Corario cardinali Conſtantinopolitano, olim Gregorio papæ duodecimo in ſua obedientia nominato, nuperrime papatui ſuo renuntianti: præſente ibidem præfato domino Sigiſmundo Romanorum rege in habitu quotidiano, nec non præſentibus reuerendißimis patribus dominis Ioanne Oſtienſi, Angelo Prænestino, Iordano Albanenſi, epiſcopis, Joanne ſancti Sixti Raguſinenſi, Antonio Aquileienſi, Alamanno Piſano, Thoma Tricaricenſi, Branda Placentino, Antonio de Salancho, presbyteris; Amadeo Salutiarum, Rainaldo de Branckaſiis, Ludouico de Fliſco, Landulpho Barenſi, Odone de Columna, Lucido de Comite, & Franciſco Florentinenſi, diaconis cardinalibus. Quibus ſic exiſtentibus, vt præfertur, ibidem fuit celebratum officium Miſſæ per reuerendum patrem dominum Vlricum

ANNO CHRISTI 1415.

manæ eccleſiæ cardinalibus. fuitque interim cantata litania: & cum peruentum eſt ad locum, Vt eccleſiam: dominus præſidens legit in hunc modum: Vt eccleſiam tuam & regem noſtrum imperatorem electum, hic præſentem, eccleſiæ tuæ aduocatũ & defenſorem, ad perfectam redintegrationem vnitatis eccleſiæ præfatæ iter arripienten dirigere, protegere & conſeruare digneris. Fuit reſponſum: Te rogamus, audi nos. Secundo dixit: Vt eccleſiam tuam & eumdem regem electum ab omnibus inimicis viſibilibus & inuiſibilibus præſeruare & defenſare digneris. Tertio dixit: Vt eumdem imperatorem electum etiam ad nos incolumem reducere digneris. Fuitque reſponſum ſecundo & tertio, ſicut primo. Completa litania, ipſe præſidens conuertit ſe ad imperatorem, dicendo preces: Saluum fac ſeruum tuum Domine, nihil proficiat inimicus in eo. Eſto ei Domine turris fortitudinis. Et decantata oratione pro pace eccleſiæ, redeunteque imperatore ad ſedem ſuam, dominus Antonius epiſcopus Concordienſis legit quamdam bullam & alia capitula infra-

epiſcopum Verdenſem, de ſancto Spiritu: & ſermone ad clerum facto per reuerendum patrem dominum Nicolaum Cæretenſem epiſcopum, cuius ſermonis thema fuit, Corpus noſtræ humilitatis. *Officio vero Miſſæ ſolenniter peracto, fuit inceptum officium litaniarum cum introitu, Exaudi nos Domine, more ſolito, cum collectis, orationibus & euangelio:* Deſignauit Dominus & alios ſeptuaginta duos: *ac hymno, Veni creator Spiritus. His peractis, reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis, prædictus præſidens, acceſſit ad altare, ſereniſſimo domino rege Romanorum tranſeunte ad locum præſidentiæ, vbi parabatur ſedes ipſi domino regi, cum dominis Jordano Albanenſi & Angelo Præneſtino epiſcopis cardinalibus, ipſi domino* * reaſſiſtentibus *in officii ſolennitate. Quibus hincinde in locis prælibatis exiſtentibus, fuit ſecundario inceptum officium litaniarum per cantores Synodi. Quibus litaniis dictis, rege in loco ſuo genibus flexis ſtante, prælibatus reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis & præſidens legebat: Vt eccleſiam tuam, & imperatorem electum hic præſentem, eccleſiæ aduocatum & defenſorem, ad perfectiorem redintegrationem vnitatis*

Philipp. 3.

Luc. 10.

* f. regi aſſiſtentibus

scripta tenoris sequentis. *ecclesiæ præfatæ iter arripientem, dirigere, protegere & conseruare digneris. Chorus respondebat: Te rogamus, audi nos. Subsequenter legit: Vt ecclesiam tuam & eumdem imperatorem ab omnibus inimicis visibilibus & inuisibilibus præseruare & defensare digneris. Te rogamus, &c. Tertio legebat: Vt eumdem regem imperatorem ad nos incolumem reducere digneris. Chorus: Te rogamus, &c. Tunc officium litaniarum vlterius more solito fuit completum per cantores siue chorum. Quo finito, idem dominus reuoluit se ad imperatorem, legendo preces ad versiculum: Saluum fac seruum tuum Domine. Respond. Deus meus sperantem in te. Subsequenter: Nihil proficiat inimicus in eo. Respond. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Esto Domine ei turris fortitudinis. Respond. A facie inimici. Domine exaudi orationem meam: Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiscum: Et cum spiritu tuo. Vltimo legebat collectam ad ponendam pacem in ecclesia Dei. His itaque peractis, rex Romanorum præfatus recessit de illa sede, & reuersus fuit ad sedem suam solitam, vna cum dictis dominis cardinalibus sibi in officio assistentibus. Tunc ascenderunt ambonem, in quo edicta & ordinationes sanctæ Synodi Constantiensis solent legi & publicari, reuerendi patres domini Antonius Concordiensis, Vitalis Tolonensis, Nicolaus Mersburgensis, & Patricius Cortagensis, episcopi nomine quatuor nationum, superueniente & ascendente postremo domino Ioanne patriarcha Antiocheno. Quibus ibidem existentibus, dominus Antonius de mandato & auctoritate ipsius sanctæ Synodi legebat schedulam papyream concessionum, legationum, saluiconductus & aliorum indultorum, reuerendissimo patri domino Angelo Corario cardinali Constantinopolitano per Concilium & Synodum concessorum & donatorum, in hunc modum.* ANNO CHRISTI 1415.

Sacrosancta generalis, &c.

Bulla legationis domini Angeli, olim Gregorii duodecimi, & prouisionis eiusdem.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam repræsentans.

Cum Christi fideles piis in Domino & deuotis affectibus, multis temporibus, solicitudinibus, impensis, laboribus atque curis occupati fuerint circa extirpanda

Anno Christi 1415. schismata de ecclesia sancta Dei, & post atque inter omnia alia huius pestiferi morbi quæsita remedia, toti pene Christianitati & huic tandem sacro Concilio Constantiensi facilius & potius antidotum ad hoc exequendum visum fuerit, renuntiationes ac cessiones papatus fieri debere per quemlibet pro papa, seu Romano pontifice se gerentem, præcipue quoque propter pacem & tranquillitatem sanctæ matris ecclesiæ supradictæ, totalis redintegrationis ordinem ad perfectionem auctore bonorum omnium deducendum, laudabili humilitate prosecutus sit dominus, videlicet reuerendissimus dominus Angelus de Corario, qui in sua tunc obedientia Gregorius duodecimus dicebatur, renuntiando videlicet, cedendoque expresse in scriptis realiter & cum effectu, iuri, titulo & possessioni, quod, quem & quam, vel si quod, quem aut quam habuit in papatu, & resignando papatum, & omne ius papatus, titulum & possessionem, quod, quem & quam habebat, vel habere dicebatur, per manus magnifici & potentis viri domini Caroli de Malatestis, pro sancta Romana ecclesia Arimini & nonnullarum aliarum terrarum in temporalibus vicarii & rectoris prouinciæ Romandiolæ generalis, plenum & speciale ad hoc mandatum habentis, quemadmodum in gestis siue actis publicis, in sessione dicti sacri Concilii quarta die huius mensis Iulii facta, per instrumenta authentica comprobatur. Et attendens dicta sancta Synodus Constantiensis, quam sponte & liberaliter in præscriptis cessione, renuntiatione & resignatione per ipsum dominum Angelum, & pro eodem processum fuerit vsque ad effectum Deo gratum & commendabilem incluſiue, & etiam ad ipsius sanctæ Synodi declarationem, antequam ille dominus, qui in sua obedientia dicitur Benedictus, cesserit, aut cedere voluerit, experiretur, quantaque bona ex his sanctæ matri ecclesiæ attulit, ac vniuerso populo Christiano proueniant, sintque Domino largiente prouentura; & quod serenissimus princeps & inuictissimus dominus Sigismundus Dei gratia Romanorum & Hungariæ, &c. rex, supradicta etiam pia consideratione aduertens, quædam capitula seu articulos, personæ securitatem, animi quietem, vitæ & status condecentiam dicti domini

Constant. Concilii sess. 14.

Angeli olim in ſua obedientia Gregorii duodecimi nuncupati, concernentia, dictæ ſanctæ Synodo exhibuit atque porrexit, volens dicta ſancta Synodus, quod eccleſiæ ſanctæ filii videant, quanta ſibi benefacientes ipſa mater eccleſia gratitudine proſequatur, præcipue tanti filii & defenſoris precibus inclinata, ſtatuit, ordinat & decernit, quod dictus dominus Angelus inter ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales ſit, & eſſe debeat epiſcopali titulo, per præſens Concilium, aut futurum Romanum pontificem ſuo tempore pro pace eccleſiæ declarando, cum omnibus honoribus & emolumentis, & aliis debitis ſeu conſuetis perpetuo inſignitus, ſecunduſque poſt Romanum pontificem dignitate & ordine habeatur, nec aliquis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium ſibi in hoc præferatur: ſaluo, ſi dominus ille qui in ſua obedientia dicitur Benedictus, conſimiliter renuntiauerit & ceſſerit ſponte iuri, titulo & poſſeſſioni papatus, quod, quem & quam ſe prætendit habere, & ipſos ambos in eodem loco ſiue tractatu ſimul perſonaliter concurrere contingat, quod tunc in ſacri Concilii ante electionem, & futuri pontificis Romani poſt electionem poteſtate exiſtat, inter ipſos duos gratificando, quis præmineat, ordinare. Inſuper dicta ſancta Synodus ſtatuit, ordinat & decernit, quod dictus dominus Angelus quoad vixerit, ſit ſanctæ ſedis apoſtolicæ in prouincia Marchiæ Anconitanæ & præſidatus * Farcenſis, cum prouiſione, ſalario, gagiis, muneribus & honoribus ſolitis, cardinalis legatus de latere in ſpiritualibus & temporalibus, atque vicarius generalis irreuocabiliter permanſurus, cum omnibus & ſingulis facultatibus & auctoritatibus huiuſmodi legatorum, quæ legatis talibus concedi per ſedem apoſtolicam in forma pleniſſima conſueuerunt: quodque eidem domino Angelo fauores & gratiæ ſedis apoſtolicæ in præbendis beneficiis & aliis prouiſionibus largiflue impendantur. Præterea dicta ſancta Synodus ſtatuit, ordinat & definit, quod idem dominus Angelus, ratione & occaſione ſpiritualis & temporalis adminiſtrationis papatus vere ac putatiue, quomodocumque & qualitercumque vſque in præſentem diem, & quouſque per formam conſtitutionis pridie in dicta ſancta Synodo factæ, eidem lice-

ANNO CHRISTI 1415.

* Farſen. * Farſen.

ANNO CHRISTI 1415. bit, quem & quam habuit aliquando, aut cuiuſuis legationis, vicariatus, ſeu nuntiationis ſedis apoſtolicæ, aut alterius geſtionis, ſiue adminiſtrationis nomine Romanæ eccleſiæ, & maxime in prouincia Marchiæ Anconitanæ, vel alibi, dum minori fungebatur officio, ac etiam occaſione vel cauſa ſuæ perſonæ non poſſit, neque debeat de actis, geſtis, ordinatis, indultis, conceſſis, receptis, leuatis, habitis & erogatis, donatis & alienatis ac effuſis, quitatis, liberatis, aut aliis quibuſcumque, ſeu qualitercumque factis ſeu peractis per eum, ſeu eius nomine, aut quæ ad eum, vel poteſtatem eius quoquo modo peruenerint, ad cuiuſcumque officii vel cuiuſcumque perſonæ inſtantiam, cuiuſuis dignitatis, præeminentiæ, ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis aut ſexus, etiam ſi papalis, pontificalis, imperialis vel regalis exiſtat, de iure vel de facto, aut aliter qualitercumque conueniri, denuntiari, accuſari, vexari, inquietari, impediri ordinarie ſiue extraordinarie, cum promotione vel ſine, in iudicio ſiue extra, per ſe vel per alium, apoſtolica Concilii præſentis, aut alia quauis auctoritate ordinaria vel ſubdelegata, ſeu alias moleſtari, nec contra eum inquiri valeat, nec vllo vnquam tempore realiter vel perſonaliter, ciuiliter vel criminaliter, aut mixtim, ſeu alias quomodocumque, etiamſi dolus vel fraus, aut aliqua alia corruptela circa præmiſſa vel eorum aliquod re ipſa vel alias notari poſſent, aut dicerentur quomodolibet interueniſſe: quodque idem dominus Angelus non teneatur, nec debeat cuiquam (vt præmittitur) perſonæ in iudicio vel extra de præmiſſis vel aliquo eorum, aut dependentibus, emergentibus aut connexis, ſiue prorſus extraneis a præmiſſis vel aliquo præmiſſorum, reſpondere, rationem reddere, aut calculum facere, etiam coram gentibus apoſtolicæ cameræ, vel aliis quouis modo, directe vel indirecte, publice vel occulte, niſi quatenus ſibi propria conſcientia, cui quo ad hoc totaliter relinquatur, dictauerit faciendum. Dicta namque ſancta Synodus ex ſuperabundanti liberat dictum dominum Angelum de his omnibus, vniuerſis & ſingulis, aliiſque, in quibuſcumque pondere, numero & menſura, cuiuſuis qualitatis, quantitatis, generis vel ſpeciei, iuris corpore comprehenſorum, vel non, exiſtant, quæ omnia

hic & eorum valores, nomina, cognomina, qualitates, genera ac ſpecies habere voluit, & vult pro ſpecifice & expreſſe declaratis, ac ſi de eis expreſſa mentio facta foret, etiam ſi ſacra fuerint aut profana, communiter vel diuiſim, ſeu mixtim ad quemcumque valorem aſcendant, attenta libera & ſpontanea ceſſione iuris papatus per ipſum dominum Carolum de Malateſtis procuratorem eius, pridem in huiuſmodi ſancta Synodo facta, pro pace & vnione in eccleſia ſancta Dei prædicta, quantum in eo fuerit, modis omnibus promouendis, quibus Romanæ eccleſiæ obligatus aut obnoxius fuerit, vel dici potuerit, ſiue poſſit; eximit, quitat, liberat penitus & abſoluit: nec non vult & nuntiat eum ab illis omnibus totaliter exemptum, quitatum, liberum & abſolutum: eidemque domino Angelo pro ſe vel ſuis heredibus ac ſucceſſoribus omnia & ſingula ſanctæ Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ cameræ per eum qualitercumque debita, vel alias pro eo plenarie, libere & pure remittit, donat & lagitur. Tollit denique ex certa ſcientia quo ad præmiſſa omnia & ſingula, inualidat atque ſuſpendit dicta ſancta Synodus, tam reſtitutionis in integrum, quam de vacatione ſedis, & omnia alia iura & beneficia, ſiue priuilegia, per quæ Romanæ eccleſiæ apoſtolicæque cameræ prædictæ, aut futuro eius pontifici contra præmiſſa vel aliquod eorum ſubueniri, aut de ipſis vel eorum aliquid infringi, ſeu aliqualiter poſſent tranſgredi aut violari, decernens irritum & inane, ſi quid in contrarium a quouis, quauis auctoritate, vel quouis ingenio vel colore contigerit attentari, non obſtantibus quo ad omnia & ſingula ſupradicta, tam canonicis, quam ciuilibus iuribus & apoſtolicis conſtitutionibus, generalium Conciliorum conſtitutionibus, ac aliis diſpoſitionibus contrariis quibuſcumque. Statuens & ordinans dicta ſancta Synodus, quod quilibet futurus Romanus pontifex omnia & ſingula ſupradicta ſtudeat inuiolabiliter obſeruare, eaque ſuis apoſtolicis literis in forma plena, congrua & decenti approbet, ratificet, de nouo concedat, indulgeat atque confirmet: & quod quicumque Romanum pontificem eligentes, quo ad hoc, ante ſui apoſtolatus inthronizationem ſub vinculo præſtandi iuramenti obligent efficaciter & adſtringant, mandans, ANNO CHRISTI 1415.

Anno Christi 1415. dans & præcipiens dicta sancta Synodus, quod vltra sacri Concilii publica gesta seu munimenta solito more super præmissis conficienda, fiant super præmissis omnibus & singulis, & quolibet eorum ad maiorem certitudinem patentes literæ, sub sigillo Concilii in forma plenissima cum omnibus & singulis clausulis, non obstantibus necessariis, reuocatoriis & derogatoriis, & aliis opportunis dicto domino Angelo, seu alteri vel aliis, pro eo recipienti vel recipientibus, assignandæ.

Quarum quidem ordinationum, concessionum, prouisionum & indulgentiarum schedula, vt præmittitur, lecta, responsum fuit ad contenta in eadem, primo per dominum Antonium Concordiensem pro Italica, Vitalem Tolonensem pro Gallicana, Nicolaum Mersburgensem pro Germanica, & Patricium Cortagensem episcopos pro Anglicana nationibus prædictos, & Ioannem episcopum Ostiensem cardinalem Viuariensem pro collegio cardinalium, Placet.

Quibus, vt præmittitur, factis, Ioannes patriarcha Antiochenus eodem loco existens, de similibus voluntate & mandato legebat vnam schedulam certarum inhibitionis, censuræ & excommunicationis sententias ac priuationes in se continentes, contra omnes & singulos dantes & dari facientes impedimentum dominis prælatis, ambasiatoribus, nuntiis, procuratoribus, & aliis ad Concilium venientibus, & de Concilio recedentibus licentiatis. Nec non dictum impedimentum regiæ maiestati & secum venientibus, siue itinerantibus, in eundo & redeundo Niciam, & de Nicia siue aliis locis per quos transiuerit, & in quos interim fuerit conuentum de mutua visione habenda, prout inferius sequitur.

Item idem patriarcha nomine & auctoritate quibus supra, pro vnione & felici ipsius regis transitu, & suorum, die dominica esse processionem generalem per prælatos sanctæ Synodi Constantiensis, & de cetero domino rege existente foras in itinere, omnibus diebus dominicis esse debere processionem generalem. Et fuit responsum per dominos deputatos prædictos ac cardinalem Viuariensem: Placet. Super quibus venerabilis vir magister Henricus de Piro promotor petiit sibi fieri vnum vel plura, ac tot quot sufficiant, per protonotarios sedis apostolicæ, & notarios nationum & Concilii Constantiensis, & alios singulos ibidem præsentes, publicum seu publica, instrumentum & instrumenta. Præsentibus ibidem illustribus principibus dominis Ludouico comite de Palati-

no Rheni, Friderico burgrauio Nurembergenſi, Carolo de Malateſtis domicello Arimini, & pro ſancta Romana eccleſia in prouincia Romandiolæ rectore generali; Guntero comite de Suuartzburg magiſtro curiæ Romanorum regis, Bertholdo de Vrſinis comite Suanenſi, Ioanne de Paleſthoue, & Zauiſchio dicto Nigro, ambaſiatoribus regis Poloniæ, aliiſque regum, principum & baronum, ciuitatum, vniuerſitatum, ſtudiorum ambaſiatoribus, & ceteris Chriſtianis in multitudine copioſa. ANNO CHRISTI 1415.

Tenor vero dictæ ſchedulæ, per præfatum patriarcham Antiochenum lectæ, de qua ſupra fit mentio, ſequitur & eſt talis.

Quod impediens regem Romanorum in itinere ad regem Aragonum, ſit ipſo iure excommunicatus.

Quia dignum eſt, laborantes pro pace ſacroſanctæ eccleſiæ plena libertate, ſecuritateque gaudere, nulliſque impedimentis ſeu moleſtiis inquietari, hæc ſacroſancta Conſtantienſis Synodus, eccleſiam catholicam repræſentans, in Spiritu ſancto legitime congregata, ſtatuit, definit & ordinat, quod quicumque cuiuſcumque ſtatus aut conditionis exiſtat, etiam ſi regalis, cardinalatus, patriarchalis, archiepiſcopalis, epiſcopalis, ducatus, principatus, comitatus, marchionatus, ſeu alterius cuiuſcumque dignitatis ſeu ſtatus eccleſiaſtici vel ſæcularis exiſtat, qui ſereniſſimum & Chriſtianiſſimum principem dominum Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ, &c. regem, vel alios cum eodem, ad conueniendum cum domino rege Aragonum pro pace eccleſiæ, ad extirpationem præſentis ſchiſmatis per hoc ſacrum Concilium ordinatos, ad dictam conuentionem euntes vel redeuntes impediuerit, perturbauerit vel moleſtauerit, aut aliquod damnum in perſonis aut bonis, aut familiis eorum intulerit, aut inferri per alium ſeu alios, directe vel indirecte, clam vel palam, ſeu quoquo modo inferri procurauerit, ſententiam excommunicationis auctoritate huius ſacri Concilii generalis ipſo facto incurrat, abſolutione eiuſdem ipſi ſacro Concilio, ſeu futuro vnico & indubitato ſummo pontifici, præterquam in mortis articulo, ſpecialiter reſeruata: & vlterius omni honore & dignitate, officio, beneficio eccleſiaſtico vel ſæculari ſit ipſo facto priuatus.

Anno Christi 1415.

Quod celebretur Missa singulis diebus dominicis per Concilium, & fiat processio, & interessentes habeant centum dies indulgentiarum.

Item vt Deus præfati serenissimi principis & aliorum cum eo ad dictam conuentionem ecclesiæ suæ gressus dirigere, & corda illorum cum quibus acturi sunt, ad eamdem pacem seu clementiam inducere, & illos cum dicta pace obtenta ad dictum sacrum Concilium incolumes reducere dignetur, statuit & ordinat sancta Synodus, quod singulis septimanis die dominico fiat processio generalis in hac ciuitate Constantiensi cum Missa solenni: quibus processioni & Missæ omnes prælati in hoc Concilio existentes interesse teneantur, vestimentis pontificalibus (vt est moris) induti. Conceditque dicta sancta Synodus cuilibet præmissorum interessenti centum dies indulgentiarum, & totidem cuilibet presbytero vnam Missam celebranti, & aliis qui deuote semel in die, Pater noster & Aue Maria, pro dicta incolumitate orando dixerint, quadraginta dies indulgentiæ in forma ecclesiæ consueta. Lectis supradictis, per deputatos quatuor nationum, dominum præsidentem, fuit concorditer responsum: Placet.

SESSIO XVIII.

Anno & indictione quibus supra, die vero Sabbati decimaseptima mensis Augusti, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, in qua præsidebat reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, fuitque decantatum officium Missæ de assumptione beatæ virginis Mariæ per dominum Petrum episcopum Olorensem. Quo finito, legebantur litaniæ, & alia fiebant more aliarum sessionum. Quibus expletis, dominus Antonius episcopus Concordiensis legebat articulos inferius descriptos.

cum introitu, Gaudeamus omnes in Domino, prout in festo assumptionis beatæ Mariæ virginis., litaniis & orationibus, Veni creator Spiritus, euangelio, &c. Præsentibus ibidem reuerendissimis patribus dominis, Ioanne episcopo Ostiensi cardinali Viuariensi præsidente, Iordano de Vrsinis Albanensi, Angelo Laudensi Prænestino, episcopis;

Franciſco Venetiarum, Joanne ſancti Sixti, Antonio Aquileienſi, Branda Placentinenſi, Alamanno Piſano, Thoma Tricaricenſi, Guillelmo ſancti Marci, preſbyteris; Raynaldo de Branckaſiis, Amadeo Salutiarum, Landulpho Barenſi, Lucido de Comite, Ludouico de Fliſco & Franciſco Florentinenſi diaconis cardinalibus. Quibus Miſſæ & litaniarum officiis ſolenniter peractis, aſcenderunt ambonem, in quo ſententiæ, edicta, ſtatuta & ordinationes Synodi Conſtantienſis publicari & legi ſolent, reuerendi patres domini Antonius epiſcopus Concordienſis, Andreas electus Poznanienſis, Nicolaus epiſcopus Merſburgenſis, Vitalis epiſcopus Tolonenſis, & Thomas abbas ſanctæ Mariæ extra muros Eboraci ordinis ſancti Benedicti. Idem Antonius epiſcopus Concordienſis de mandato ipſius ſanctæ Synodi legebat quædam capitula, ſtatuta ſiue conſtitutiones obſeruandas ad perpetuam rei memoriam, huiuſmodi ſub tenore. ANNO CHRISTI 1415.

Datur poteſtas iudicibus definiendi, & cauſas per duos cognoſcendi.

Nuper ſacroſancta & vniuerſalis Synodus Conſtantienſis reuerendos in Chriſto patres dominos Piſtorienſem, Vaurenſem, Plocenſem & Saresbirienſem epiſcopos, ad audiendum cauſas & querelas ad ipſum Concilium deuolutas & deuoluendas, ſeu deducendas, vſque ad ſententiam excluſiue, deputauit. Nequiens igitur ipſa ſancta Synodus, diuerſis aliis occupata negotiis, ipſarum cauſarum finali deciſioni intendere; nolenſque eas abſque finali deciſione diu propterea remanere, prædictis dominis epiſcopis etiam cauſas ipſas finaliter, ſummarie, ſimpliciter, & de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii, finiendas & terminandas, aſſumptis ſibi in rimandis proceſſibus & ſententiis proferendis quatuor aſſeſſoribus de quatuor nationibus eiuſdem Synodi per eos eligendis, partibus non ſuſpectis, ſuper quo eorum conſcientiæ onerentur, cauſis tantum cathedralium eccleſiarum & maioribus earumdem cauſarum dumtaxat exceptis, plenariam tribuit poteſtatem. Et vt eo facilius negotia & cauſæ ad finem optatum perueniant, eadem ſancta Synodus, vt ipſi quatuor, aut tres, aut duos ex ipſis, aliis ſtatutis horis non venientibus, terminos ipſos in ipſis cauſis occurrentes, teneri & obſeruari facere, & alias vſque ad definitiuam ſententiam excluſiue in

Anno Christi 1415. causis ipsis procedere possint & valeant, ordinat, statuit & decernit.

Quod adhibeatur fides bullæ Concilii.

Item statuit, ordinat & decernit dicta sancta Synodus, quod quibuscumque veris literis sub bulla ipsius Synodi conficiendis, in quibuscumque causis, negotiis & factis stetur firmiter in iudicio & extra, vbicumque exhibitæ fuerint vel ostensæ: illaque fides ipsis exhibeatur, quæ veris literis apostolicis bullatis consueuit & debet merito adhiberi: ac eamdem vim, illudque robur habeant in omnibus & per omnia, quam & quod ipsæ literæ apostolicæ habent, & habere debent & possunt quoquo modo. super cuius bullæ vsu & custodia per Concilium deliberabitur.

Quod committentes falsum circa bullam Concilii, puniantur sicut falsarii literarum apostolicarum.

Item prædicta sancta Synodus similiter statuit, ordinat & decernit, quod omnes & singuli qui dolum & fraudem seu fallitatem aliquam circa huiusmodi literas bullandas dictæ Synodi pro tempore forsitan commiserint, & illi etiam qui in hoc consenserint, aut talia fieri procurauerint, vel literis falsis scienter vsi fuerint, illas censuras ecclesiasticas & pœnas incurrant, quas falsificatores literarum apostolicarum, & qui illis literis scienter vtuntur, nec non participes illius causæ, idem crimen incurrunt iuxta canonicas sanctiones.

Quod literæ expediantur super gratiis per olim papam Ioannem concessis, exceptis exorbitantibus & expectatiuis.

Item similiter statuit, decernit & ordinat dicta sancta Synodus, quod literæ super omnibus & singulis gratiis per dominum Baltassarem tunc Ioannem papam vigesimumtertium factis, vsque ad ipsius administrationis suspensionem in spiritualibus & temporalibus, scilicet, quæ fuit die Martis 14. mensis Maii præsentis anni, signatis, possint & debeant per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Ioannem episcopum Ostiensem, sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalem & vicecancel-

larium, & quatuor ſibi adiunctos de quatuor nationibus, videlicet dominos Concordienſem pro Italica, Ariminenſem pro Gallicana, Theodoricum * Voym pro Germanica, & dominum Robertum * Appellienſem pro Anglicana, auctoritate dictæ Synodi ſub modis & formis, quibus ſummi pontifices literas gratiarum & conceſſionum ſuorum prædeceſſorum Romanorum pontificum in ſimilibus expedire conſueuerunt, iuxta conſtitutiones & regulas ac obſeruantias & ſtylum cancellariæ apoſtolicæ, & ſub nomine & bulla dictæ Synodi expediri, expectationibus & exorbitantiis dumtaxat exceptis. ANNO CHRISTI 1415. * Noyon *Niem *Appelté *f. Sareſbirienſem.

Ego Antonius epiſcopus Concordienſis, die Sabbati decimoſeptimo præſentis menſis Auguſti, milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, ſupraſcriptam ſcripturam, prout iacet, de mandato omnium quatuor nationum totius generalis Synodi Conſtantienſis, legi, recitaui, & alta voce publicaui in ſeſſione publica totius ipſius generalis Synodi Conſtantienſis in maiori eccleſia Conſtantienſi congregatæ. In cuius fidem hic manu mea ſubſcripſi.

Qua quidem ſchedula lecta, idem dominus Antonius epiſcopus Concordienſis legebat vnam aliam ſchedulam deputationis ambaſiatorum ad Italiam nomine Synodi prædictæ mittendorum, huiuſmodi ſub tenore.

Deputantur ambaſiatores ad Italiam.

Sacroſancta Synodus Conſtantienſis mittit ambaſiatores ſuos ad reuerendiſſimum patrem & dominum, dominum Angelum Corarium epiſcopum cardinalem, olim Gregorium XII. in ſua obedientia nominatum, & dominos cardinales ſecum exiſtentes, & ad alias partes Italiæ ſuper factis & negotiis vnionis eccleſiæ, cum inſtructionibus & facultatibus deliberatis & concluſis: quorum ambaſiatorum nomina ſunt hæc, videlicet, domini archiepiſcopus Mediolanenſis, archiepiſcopus Raguſinus, epiſcopus ſancti Flori, abbas Florentinenſis præpoſitus Quinqueeccleſiarũ, magiſter Ioannes * Scholii, &c. Quibus lectis, fuit per deputatos & præſidentem concorditer reſponſum: Placet. *Scholis, Stobyn.

Ego Antonius epiſcopus Concordienſis de mandato quatuor nationum generalis Synodi Conſtantienſis, præſentem ſchedulam legi & publicaui die decimoſeptimo menſis Auguſti, anno milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, in ſeſſione publica eiuſdem

Anno Christi 1415. *generalis Synodi. Seßio propter cauſas fuit prorogata ad aliam diem.*

Anno & indictione quibus ſupra, die vero Veneris vigeſima menſis Septembris, facta fuiſſe debuit ſacroſancta Conſtantienſis Concilii ſeßio; pro qua quidem ſeßione fienda certæ in valuis eccleſiarum Conſtantiæ fuerunt poſitæ ſchedulæ: quæ tamen ſeßio certis de cauſis rationabilibus ipſum Concilium mouentibus ad diem Lunæ extunc proxime ſequentem fuit prorogata.

SESSIO XIX.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, indictione octaua, die Lunæ vigeſimatertia menſis Septembris, ſede apoſtolica vacante, fuit celebrata ſeſſio generalis per Synodum Conſtantienſem, in qua fuit celebratum officium Miſſæ per reuerendum patrem dominum Nicolaum epiſcopum Aſſiſinatenſem. Qua Miſſa celebrata, incipiebantur litaniæ, & alia fiebant, vt in ſeſſionibus fieri ſolitum eſt. Præſidebat vero in eadem ſeſſione reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis Viuarienſis. In qua ſeſſione Hieronymus de Praga per reuerendiſſimum dominum Petrum cardinalem Cameracenſem & alios deputatos per Concilium, in materia fidei inſtructus & informatus de fide recta ſanctæ matris eccleſiæ, qui iam fuerat accuſatus de hæreſi, & per Concilium ſuper hoc incarceratus, quamdam reuocationis ſeu abiurationis papyri ſchedulam, ſtans in ambone publice, alta & intelligibili voce legebat, reuocans & abiurans, prout in eadem ſchedula, cuius tenor ſequitur, continetur.

Abiuratio Hieronymi de Praga.

Ego Hieronymus de Praga artium liberalium magiſter, cognoſcens veram catholicam eccleſiam & apoſtolicam fidem, anathematizo omnem hæreſim, præcipue eam, de qua hactenus infamatus fui, & quam præteritis temporibus dogmatizauerunt & tenuerunt Ioannes Vuicleff & Ioannes Hus in ſuis opuſculis, libellis ſeu ſermonibus ad clerum & ad populum, propter quam cauſam prædicti cum ſuis dogmatibus & erroribus damnati ſunt ab hac dicta Conſtantienſi Synodo tamquam hæretici, & eo-

rum doctrina prædicta ſententialiter damnata, maxime in nonnullis articulis expreſſis, in ſententiis per hoc ſacrum Concilium contra ipſos latis. Conſentio autem ſanctæ Romanæ eccleſiæ & apoſtolicæ ſedi & huic ſacro Concilio, & ore ac corde profiteor in omnibus & per omnia, & præſertim de clauibus, ſacramentis, ordinibus, officiis & cenſuris eccleſiaſticis, indulgentiis, & reliquiis ſanctorum, & eccleſiaſtica libertate, ac etiam de ceremoniis, & aliis omnibus ad religionem Chriſtianam pertinentibus, prout ipſa Romana eccleſia & apoſtolica ſedes, & hoc ſacrum Concilium profitentur: & ſpecialiter, quod prædictorum articulorum plures ſunt notorie hæretici, & dudum a ſanctis patribus reprobati: quidam vero blaſphemi, alii erronei, alii ſcandaloſi; quidam vero etiam piarum aurium offenſiui, & ipſorum nonnulli temerarii & ſeditioſi: & pro talibus fuerunt prædicti articuli per hoc ſacrum Concilium & nuper condemnati, & inhibitum omnibus & ſingulis catholicis ſub anathematis interminatone, ne de cetero dictos articulos ſeu eorum aliquem aliquis prædicare, dogmatizare, vel tenere præſumeret. ANNO CHRISTI 1415.

Item ego Hieronymus antedictus, quia in nonnullis artibus ſcholaſticis ad perſuadendam opinionem de vniuerſalibus realibus, & quod vna communis generis eſſentia eſſet homo, leo, bos, &c. quodque vna eſſentia ſpecificaſſet plura eiuſdem ſpeciei ſuppoſita & quodlibet eorum, vt Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, & ſic de ſingulis; & ad hoc inducendū velut exemplo ſenſibili deſcripſi quamdam triangularem figuram, quam ſcutum fidei nominaui: ideo ad excludendum intellectum erroneum & ſcandaloſum, quem fortaſſis aliqui ex hoc accipere potuerunt, dico, aſſero & declaro, quod dictam figuram non feci, nec eam nominaui ſcutum fidei ea intentione, quod vellem dictam opinionem de vniuerſalibus extollere ſuper opinionem contrariam, ſic quaſi eſſet ſcutum fidei, quod ſine eius poſitione non poſſet fides aut catholica veritas protegi & defendi, cum nec dictæ poſitioni velim pertinaciter adhærere: ſed hoc ideo dixi, quia in dictæ figuræ triangularis deſcriptione ponebam exemplum, quod diuina eſſentia eſt tria differentia ſuppoſita & quodlibet eorum, ſcilicet Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, qui quidem Trinitatis

ANNO CHRISTI 1415. nitatis articulus, est præcipuum scutum fidei, & veritatis catholicæ fundamentum. Præterea vt cunctis pateat, quæ fuerunt causæ, quare fui reputatus adhærere & fauere dicto quondam Ioanni Hus, notum facio per præsentes, quod cum multoties audiuissem eum in prædicationibus & scholis, credidi eum virum bonum esse, nec in aliquo obuiare traditionibus sanctæ matris ecclesiæ ac sanctorum doctorum. Imo etiam cum nuper in hac ciuitate mihi fuissent oblati articuli per eum positi, & per hoc sacrum Concilium damnati, prima fronte non credidi suos esse, saltem in ea forma. Cumque ab aliquibus egregiis doctoribus ac magistris in sacra pagina audiuissem affirmari quod sui erant, postulaui pro mea plena informatione, mihi ostendi libros manus suæ, in quibus dicti articuli contineri dicebantur. Quibus mihi ostensis, manu propria eiusdem scriptis, quam vt meam propriam bene cognosco, dictos articulos omnes & singulos in ea forma qua damnati sunt, reperi esse conscriptos. Vnde non immerito comprehendi & comprehendo ipsum & suam doctrinam cum eorum sequacibus per hoc sacrum Concilium damnatam & reprobatam fuisse, tamquam hæreticam & insanam. Et hæc omnia supradicta dico pure & sine conditione, vt iam plene & sufficienter informatus de prædictis sententiis latis per hoc sacrum Concilium contra doctrinas dictorum quondam Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus, & contra ipsorum personas: quibus sententiis tamquam deuotus catholicus in omnibus & per omnia humiliter consentio atque adhæreo.

Item ego idem supradictus Hieronymus, qui alias coram reuerendissimis patribus dominis cardinalibus, & venerandis dominis prælatis & doctoribus, & aliis venerabilibus personis huius sacri Concilij, in isto eodem loco voluntarie, libere & spontanee exponens & declarans intentionem meam, inter alia loquens de ecclesia, eam trifarie distinxi, & vt percepi postea, tunc a quibusdam intellectum est, quod vellem dicere, quod in ecclesia triumphante esset fides, cum tamen credam firmiter, quod ibi sit beatificata visio, ænigmaticam cognitionem excludens: nunc dico, assero & declaro, quod nunquam fuit intentionis meæ dicere, quod ibi esset fides sub ratione fidei,

sed cognitio fidem subæquiualenter excedens. Et generaliter quidquid ibi vel antea dixerim, refero & subiicio humili corde determinationi huius sacri Concilij Constantiensis. ANNO CHRISTI 1415.

Insuper iuro, & per sanctam Trinitatem & per hæc sacrosancta euangelia, me in veritate ecclesiæ catholicæ semper & sine dubio permansurum, & omnes qui contra hanc fidem venerint, cum dogmatibus suis æterno anathemate dignos eos pronuntio. Et si ego ipse aliquando (quod absit) aliquid contra sentire aut prædicare præsumpsero, Canonum seueritati subiaceam, & æternæ pœnæ obligatus inueniar. Hanc autem * confessionem & professionis meæ paginam coram hoc sacro Concilio generali libere & voluntarie porrigo, & eidem me propria manu subscripsi, & hæc singula conscripsi. * professionem,

Deinde dominus Bertholdus de Vuildung sacri palatii apostolici causarum auditor legebat quamdam ordinationis schedulam conceptam super regula sancti Francisci, & alia infra scripti tenoris subsequentis de consensu partium.

Dilectis ecclesiæ filiis, generali & prouincialibus ministris, custodibus, ceterisque ordinis Minorum professoribus, salutem & omnipotentis Dei benedictionem. *Rota

Supplicationibus personarum, quæ voto religionis sunt adstrictæ, illis præsertim libenter annuimus, quas ad finem tendere conspicimus, per quem personæ ipsæ sub * pacata tranquillitate iuxta suam professionem quiescant, ac sedulum & tranquillum in humilitatis spiritu Domino reddere valeant famulatum. Nuper siquidem supplicatio pro parte religiosorum virorum guardianorum & fratrum vestri ordinis conuentuum, videlicet Sagiensis, de sancto Audomaro Morinensis diœcesis, de Varennis Rhemensis, de Dola Bisuntinensi, de la Valle Cenomanensis, de Elicio Nannetensis, de Ambasia Turonensis, de sancto Ioanne Angeliacensis, Xantonensis de Bercorio, de Toleto & de Fontiniaco communitatis Maleacensis diœcesis, infra prouincias Franciæ, Burgundiæ, & Turonensem, iuxta modum dicti ordinis existentium, nobis humiliter præsentata continebat, quod diuina cooperante clementia, temporibus his nouissimis regularis obseruantia vestri iam * placida

ANNO CHRISTI 1415. dicti ordinis in præfatis conuentibus inceperat vigere, ſed variis obſtantibus impedimentis per miniſtros & cuſtodes illarum prouinciarum eis præſtitis, in ipſa ſtricta obſeruantia non mediocriter impediebantur, quorum impedimentorum occaſione ſcandala multa pullulabant: humiliter & deuote ſupplicantes, quatenus eis de remedio opportuno prouidere dignaremur. Nos igitur eorum ſupplicationibus tamquam iuſtis benigne annuentes, cupienteſque multa ſcandala veſtri ordinis tollere, atque vnitate in eo conſeruata fratres in pacis dulcedine conſeruare, ſtatuimus & decernimus, eiſdem ſupplicationibus fore prouidendum, & de facto, tenore præſentium eis prouidemus, iuxta formam per reuerendiſſimos patres dominos, videlicet Iordanum epiſcopum Albanenſem de Vrſinis, ipſius ordinis protectorem, & Petrum tituli ſancti Chryſogoni presbyterum cardinalem Cameracenſem, vulgariter nuncupatos, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinales, & alios ex parte huius ſacri Concilii ſuper hoc deputatos, ſpecialiter auiſatam, ordinatam & traditam, atque per religioſum virum fratrem Ioannem *Rhotani in ſacra pagina profeſſorem, & vicarium miniſtri generalis antedicti, vna cum aliis pluribus magiſtris & diſcretis patribus ipſius ordinis ex vna parte, & fratres prænominatos conuentus repræſentantes ex alia concordatam, videlicet quod fratres conuentuum prædictorum de cetero, & quouſque aliud ſuper hoc per ſacrum Concilium generale fuerit ordinatum, poſſint & valeant, quilibet in ſua prouincia, eligere de ſua ſtricta obſeruantia vnum fratrem idoneum, quem in ſcriptis miniſtro illius prouinciæ præſentatum, ipſum dictus miniſter infra triduum poſt huiuſmodi præſentationem ſuum vicarium conſtituere debeat, ad ipſos regendum in ſolidum loco & vice eius, & eis prouidendum in omnibus quibuſcumque & ipſis modis quibus ipſe miniſter prouincialis etiam prouidere poſſet, ita quod de ipſorum fratrum regimine in nullo poſſint ſe intromittere dicti prouinciales, vel cuſtodes, ſed ad ipſos vicarios cura & correctio eorum omnino pertineat, excepto quod ad ſuæ ſuperioritatis cognitionem miniſter prouincialis ipſos poſſit, ſi voluerit, viſitare in propria perſona, & tunc punire de conſenſu maio-

*Rota

rum & discretorum conuentus, in quo fiet hæc visitatio, quidquid punitione dignum repererit: quem si constituere renuerit modo prædicto, extunc constitutio eiusdem præsentati ad vicarium ministri generalis inferius annotatum deuoluatur & pertineat absolute. Qui quidem vicarii huiusmodi trium prouincialium possint & debeant vna cum fratribus discretis sibi subditis, forma solita in electionibus ordinis seruata, insimul eligere inter se vnum alium fratrem ad hoc sufficientem & idoneum pro eorumdem vicariorum correctione & totius strictæ huius obseruantiæ in prædictis prouinciis meliori regimine, quem per eos in scriptis ministro generali ordinis, qui erit pro tempore, humiliter præsentatum, ipsum minister super illos suum vicarium constituere infra triduum post illam præsentationem benigne debeat & caritatiue: alioquin ipso triduo transacto, sit & habeatur vicarius ipsius generalis, auctoritate ipsius sacri Concilii constitutus. Qui quidem vicarius generalis in sua congregatione, vel alias solus debeat & possit vicarios prætactos (quoties opus erit) punire, & ipsis ac fratribus aliis sibi subditis prouidere in omnibus quibuscumque casibus, quibus minister generalis eis potuisset prouidere, ne ipsos, vt sæpius contingit, quoties generali ministro indigent, longius oporteat euagari. Et pro hac vice primaria constituimus in præfatum generalis ministri vicarium, fratrem Nicolaum Rudolphi apud nos de hac obseruantia laudabili prouidentia ac diligentia solerti multipliciter commendatum, quem volumus posse deponi, quoties vicariis & aliis fratribus discretis sæpe dictis videbitur expedire. Possit tamen generalis minister qui est & qui erit pro tempore, ipsos fratres & conuentus in sua persona, quoties voluerit, visitare, prælibato vicario non obstante, & punire, si quid in dicta visitatione puniendum repererit, sicut moris est in ordine, & alias facere consueuit. Verumtamen non intendimus, quod prædicti vicarii propter mortem, depositionem seu mutationem illorum quorum vice funguntur, possint a suis officiis remoueri, vel in eis impediri, nisi super hoc assensus maiorum & discretorum sibi subditorum prius interuenerit, ad quos semper eos deponere, & alios eligere, antedictis generali prouincialibusque ministris præsentare

ANNO CHRISTI 1415.

Anno Christi 1415. modo & forma præmissis (quoties fuerit opportunum) volumus & decernimus pertinere. Insuper possit & debeat ipse generalis vicarius & sui successores, conuentus sibi pro tempore subditos, ad statum dictæ strictæ obseruantiæ consonum, iuxta declarationes & statuta sedis apostolicæ & ordinis, reducere, tollendo quascumque superfluitates, siue sint in rebus mobilibus, siue immobilibus, quantum fieri poterit bono modo, habito semper consilio maiorum & discretorum sibi obedientium, eligendo (si opus fuerit) aliquos fideles, qui ipsas superfluitates auctoritate huius sacri Concilii vendant, commutent, aut alias in piis operibus conuertant. Insuper statuimus, quod omnes & singuli conuentus prædictarum prouinciarum, quoties maiori vel saniori parti fratrum in eis existentium placuerit, ad hanc strictam obseruantiam se reducere, & vicariis antedictis se subdere, hoc libere facere possint. Et etiam singuli fratres cuiuslibet conuentus dicti ordinis, contradictione cuiuscumque non obstante, a quorum vicariorum obedientia & subiectione nullus exire possit sine speciali licentia vicarii generalis antedicti. Non tamen per hoc intendimus, quin fratres & conuentus, qui voluerint, possint secundum hanc strictam obseruantiam viuere, manendo etiam immediate sub cura ministrorum prouincialium, exceptis tantum prænominatis conuentibus & conuentu de Mirabello Pictauiensis diœcesis, quem volumus expresse & ordinamus, curæ & regimini prædictorum vicariorum subesse, & ex causa, vt sicut in eo hæc stricta obseruantia regularis in partibus illis sumpsit exordium, ita in illo tamquam in aliorum speculo semper eluceſcat. Ceterum cum iuxta sententiam Sapientis, volatilia ad sibi similia libenter conueniant, statuimus, quod quando fratres huiusmodi obseruantiæ, peregrinationis studio, vel alias per mundum proficiscuntur, ad loca conuentus communitatis ordinis declinent, si voluerint: ad alia vero loca fratrum in obseruantia sibi similium semper declinare teneantur, iuxta quod in statutis ordinis continetur. Insuper quilibet prouincialis minister prouinciarum præmissarum, vicario generali sæpe dicto pro præsenti duos conuentus in sua prouincia fideliter assignet, aptos ad manendum, muni- *Eccles. 27.*

tos libris & aliis rebus pro cultu diuino, quoties ab eodem vicario, per literas aut alias in ſuo principali capitulo fuerit requiſitus, eligendos per ipſum prouincialem: ita quod propter hanc aſſignationem mobilia quæcumque dictis conuentibus pertinentia, quomodocumque ſit, non debeant abigi ſeu ſegregari, ſecundum diſpoſitionem cardinalis protectoris veſtri ordinis. Et ſi contigerit, quod miniſtri prouinciales & cuſtodes, vel alii expulerint vel eiecerint fratres huiuſmodi obſeruantiæ ab aliquo ſeu aliquibus conuentuum prænominatorum a quindecim menſibus citra violenter, & alios loco eorum ibidem collocauerint, vel mobilia ad ipſos conuentus ſeu aliquem ipſorum ſpectantia deportauerint: volumus & mandamus diſtricte, prædictos fratres indilate recedere & exire a dicto conuentu, mandantes tenore præſentium prælibato vicario generali, quatenus auctoritate noſtra omnibus modis quibus fieri poterit honeſte & licite ipſos exire, & prædicta bona reſtituere compellat per cenſuras eccleſiaſticas, & alios fratres & ſubditos ſuos de nouo ibidem collocando, omnibus quibuſcumque diſtricte prohibentes, ne quis eum ſuper hoc impedire præſumat ſub excommunicationis pœna, ſed magis ei præbeat vnuſquiſque ſuper hoc requiſitus per ipſum potius auxilium & iuuamen. Statuentes vlterius, ne deinceps fratres huiuſmodi ſtrictæ obſeruantiæ fiant capellani honoris, vel maneant continuo in domibus ſæcularium cauſa confeſſionis vel alia, citra tamen aliorum fratrum veſtri ordinis præiudicium, ne forſan freno obedientiæ laxato, vel profana conuerſatione feruor deuotionis eorum tepeſcat. Præcipimus inſuper & mandamus diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ omnibus & ſingulis fratribus conuentuum prædictorum, & aliis in futurum ſub cura & regimine prætactorum vicariorum conſtitutis, quatenus ipſis firmiter obediant & pareant cum effectu in omnibus, in quibus fratres illius ordinis ſuis generalibus & prouincialibus miniſtris obedire debent aut tenentur. Ceterum cum prædicta ſint de voluntate partium (ſicut præfertur) per nos ſtatuta & ordinata, diſtrictius inhibemus omnibus & ſingulis miniſtris & cuſtodibus, qui ſunt & erunt in futurum, & aliis fratribus veſtri ordinis, ne occaſione

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415. controuersiæ prius super his motæ, aut prosecutionis in præsenti Concilio factæ, aut alia quauis causa fratres de hac obseruantia præsentes vel futuros inquietent, molestent, vel affligant, seu eorum vicarios vel de secta noua, vel reprobata quomodolibet vocent. Nec etiam fratres dictæ obseruantiæ alios fratres vestri ordinis, aut eleemosynas, aut oblationes sibi dandas impedire præsumant. Quod si de cetero alii aliis facto circa præmissa aut eorum aliquid hinc inde iniuriati fuerint, manus violentas in eis ponendo, eos incarcerando, arrestando, libris spoliando, aut alias maculam hæresis falso imponendo, sententiam excommunicationis ipso facto incurrant iniuriatores, a qua non possint, articulo mortis excepto, absolui, nisi per eumdem cardinalem, qui pro tempore huius ordinis erit protector. De ceteris vero leuioribus iniuriis verbalibus, omnes quicumque fuerint in hoc culpabiles deprehensi, per eorum prælatos puniantur, circa præmissa sententiarũ fulminationibus aut appellationibus interpositis, & literis felicis recordationis Alexandri papæ quinti, & earum confirmatione non obstante, quas tenore præsentium reuocamus, cassamus & annullamus, ac nullius roboris vel momenti declaramus, & aliis quibuscumque statutis apostolicis vel huiusmodi ordinis in contrarium editis non obstantibus. Nulli ergo, &c.

Datum Constantiæ nono Kalendas Octobris, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, apostolica sede vacante. Qua ordinatione lecta & approbata, idem dominus Bertholdus auditor de simili mandato & voluntate legebat aliud statutum, ordinationem seu decretum.

Quod non obstantibus saluisconductibus imperatoris, regum, &c. possit per iudicem competentem de hæretica prauitate inquiri.

Præsens sancta Synodus ex quouis saluoconductu per imperatorem, reges, & alios sæculi principes, hæreticis, vel de hæresi diffamatis, putantes eosdem sic a suis erroribus reuocare, quocumque vinculo se adstrinxerint, concesso, nullum fidei catholicæ vel iurisdictioni ecclesiasticæ præiudicium generari, vel impedimentum præstari posse, seu debere declarat, quo minus, dicto saluoconductu non ob-

ſtante, liceat iudici competenti & eccleſiaſtico, de huiuſmodi perſonarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eoſdemque punire, quantum iuſtitia ſuadebit, ſi ſuos errores reuocare pertinaciter recuſauerint, etiam ſi de ſaluoconductu confiſi, ad locum venerint iudicii, alias non venturi: nec ſic promittentem, cum fecerit quod in ipſo eſt, ex hoc in aliquo remanſiſſe obligatum. Quo ſtatuto ſiue ordinatione lectis, idem ſtatutum fuit approbatum per dominos epiſcopos nomine quatuor nationum, ac reuerendiſſimum patrem dominum cardinalem epiſcopum Oſtienſem nomine collegii cardinalium, per verbum, Placet. Subſequenter mandato & voluntate Synodi prædictæ, idem dominus Bertholdus auditor legit vnam aliam ordinationem, videlicet executoriam ſuper conſtitutione Carolinæ, in qua mandatur domino vicecancellario pro tempore dare literas executorias ſuper conſtitutione Carolinæ, prout habetur in libris cancellariæ, omnibus eas habere volentibus, huiuſmodi ſub tenore. Anno Christi 1415.

Quod dominus vicecancellarius expediat Carolinam ſub bulla ſacri Concilii Conſtantienſis.

Carolinam iſtam, quoniam mox in hac ſeſſione expedita non fuit, ſed aliquãto poſt, non hic, ſed in fine huius Synodi adiectam offendes.

Cum in generalibus Conciliis, maxime Lateranenſi, prouide quædam fuerint ſtatuta, libertatem eccleſiaſticam concernentia, quæ piæ memoriæ Fridericus ſecundus in feruore deuotionis Romanæ eccleſiæ tunc perſiſtens, etiam quædam ſtatuit & adiunxit; & demum per felicis recordationis Honorium tertium fuit eiuſdem Friderici conſtitutio approbata, & conſequenter per diuæ memoriæ Carolum quartum eadem fuit approbata, & quædam alia in fauorem eccleſiaſticæ libertatis adiecta, quæ in libro cancellariæ Romanæ eccleſiæ latius continentur: hæc ſancta Synodus decernit & mandat domino vicecancellario eiuſdem Romanæ eccleſiæ, vt executorias literas ſuper ipſis expediat in forma dari ſolita. Subſequenter fuit lectum ſtatutum ſeu ordinatio, in qua committebantur omnes & ſingulæ cauſæ hæreſis contra quaſcumque perſonas in regno Bohemiæ, & aliis certis iudicibus inferius in eadem deſcriptis in hunc modum.

Commit-

ANNO CHRISTI 1415.

Committuntur cauſæ hæreſis certis iudicibus.

Item prædicta Synodus Conſtantienſis omnes & ſingulas cauſam & cauſas hæreſum, ex erronea & peruerſa doctrina damnatæ memoriæ Ioannis Hus hæretici in regno Bohemiæ & in Morauia exortas ſapientes, etiam criminales ex eis, vel eorum occaſione contra quaſcumque perſonas, tam eccleſiaſticas quam ſæculares, cuiuſcumque ſtatus, gradus, ordinis vel conditionis aut præeminentiæ exiſtant, & quacumque præfulgeant dignitate, emergentes, dictique Ioannis Hus & dogmatum falſorum eiuſdem fautores, defenſores & ſequaces, reuerendis in Chriſto patribus & dominis, dominis Ioanni patriarchæ Conſtantinopolitano, & Ioanni epiſcopo Siluanectenſi, coniunctim & diuiſim committit audiendas, decidendas, cognoſcendas, & fine debito terminandas, cum omnibus & ſingulis ſuis emergentibus, incidentibus, dependentibus & connexis, & cum poteſtate citandi perſonaliter omnes & ſingulos ſuſpectos in fide ibidem degentes, & coram eis in genere & in ſpecie nominandos coniunctim & diuiſim, in Romana curia per edictum publicum & in partibus & in locis conuicinis affigendum & publicandum, cum ad eaſdem partes, præſertim ad prædictos de fide ſuſpectos, pro huiuſmodi citatione exequenda tutus non pateat acceſſus, habita tamen prius informatione ſummaria in præmiſſis, non obſtante, quod alias præfata Synodus certis iudicibus generaliter quarumcumque hæreſum cauſas commiſerit, vſque ad diffinitiuam ſententiam excluſiue cognoſcendi, & coram quibus aliquæ pendent indeciſæ, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcumque.

Item præfata ſancta Synodus vult, ordinat atque decernit, quod in dictis aliis hæreſum cauſis, ex iudicibus alias per Concilium prædictum deputatis, decem eorum, aliis abſentibus, poſſint & valeant in ipſis procedere, & terminos in prædictis cauſis ſeruare, vt eo facilius, commodius & celerius cauſæ huiuſmodi terminentur, in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcumque.

Subſequenter fuit lectum ſtatutum de fructibus percipiendis vnius beneficii per hos qui ſunt in Concilio, huiuſmodi ſub tenore.

Quod beneficiati in Concilio præsentes recipiant fructus beneficiorum eorum in absentia.

ANNO CHRISTI 1425.

Item cum absentes causa reipublicæ ecclesiasticæ personæ in ecclesiis, in quibus beneficiati sunt, præsentes merito reputantur, ideoque vt omnes & singuli beneficiati huius sacri Concilii præsentes, & qui ad illud pro tempore accesserint, eo commodius ipsi Concilio interesse, & in illo vsque ad finem valeant remanere: dictum Concilum statuit & decernit, quod ipsi omnes & singuli pro residentibus siue præsentibus interim in suis beneficiis sunt habendi, ita quod omnes & singulos redditus, fructus & prouentus suorum beneficiorum ac residentiæ personalis in ipsis beneficiis, in quibus residebant, aut in quibus residerent, si eiusdem Concilii prosecutio seu interessentia eis non obstaret: ac alii etiam curiales beneficiati, qui de suis beneficiis ad præfatum Concilium non accesserunt, alias tamen præsentes in curia in eodem Concilio laborauerunt, etiam si primam non fecerint residentiam personalem consuetam; vnius tantum beneficii pro quolibet eorum, vigore huius decreti: eorumdem beneficiatorum absentiis, de aliis suis beneficiis, de iure & consuetudine, priuilegio aut licentia suorum superiorum semper saluis, etiam si canonicatus, aut præbendæ, aut dignitates, aut personatus vel officia in cathedralibus & metropolitanis maiores post pontificales, seu collegiatis ecclesiis huiusmodi principales fuerint, durante ipso Concilio, eisdemque in eodem Concilio perdurantibus, etiam a tempore itineris arrepti huiusmodi ad præfatum Concilium, quousque ad eadem sua beneficia ipsi, Concilio finito, commode redire potuerint, aut quamdiu curiales prædicti in eodem Concilio laborauerint; cum ea integritate percipere valeant & debeant, cum qua illos perciperent, si in suis beneficiis prædictis interim personaliter residerent, & administrarent in eisdem, quotidianis distributionibus dumtaxat exceptis, contrariis non obstantibus quibuscumque, & cum executionibus exprimendis in cancellaria, si fuerit opportunum. Quo statuto lecto, vt præfertur, fuit nomine quatuor nationum & cardinalium per prædictos dominos

Anno Christi 1415. episcopos deputatos & cardinalem Viuariensem responsum, Placet. His habitis & factis, reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis nomine Synodi prædictæ legebat vnum aliud statutum & ordinationem super expeditione literarum prouisionum ecclesiarum, monasteriorum, in hunc modum.

Quod literæ super prouisionibus ad patriarchales, metropolitanas & alias ecclesias per olim papam Ioannem vsque ad suspensionem concessæ, expediantur.

Item dicta sancta Synodus statuit, ordinat & decernit, quod literæ super quibuscumque prouisionibus ad quascumque patriarchales, metropolitanas & alias cathedrales ecclesias, ac etiam monasteria, de quibuscumque personis per dominum Baltassarem tunc Ioannem papam vigesimumtertium, vsque ad ipsius administrationis in spiritualibus & temporalibus suspensionem factis, de quibus per libros reuerendissimi patris domini Ioannis episcopi Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ vicecancellarii, & cancellariæ apostolicæ constabit, per eumdem episcopum & cancellarium sub nomine & bulla dictæ Synodi possint & debeant expediri, quatuor deputatis nationum sibi assistentibus: & hoc, nisi ex libro ipso promotionum secundum stylum cancellariæ appareat obstaculum, vel alias canonicum impedimentum. Præmissis vero lectis, fuit responsum per dominos episcopos deputatos nomine quatuor nationum, ac dominum Ioannem episcopum Ostiensem nomine collegii cardinalium, Placet. Contradicente tamen reuerendo patre domino Elia Aniciensi episcopo pro se, & domino Dominico de Ragusio, ambasiatore & nuntio archiepiscopi Spalatensis, qui duo in huiusmodi statutum super prouisionibus ad patriarchales, &c. non consenserunt. Et dominus Dominicus dixit, ipsum statutum secundum omnia sua verba non placere, & præsertim vltimam clausulam, videlicet: Et hoc, nisi ex libro promotionum secundum stylum curiæ appareat obstaculum. Super quibus approbationibus & contradictionibus venerabilis vir magister Henricus de Piro, & Ioannes de Scribanis, promotores & procuratores supradictæ Synodi petierunt per domi-

nos protonotarios ſedis apoſtolicæ, ac notarios Concilii prædicti, ceteroſque tabelliones ibidem præſentes, vnum vel plura fieri, publicum vel publica, inſtrumentum & inſtrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præſentibus ibidem reuerendiſſimis patribus dominis cardinalibus, protonotariis, patriarchis, archiepiſcopis, epiſcopis, abbatibus, doctoribus, nuntiis, & principum, vniuerſitatum & ſtudiorum ambaſiatoribus, teſtibus, &c. ANNO CHRISTI 1415.

SESSIO XX.

Super monitorio contra ducem Auſtriæ pro epiſcopo Tridentinenſi.

ANNO a natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, indictione vero octaua, die Iouis vigeſima prima menſis Nouembris, fuit celebrata ſeſſio generalis in maiori eccleſia Conſtantienſi, præſidente in eadem reuerendiſſimo in Chriſto patre domino Ioanne epiſcopo Oſtienſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali & vicecancellario. Fuitque decantata Miſſa ſolennis de glorioſa virgine Maria, per reuerendum patrem dominum Antonium epiſcopum Zopoludenſem. Qua completa, fiebant ſolennitates more aliarum ſeſſionum. Quibus expletis, reuerendus pater dominus Antonius epiſcopus Concordienſis quaſdam legebat monitorii & aliarum ordinationum ſchedulas tenoris ſubſequentis.

Decretum monitorii in cauſa Tridentina.

Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis vniuerſis & ſingulis Chriſti fidelibus ſalutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Grauem querelam venerabilis fratris noſtri Georgii epiſcopi Tridentinenſis accepimus, continentem, quod illuſtris princeps Fridericus dux Auſtriæ ipſum in canonica poſſeſſione eccleſiæ & ciuitatis Tridentinenſis, & oppidorum, caſtrorum, villarum, terrarum & locorum, iuriumque & aliorum bonorum mobilium & immobilium, ad eamdem eccleſiam & ipſum epiſcopum pertinentium, alias ſexdecim annis pacifice exiſtentem, eccleſia, ciuitate, oppidis, caſtris, terris, villis, locis ac iuribus & bonis

ANNO CHRISTI 1415. huiusmodi temerarie & de facto spoliasset, eaque nouem annis citra detinuisset, & adhuc detinet occupatas & occupata, fructus, redditus & prouentus subleuando & percipiendo ex eisdem; ac ipsum cepisset, & carceribus mancipatum affecisset pluribus grauibus violentiis ac iniuriis, propter quæ anathematis, sacrilegii, & alias pœnas a iure contra talia perpetrantes promulgatas incurrisset, quibus insorduisset per longa tempora, & insordet de præsenti: nonnullasque promissiones ac etiam certa iuramenta & literas tempore suæ captiuitatis, & ante seu post, in præiudicium libertatis ecclesiasticæ, dictæque ecclesiæ Tridentinensis damnum non modicum, ab eodem episcopo incussionibus & metu extorsit. Et vlterius idem Fridericus nuper dum inter sereniſſimum principem Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem, ac ipsum Fridericum ducem, post executionem iustitiæ contra eumdem Fridericum per dictum dominum regem factam, submissionis tractatus firmaretur, se iuramenti vinculo adstrinxisset, quod si quæ personæ tam ecclesiasticæ quam sæculares dicto regi de ipso Friderico conquererentur, & ab ipso rege sibi peterent iustitiæ complementum ministrari, ipse Fridericus dux stare deberet ordinationi dicti regis, & facere quæ dictus rex diceret & ordinaret: quod quidem licet rex ipse dicto Georgio episcopo de præmissis grauiter coram eodem conquerente decreuisset & ordinasset, quod ipse Fridericus dux ecclesiam, ciuitatem, oppida, castra, villas, terras, loca & iura & bona huiusmodi, quibus ipsum Georgium episcopum notorie spoliauerat, notorieque detinet occupatas & occupata, eidem Georgio restitueret, ipsumque permitteret eorum possessione in posterum pacifice vti & gaudere, nihilo minus idem Fridericus dux pro parte dicti episcopi interpellatus & sufficienter requisitus, hoc facere non curasset hactenus, nec curat de præsenti. Quapropter antea præmissorum excessuum & spolii notorietate & rei euidentia, idem episcopus petiit, per nos super præmissis de opportuno remedio sibi prouideri, & literas monitoriales contra præfatum Fridericum ducem & alios forsan occupatores & detentores ecclesiæ, ciuitatis, oppidorum, castrorum, villarum, terrarum, locorum & bonorum huiusmodi, etiam si ducalis

vel alterius cuiuſcumque ſtatus, gradus, vel præeminentiæ eſſent, decerni & concedi, ipſumque Fridericum ducem & occupatores & detentores prædictos, ſub pœnis iuris & conſtitutionis a diuæ memoriæ Carolo quarto contra tales facinoroſos & ſacrilegos editæ, & aliis pœnis grauioribus requiri & moneri, quatenus infra certum terminum idem Fridericus dux & occupatores ac detentores prædicti, eccleſiam, ciuitatem, caſtra, oppida, terras, villas, iura, & alia bona huiuſmodi, quibus eumdem Georgium epiſcopum ſpoliaſſet, ſeu ſpoliauit, ac etiam quæcumque caſtra & bona ante & poſt per prætactam ſpoliationem ad dictam eccleſiam Tridentinam deuoluta, quæ detinerent ſeu detinent occupatas ſeu occupata, reſtitueret & reſtituerent, & alias ſibi circa iniurias & percepta & alia debite ſatisfaceret & ſatisfacerent: nec non ſe, vaſſallos & ſubditos ſuos & eccleſiæ ſuæ prædictæ a prædictis iuramentis & promiſſionibus abſolui, & prædictas literas caſſari, irritari & annullari, humiliter & cum inſtantia debita poſtulauit, & alias circa præmiſſa petiit & concluſit, ſicut in petitionibus pro parte eiuſdem epiſcopi verbo & ſcriptis, & in actis coram nobis inter dictas partes factis & redactis, plenius noſcitur contineri. Nos vero * per notorietatem facti, & alias practicata in cauſa huiuſmodi, coram nobis & a nobis deputatis, nobis conſtitit & conſtat, petitionem huiuſmodi fore iuſtam, ipſum Fridericum ducem & occupatores & detentores antedictos monendos, petitaſque literas monitoriales contra dictum Fridericum ducem & occupatores & detentores huiuſmodi, partibus ipſis auditis, & ſeruatis ſeruandis, prædictis partibus ad hoc legitime citatis, decreuimus fore concedendas, decernimuſque & concedimus in forma quæ ſequitur.

Anno Christi 1415.

* videtur deeſſe, quia

Monitorium in forma debita contra ducem Auſtriæ.

Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis vniuerſos & ſingulos venerabiles fratres, patriarchas, archiepiſcopos, epiſcopos & dilectos eccleſiæ filios abbates, priores, præpoſitos, decanos, cantores, ſcholaſticos tam cathedralium, quam collegiatarum canonicos, parochialiumque rectores eccleſiarum, ceteroſque presbyteros, clericos & notarios & tabelliones publicos, per Alemaniam

ANNO CHRISTI 1415. & Italiam, & alias vbilibet constitutos, & eorum quemlibet tenore præsentium requirimus & monemus, primo, secundo, tertio & peremptorie, communiter & diuisim, eisque & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & subscriptis sententiarum pœnis districte præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dierum spatium, postquam pro parte dicti Georgii episcopi vigore præsentium fuerint requisiti, vel eorum alter fuerit requisitus: quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies eis & eorum cuilibet pro tertio & peremptorio termino ac canonica monitione assignamus, ita quod in his exequendis alter alterũ non expectet, nec vnus pro alio se excuset, præfatum Fridericum ducem & quoscumque alios ecclesiæ & ciuitatis Tridentinensis, nec non oppidorum, castrorũ, terrarum, locorum, ac iurium & bonorum quorumcumque ad ipsam ecclesiam pertinentium, prædictorum forsan occupatores & detentores, vassallos & subditos, etiam si ducalis aut alterius cuiuscumque dignitatis, status ac præeminentiæ fuerint, in eorum propriis personis, si & vbi pro præmissorum ac infra scriptorum executione ad eorum præsentias tutus patebit accessus. Alioquin per edictum publicum in audientia publica contradictarum legendum, nec non cathedrali & sancti Stephani Constantiensis, ac locis circumuicinis, videlicet Aquileiensi, Salsburgensi, Augustensi, Frisingensi, Brixinensi, Curiensi, Feltrensi & Veronensi ecclesiis affigendum, & inibi publicandum ex parte nostra, Fridericum ducem Austriæ & alios occupatores prædictos requirant & moneant, quos nos etiam tenore præsentium sic requirimus & monemus, ipsique Friderico duci in virtute sanctæ obedientiæ & sub anathematis, sacrilegii, priuationis omnium bonorum feudalium, quæ ab ecclesia seu imperio obtinent, & inhabilitationis suæ & filiorum suorum masculorum ad obtinendum tam feuda, quam officia & beneficia vsque ad secundam generationẽ, & honoris & famæ ac communionis in consiliis principum, quam ipsum Fridericum ducem iuxta constitutionem diuæ memoriæ Caroli IV. contra tales facinorosos & sacrilegos editam, a sede apostolica canonizatam & approbatam, quinimo & periurii ratione iuramenti jn manibus regis Romanorum per ipsum ducem

præstiti, & aliis sæcularibus personis sub excommunicationis & priuationis minorum feudalium, quas ipsas personas sæculares supradictas, nec non ecclesiasticis personis sub dictæ excommunicationis ac priuationis omnium beneficiorum ecclesiasticorum, & inhabilitationis ad illa, & quæcumque alia beneficia in posterum obtinenda, ac suspensionis a diuinis quo ad capitula, nec non interdicti quo ad omnia territoria prædicti ducis Friderici, & ceterorum occupatorum & detentorum censuris & pœnis, quas ecclesiasticas personas prædictas, si in præmissis deliquerint, & mandatis & monitionibus huiusmodi non paruerint, seu non paruerit, incidere volumus ipso facto, & quas in ipsas exnunc prout extunc, extunc prout exnunc, canonica monitione præmissa, ferimus in his scriptis, nisi mandatis huiusmodi obedierint, districte præcipiendo mandent, seu alter eorum mandet. Quibus nos etiam tenore præsentium sic mandamus, quatenus ipse Fridericus dux & alii forsan occupatores & detentores huiusmodi, infra triginta dierum spatium post requisitionem & monitionem immediate sequentiũ, & quorum dierum decem pro primo, decem pro secundo, & reliquos decem dies pro tertio & peremptorio terminis ac monitione canonica, eis & eorum cuilibet assignamus, ab occupationibus & detentionibus ecclesiæ, ciuitatis, oppidorum, castrorum, terrarum & locorum, nec non iurium & bonorum prædictorum, & illorum quæ ante & post prætactam spoliationem ad illam ecclesiam Tridentinensem sunt deuoluta, penitus & omnino desistant, & eorum quilibet desistat, ac ipsi Georgio, aut procuratori, seu procuratoribus sub eius nomine possessionem corporalem, realem & actualem ecclesiæ, ciuitatis, oppidorum, castrorum, terrarum & locorum, nec non iurium & bonorum prædictorum efficaciter & sine dolo & fraude restituant, & restitui faciant & permittant, & eorum quilibet restitui faciat & permittat. Ipse quoque Fridericus dux Georgio episcopo de perceptis huiusmodi satisfaciat, inuocato etiam ad hoc (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis. Vassalli quoque & nobiles, officiarii, capitanei & subditi tam ecclesiastici quam sæculares supradicti, infra sex dies post lecturam & publicationem & affixionem præsentium, nec non lapsum dictorum triginta

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415. ginta dierum terminum immediate sequentium, quorum sex dierum duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies pro tertio & peremptorio termino eis & eorum cuilibet per simile edictum assignamus, & assignari præcipimus & mandamus, præfato Georgio episcopo tamquam eorum vero domino, & non ipsi Friderico duci, seu alteri cuiquam, in omnibus (prout alias consueuerunt) facere teneantur. Non obstantibus quibuscumque iuramentis in contrarium præstitis, a quibus eos (vt præmittitur) absoluimus, efficaciter pareant, obediant & intendant, & eorum quilibet pareat, obediat & intendat. Et insuper in casu quo præfatus dux Fridericus & alii forsan occupatores & detentores, nec non vassalli, nobiles, officiarii, capitanei & subditi, & alii supradicti mandatis huiusmodi infra terminos supradictos non paruerint, extunc prout exnunc, exnunc prout extunc, omnes & singulos vassallos, nobiles, officiarios, capitaneos, nec non occupatores & detentores in ciuitate & diœcesi Tridentinensi, seu alibi commorantes & constitutos, quorum præsentia pro executione præmissorum & infra scriptorum facienda tute adiri non potest, per simile edictum pari modo & forma legendum, publicandum & affigendum, Fridericum ducem & alios occupatores & detentores tenore præsentium peremptorie citamus, ac per delegatos nostros supradictos citari volumus & mandamus, quatenus ipse Fridericus dux & alii forsan occupatores & detentores huiusmodi moniti & requisiti, octaua die post lapsum dictorum triginta dierum eis assignatorum immediate sequentium, si iuridica fuerit; alioquin, proxima die iuridica extunc sequenti: alii vero, vt nobiles, capitanei, officiarii & subditi edictum huiusmodi moniti & exquisiti, vigesima die post lapsum dictorum sex dierum eis assignatorum immediate sequentium, si iuridica fuerit; alioquin, proxima die iuridica sequenti compareant coram nobis vel iudicibus per nos deputatis, seu interim deputandis, pœnas, censuras ac sententias huiusmodi declarari, & ipse Fridericus dux, procedi, visuri & audituri. Certificantes nihilo minus eosdem, quod vsque ad declarationem pœnarum prædictarum procedemus iustitia mediante. Venerabilibus vero fratribus, patriarchis, archiepiscopis &

episcopis, quibus ob reuerentiam suarum pontificalium dignitatum duximus merito deferendum, si in prædictis deliquerint, vel aliquis eorum deliquerit, sex dierum canonica monitione præmissa, ingressum ecclesiæ interdicimus in his scriptis. Si vero huiusmodi interdictum per alios sex dies sustinuerint, seu alter eorum sustinuerit, ipsos suspendimus a diuinis. Si vero huiusmodi interdicti & suspensionis sententias animis (quod absit) sustinuerint, vel alter eorum (quod absit) sustinuerit induratis, ipsos exnunc prout extunc, & extunc prout exnunc, excommunicationis sententia innodamus. Inferiores vero episcopis, qui in præmissis exequendis negligentes fuerint, vel eorum aliquis negligens fuerit, post lapsum sex dierum terminum excommunicationis sententiam incurrere volumus ipso facto. Absolutionem vero omnium & singulorum, qui præfatas nostras sententias, aut earum aliquam incurrerint, vel aliquis eorum incurrerit quoquo modo, nobis aut summo futuro pontifici tantummodo reseruamus. Loca vero audientiæ & valuarum prædictarum, tamquam publica & idonea ad executionem prædictorum (vt præmittitur) publicandam ad instar publicorũ edictorum, quæ olim in albo prætorio scribebantur, duximus eligenda, quæ præsentes nostras literas suo quasi sonoro præconio & patulo iudicio publicabunt, in quibus nostras literas modo præmisso decernimus publicandas, ne prænominati moniti & citati de præmissis aliquam ignorantiam prætendere valeant, vel etiam allegare; cum non sit verisimile, apud dictos sic citatos & monitos remanere incognitum, quod tam patenter & notorie extitit publicatum. Volentes nihilo minus & decernentes, quod præsentes nostræ literæ dictos monitos & citatos perinde arceant & adstringant, ac si eorum propriis personis publicatæ fuissent. De executione præmissorum, & de his quæ in præmissis & quolibet præmissorum vos præscripti venerabiles fratres, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, vosque alii delegati nostri feceritis, seu aliquis eorum fecerit, nos per instrumenta publica, seu alia legitima documenta legitime certificare non obmittatis sub pœnis supradictis, quibus & cuilibet vestrum in præmissis dabimus plenam fidem. Datum Constantiæ vndecimo

ANNO CHRISTI 1415.

ANNO CHRISTI 1415. Kalendas Decembris, anno a natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, apoſtolica ſede vacante.

Quibus lectis, fuit reſponſum, dictum, & alta voce clamatum per dominos Concordienſem Italicæ, Tolonenſem Gallicanæ, Mersburgenſem Germanicæ, & Cortagenſem Anglicanæ, epiſcopos quatuor nationum, & per eorum quemlibet nomine ipſorum & cuiuſlibet eorum, Placet: & per dictum dominum Oſtienſem nomine collegii cardinalium, Placet. Procurator vero præfati domini ducis proteſtatus fuit de nullitate monitorii, & de grauamine, & appellando petiit inſtrumentum.

Congregatio ad audiendum relationem ambaſiatorum miſſorum ad Petrum de Luna, & regem Aragonum.

Anno a natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimoſexto, indictione nona, die vero Iouis trigeſima menſis Ianuarii, fuit celebrata congregatio generalis in maiori eccleſia Conſtantienſi, pro relatione ambaſiatorum miſſorum ad Petrum de Luna, in ſua obedientia Benedictum decimumtertium nominatum, & ſereniſſimum principem dominum Ferdinandum Aragonum regem: & reuerendiſſimus pater dominus Iacobus archiepiſcopus Turonenſis, vnus de ambaſiatoribus miſſis ex parte Concilii, exiſtens in ambone vna cum collegis ſuis, nomine proprio & coambaſiatorum ſuorum fecit relationem legationis ſuæ. Qua facta, legit quoſdam articulos ſiue capitula per ſereniſſimum principem dominum Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ regem, ac ambaſiatores ſacri Concilii ex vna, & dominos de obedientia ipſius Petri de Luna Narbonæ concordata ex altera, partibus. Quorum capitulorum tenor de verbo ad verbum ſequitur, & eſt talis.

Die Veneris decimatertia menſis Decembris, anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, indictione octaua, in capitulo nouæ eccleſiæ Narbonenſis, in camera magna turris noui palatii epiſcopi Narbonæ, hora ſecunda poſt meridiem, ante tamen prandium, capitula ſequentia per ſereniſſimum dominum Romano-

rum regem, & dominos legatos Concilii Constantiensis, sic per eius obedientiam nuncupati ab vna parte; & dominos ambasiatores illustrissimorum regum & potentum aliorum dominorum principum obedientiæ domini Benedicti papæ decimitertii, sic etiam per eius obedientiam nuncupati ab altera, pro vnione in sancta Dei ecclesia consequenda, concordata extiterunt cum Dei adiutorio modo infra scripto. ANNO CHRISTI 1415.

Tenor capitulorum concordatorum.

Primo, quod conuocatio fiat per prælatos, ceterosque viros ecclesiasticos in dicto Concilio Constantiensi, sic per eius obedientiam (vt præfertur) nuncupato, existentes & congregatos de regibus & principibus prædictis, cardinalibus & prælatis, ceterisque viris de obedientia dicti domini Benedicti papæ decimitertii, sic etiam per eius obedientiam (vt præfertur) nuncupati, qui ad generale Concilium debent & sunt consueti vocari per literas opportunas dictorum dominorum de Concilio Constantiensi, quæ emanent ab eis sub nominibus generalibus, & sub denominatione tituli dignitatum siue nominum appellatiuorum, sine expressione propriorum nominum, vel propriarum dignitatū, secundum formam hic concordatam, & inferius insertam. Et quod dictæ literæ dirigantur nedum ad dominos reges & principes & cardinales, sed & ad alios quoscumque prælatos obedientiæ prædicti domini Benedicti. Et quod dicti domini reges & principes ipsius obedientiæ sumant onus faciendi præsentari dictas literas conuocatorias, quilibet in regno & principatu suo prælatis suæ iurisdictionis, & specialiter dominus rex Aragonum sumat onus faciendi præsentari dictas literas conuocatorias regibus & principibus dictæ obedientiæ ista capitula firmantibus, & quod in dictis literis conuocatoriis præfigatur terminus ad interessendum in ciuitate Constantiensi pro vniendo se, & faciendo Concilium generale vna cum aliis ibidem congregatis, trium mensium computandorum a die præsentationis dictarum literarum fiendæ domino regi Aragonum in Perpiniano, (si fuerit) vel alias in ciuitate Barcinonensi (si fuerit præsens vel absens) & in casu absentiæ sufficiat præsentare

ANNO CHRISTI 1415. literas antedictas vicario regis, vel consiliariis dictæ ciuitatis, aut maiori parti eorumdem. Et vice versa, quod præfati domini reges & principes maxime dictæ obedientiæ domini Benedicti, facient literas conuocatorias ad prænominatos prælatos, ceterosque dominos de Concilio Constantiensi, similes literis conuocatoriis ab illis de Concilio emanandis, vt præfertur, vel per suos ambasiatores, vel procuratores mittendos, sufficienti potestate suffultos, ibidem in Constantia congregatos, conuocabunt, hoc addito ac etiam intellecto, quod literæ conuocationis mittantur ad dominum regem Aragonum sexaginta numero, videlicet viginti, quæ dirigantur ad sereniſſimum dominum regem Castellæ, & prælatos regni sui: & aliæ viginti, quæ dirigantur ad sereniſſimum dominum regem Aragonum & Siciliæ, & prælatos regnorum suorum: & decem, quæ dirigantur ad illustriſſimum dominum regem Nauarræ & prælatos iurisdictionis ipsius; & quinque, quæ dirigantur præpotenti domino comiti Fuxi, prout in eisdem literis debet seriosius contineri.

Secundo, quod dictæ conuocationes fiendæ per dominos de Concilio Constantiensi, & etiam per dictos dominos reges & alios, &c. nec non & congregatio & constitutio Concilii generalis fienda per dictos dominos reges & ceteros de obedientia dicti domini Benedicti, &c. possint fieri & fiant generaliter, vt deferatur honori Concilii Constantiensis iam dicti: scilicet pro extirpatione schismatis & hæresum, pro sancta vnione Romanæ ecclesiæ, pro reformatione vniuersalis ecclesiæ in capite & in membris, & pro vnico eligendo pastore, & pro aliis causis & rationibus quæ ad generale Concilium de iure pertinent & spectant. Sed ad partem promittatur & firmetur per sereniſſimum dominum imperatorem, & per dominos prænotatos, prælatos & ceteros spectabiles viros huc missos ex parte dominorum de dicto Concilio Constantiensi, nomine dicti Concilii, & etiam proprio, mediante publico instrumento cum iuramentis, quod in Concilio Constantiensi vniendo & constituendo (vt præfertur) non tractabuntur, ordinabuntur, statuentur, vel tractari, ordinari aut fieri permittentur directe vel indirecte, aliqua concernentia aut tangentia dictos dominos re-

ges, principes, prælatos, & alios de obedientia dicti domini Benedicti, vel aliquem ex eis, non ſolummodo dumtaxat cauſa eiectionis dicti domini Benedicti, & electionis futuri ſummi pontificis, & reformationis eccleſiæ in capite & in membris, & in cauſa hæreſum cum dependentibus & emergentibus, &c. Et quod dicti domini de dicto Concilio Conſtantienſi ratificabunt & approbabunt huiuſmodi promiſſionem & obligationem mediantibus publicis inſtrumentis, vt ſupra. Et quod nihilo minus prædicta promiſſio, ratificatio & ſecuritas ſpecialiter confirmentur & rata habeantur, & nouiter firmentur, & ſtatuantur per dictum formandum Concilium ſufficienter, prout fieri debeat, & eſt ſolitum, antequam procedatur & procedi valeat ad aliquos actus, poſtquam fuerint vniti. Et quod, ſi contrarium fieret, domini reges & principes, & alii de obedientia dicti domini Benedicti ab expreſſo exnunc agunt & dicunt, quod illa ſic in contrarium facta per formandum & vniendum Concilium, habeantur pro inualidis atque nullis ipſo iure, & quod ad obſeruationem eorum, dicti domini reges & principes, & ceteri de prænominata obedientia dicti domini Benedicti, minime teneantur. ANNO CHRISTI 1415.

Tertio, quod præfatis de obedientia dicti domini Benedicti venientibus ad Conſtantiam, ſtatim fiat vnio eorumdem ad dictum Concilium Conſtantienſe, pro faciendo vnum vniuerſale Concilium. Quo facto, dicti domini reges & principes, & alii de obedientia eiuſdem domini Benedicti, dicunt eſſe certiſſimum, quod non poſſunt licite obedire alicui in papam eligendo, vt vero papæ, niſi prius vacaret papatus morte aut renuntiatione dicti domini Benedicti pure, licite & libere facta, prout de iure diuino pariter & humano tenetur; vel per iuſtam & legitimam ipſius depoſitionem, ſeu depoſitionis declarationem ac eiectionem a papatu per dictum Concilium, vel eius auctoritate fiendam. Propterea in fauorem dictæ vnionis conſequendæ, eſt concordatum inter ſereniſſimum dominum regem Romanorum, & alios dominos de Concilio Conſtantienſi, quod ab eis ſacrum Concilium generale appellatur, & inter ambaſiatores & procuratores dictorum dominorum regum & principum, qui

ANNO CHRISTI 1415. sunt de obedientia dicti domini Benedicti, quod antequam ad electionem vnici summi pontificis procedi valeat per dictum Concilium, vel per alios ad quos pertineat, procedatur per dictum Concilium sic vnitum contra eumdem dominum Benedictum, nolentem aut subterfugientem renuntiare pure & libere, prout de iure diuino pariter & humano tenetur, aut etiam quomodolibet delinquentem, prout de iure diuino pariter & humano potest & debeat procedi per dictam iustam & legitimam eius depositionem, seu depositionis declarationem, & alias prout præfertur.

Ita tamen, quod formetur & fiat processus nouus per dictum Concilium contra eumdem dominum Benedictum iuste & legitime. Ad cuius verificationem & decisionem, nullatenus habeatur ratio ad processum Pisani Concilii, vel sententias ibidem latas, vt illo vel illis dictum Concilium in modum probationis, vel in vim processus vel iudicati non vtatur. Et quod processa, cognita & sententiata per dictum Concilium modo prædicto, dicti domini reges & principes, & ceteri obedientiæ dicti domini Benedicti, rata & grata habebunt, & illa minime impugnabunt. Item quod cardinales dicti domini Benedicti sic vocati, vt supra in literis conuocatoriis, dum venerint ad dictum Concilium, admittantur per idem Concilium ad omnes actus ibidem expediendos, & etiam ad electionem futuri summi pontificis suo casu, & secundum quod alii cardinales vocatorum Gregorii & Ioannis admittentur. Et si vocati vt supra, non venerint personaliter ad iam dictum Concilium, sed per alias personas sufficiens procuratorium habentes, recipientur & admittentur personæ prædictæ ad omnes actus Concilii, prout procuratores dominorum cardinalium dictorum dominorum Ioannis & Gregorii admittentur & recipientur, & secundum quod dictum vniendum Concilium circa prædictos omnes cardinales duxerit ordinandum.

Quarto, quod per dictum vniendum Concilium, si & inquantum fuerit necessarium vel opportunum ad vberiorem cautelam, tollantur, aboleantur, annullentur & irritentur quicumque processus, sententiæ, decreta, ordinationes, statuta & pœnæ, per olim Gregorium & Ioan-

nem & ſuos prædeceſſores, ac per Concilium conuocatum Piſis, a tempore exorti ſchiſmatis & citra, ex occaſione vel cauſa ipſius ſchiſmatis facta & factæ, prolatæ contra dominos reges, principes, & alios quoſcumque obedientiæ dicti domini Benedicti, ac etiam contra quaſuis alias perſonas, quæ dicto Benedicto non adhærent poſt dictam eiectionem, ſeu depoſitionis declarationem; & contra quaſcumque vniuerſitates, villas & loca, quatenus tangat & tangere poſſit dictos dominos reges & principes, & alios obedientiæ dicti domini Benedicti, & omnia & ſingula inde ſecuta, omnem effectum eorum tollendo, & omnem maculam, ſiue notam, quæ contracta fuerit ob prædicta. Et idem intelligatur dictum de perſona dicti Benedicti, caſu quo renuntiauerit pure & libere & ante ſententias dictæ eiectionis. Intellecto tamen & declarato, quod dictum Concilium non poſſit ſe iuuare proceſſibus & ſententiis aduerſus dictum dominum Benedictum latis in proceſſu & ſententia inde ferendis contra eumdem dominum Benedictum, de quibus in tertio articulo continetur. Et fiat ſimiliter de ſententiis latis per dictum dominum Benedictum contra obedientiam dicti Concilii, dominos reges, principes, perſonas ſingulares, villas, loca: & quod ſtatuatur in prima ſeſſione dicti Concilii, tempore quo fiet dicta vnio, quod nunquam de cetero ratione vel occaſione dicti ſchiſmatis, aut adhæſionis dicti domini Benedicti & ſui prædeceſſoris domini Clementis, poſſit contra dominos reges, principes, prælatos, & alios de obedientia dicti domini Benedicti, quomodolibet procedi in iudicio vel extra. ANNO CHRISTI 1415.

Quinto, quod per dictum formandum Concilium approbentur, laudentur & confirmentur, & etiam meliori modo, quo fieri poſſit, pleniſſime firmentur omnes & ſingulæ conceſſiones, diſpenſationes, gratiæ factæ per dictum dominum Benedictum quibuſuis perſonis dictæ ſuæ obedientiæ, de quibuſuis dignitatibus, archiepiſcopatibus, epiſcopatibus & officiis, & beneficiis aliis quibuſcumque infra ſuam obedientiam, quæ nunc eſt, de his quæ nunc poſſident, & quæcumque infeudationes, inueſtituræ, contractus, & aliæ conceſſiones & gratiæ vſque in diem primæ requiſitionis factæ eidem Benedicto per reges & princi-

ANNO CHRISTI 1415. principes ſuæ obedientiæ, quibuſuis perſonis ſuæ obedientiæ infra ſuam obedientiam, quæ nunc eſt etiam ſæcularibus, tam regibus Aragonum, Caſtellæ, Nauarræ, comitibus Armeniaci & Fuxi, quam filiis & liberis eorum, coniunctim & diuiſim, de his quæ nunc poſſident, & etiam aliis cuiuſuis conditionis exiſtant. Hoc tamen intellecto & declarato, quod ſi ab aliquibus prælaturis, ſeu magiſteriis, dignitatibus vel beneficiis quibuſcumque, durante ſchiſmate fuerint ſeparata, vel alias ſegregata aliqua membra, caſtra, villæ, ſeu alia bona, redditus, prouentus, ſeu emolumenta ac reſponſiones cameræ, vel alia iura quæcumque, de quibus fuerit aliquibus forſan iam prouiſum, vel facta collatio, ſeu infeudatio infra ſuam obedientiam conſtitutis, quod prædicta ipſis prælaturis, magiſteriis, ſeu magiſtratibus, dignitatibus & beneficiis, vt capiti reſtitui & redintegrari valeant per Concilium antedictum; & ceteris de aliis dignitatibus & beneficiis prouideatur, prout prouidentiæ Concilii fuerit viſum, per dictas confirmationes & approbationes hic contentas nullum impedimentum his præſtetur. Et idem fiat e conuerſo de alia obedientia.

Sexto, quod cardinales dicti domini Benedicti, ſi forſitan voluerint ire aut mittere ad iam dictum formandum Concilium, ſeu ad electionem ſummi pontificis, cum vacauerit papatus, altero de dictis tribus modis (vt ſupra in dicto tertio capitulo dictum eſt) faciendam, conuocati modo quo ſupra, & adhærere volentes opinioni dictorum dominorum regum & principum obedientiæ dicti domini Benedicti, deputentur, recipiantur & admittantur, vt veri cardinales ſanctæ matris vniuerſalis eccleſiæ, & vt tales habeantur, & ab omnibus honorentur, nec non dignitatibus, emolumentis ac aliis cardinalatus priuilegiis, præeminentiis & prærogatiuis (vt præmittitur) frui pariter & gaudere, ſaluis tamen aliis conſtitutionibus & ſtatutis per dictum Concilium promulgandis, de electione Romani pontificis facientibus mentionem.

Septimo, quod prouideatur per dictum formandum Concilium circa officiales Romanæ curiæ dicti domini Benedicti, dum tamen eidem domino Benedicto non adhæreant poſt ſubtractionem obedientiæ (ſi eam fie-

ri contingat) vel poſt eiectionem prædictam. ANNO CHRISTI 1415.

Octauo , quod ſi ante renuntiationem ſeu eiectionem dicti domini Benedicti prænominatam, ipſum contingat decedere, promittant dicti domini reges & principes eius obedientiæ,atque iurent, quod non permittent fieri in eorum regnis & terris electionem aliquam per cardinales ipſius,vel alios ipſorum vice: imo quantum in eis erit, modis omnibus prohibebunt. Et caſu quo fieret per illos electio, illi ſic electo per eos non adhærebunt, nec obedient quoquo modo, neque in eorum terris & regnis illum ſic electum aliquatenus ſuſtinebunt,vel ſuſtineri permittent.Sed electionem in dicto caſu per dictum formandum Concilium permittent fieri, & electo per illud in papam in dicto caſu, vt vero ſummo pontifici indubie adhærebunt.

Nono, quod præfatum formandum Concilium debite prouideat , cum decenti manſuetudine & rationabili æquitate , quod vbi duo vel plures in eodem titulo ex diuerſis obedientiis concurrunt, quilibet eorum in dicto Concilio tractabitur, honore vtriuſque obedientiæ ſemper ſaluo: & quod ante finem dicti Concilii idem Concilium prouidebit in dictis caſibus taliter, quod illorum quorumlibet honor & ſtatus, quamdiu vixerint, debite ſupportentur , & interim nihil innouetur contra aliquem prædictorum, quouſque per dictum Concilium ad eumdem ſummum pontificem eligendum prouiſum fuerit debite ſuper iſtis.

Decimo , quod dictus dominus rex Romanorum, & domini qui ſunt præſentes ex parte dominorum de Concilio Conſtantienſi , illorum nomine & etiam proprio, quantum ad eos ſpectat, & eorum quemlibet, bona fide aſſecurent & aſſecurari faciant per dominum regem Franciæ, & dominos ducem Aquitaniæ , Delphinum Viennenſem , & regem Ludouicum, & dominum comitem Sabaudiæ, & per totum dominium ipſorum, dictum dominum Benedictum, ſi ire voluerit, vel mittere ad dictum Concilium, & omnes & ſingulos ambaſiatores & procuratores ipſius domini Benedicti, & dominorum regum & principum, & alias quaſuis perſonas, ſiue ſint cardinales & alii prælati, ſi accedere voluerint, ac alios quoſlibet obedientiæ dicti domini Benedicti, tam clericos, quam laicos,

ANNO CHRISTI 1415. cuiusuis status, gradus aut conditionis existant, cum gentibus & familiaribus suis, & bonis eorum, cum sufficientibus literis de saluoconductu, quod tute & libere possint ire, transire & morari per itinera & loca vsque ad Constantiam inclusiue, & stare in dicta ciuitate Constantiensi, & in dicto Concilio, quamdiu eis & cuilibet eorum placuerit, & reuerti ab illis cum voluerint; & alias in omnibus & per omnia eundo, stando & redeundo, plenissima gaudeant libertate, & quod officiales & consules Constantienses in absentia prædicti domini regis Romanorum, & alii ad quos spectat, iurent, & mediante eorum iuramento promittant, quod fideliter obseruabunt, quantum ad eos spectat, & obseruari facient præmissa omnia & singula, & defendent, & tuebuntur supradictos omnes & singulos in personis & bonis pro toto posse, omni fraude cessante, & nullam impressionem aut violentiam directe vel indirecte facient aut fieri permittent iam dictis personis, vel eorum singulis, nec bonis eorum quoquo modo: & omnia ista firmabunt iuramentis per dictum dominum regem Romanorum, per se & per alios dominos pro Concilio Constantiensi hic præsentes, tam nomine dicti Concilii, quam proprio. Quæ guidatica & assecuramenta mittentur domino regi Aragonum, vna cum literis conuocatoriis dicti Concilii, ad hoc vt dictus dominus rex possit certificare vocandos de dictis securitatibus & saluisconductibus, ne dicti vocati dicta occasione se valeant, abeundo seu mittendo ad dictum Concilium, excusare.

Vndecimo, quod dictus dominus rex Romanorum suo nomine & pro successoribus suis, & alii domini hic præsentes, nomine dictorum dominorum de Concilio Constantiensi & proprio iurabunt singulariter & promittent, quod omnia & singula in prædictis capitulis & eorum quælibet contenta facient (quantum in eis erit) omni dolo cessante, per dominos cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, & alios prælatos, ambasiatores dominorum regum & principum, & alios in dicto Concilio Constantiensi existentes, vt singulares per se vel personas ad hoc sufficienti potestate suffultas, approbari, firmari & iurari antequam concedantur dictæ literæ conuocatoriæ. Et quod in prima sessione facta vnione ad dictum Conci-

lium, pro dicto vniuersali Concilio prædicta facient, concedent, statuent, ordinabunt & iurabunt. Et si contrarium præmissorum vel alicuius ipsorum fieret, vel prædicta omnia & singula non adimplerentur, fierent & exequerentur, prout in dictis capitulis & eorum quolibet continetur, exnunc aiunt & dicunt dicti domini reges & principes, prælati, & alii ipsius obedientiæ domini Benedicti ab expresso, quod ipso facto sit irritum & inane, & quod ad obseruantiam præsentium capitulorum minime, vel etiam alicuius eorum teneantur. Et etiam ambasiatores regum & principum hic præsentes obedientiæ domini Benedicti, firment & iurent dictis nominibus dictorum regum & principum, pro se & successoribus suis, tenere & obseruare omnia & singula supradicta, quantum in eis erit. ANNO CHRISTI 1415.

Duodecimo, quod de prædictis omnibus & singulis firmentur & tradantur cuilibet partium prædictorum tot, quot necessaria fuerint, publica instrumenta.

Anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, indictione nona, die Martis quarta mensis Februarii, Constantiæ in ecclesia maiori fuit congregatio generalis, & dominus archiepiscopus Iacobus Turonensis, vnus ex ambasiatoribus Concilii ad partes Aragoniæ, in ambone existens proposuit, quomodo iuxta conuenta in capitulis Narbonensibus omnes & singuli domini cardinales, prælati, ambasiatores & procuratores existentes in ipso Concilio, tenerentur mediis eorum iuramentis dicta capitula approbare: & supplicauit ita fieri. Domini vero de Concilio ibidem stantes, nemine discrepante, responderunt, Placet. Approbaruntque dicta capitula, & iurauerunt ea fideliter obseruare; videlicet domini cardinales & prælati ad pectora sua, ceteri vero domini ad sancta euangelia corporale præstitere iuramentum, scrutantibus huiusmodi iuramenta a dextero latere dominis Ioanne de Trembleio, sedis apostolicæ & sacri Constantiensis Concilii protonotario: a sinistro vero latere Galtero Grassi, priore ecclesiæ Rhodi ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, cum nonnullis aliis sacri Concilii notariis & scribis.

ANNO CHRISTI 1415.

Nomina illorum qui iurauerunt approbationem capitulorum. Et primo cardinales.

Ioannes Oſtienſis Viuarienſis.
Angelus Prænestinus Laudenſis.
Iordanus Tuſculanus de Vrſinis, epiſcopi cardinales.
Antonius Bononienſis.
Franciſcus Venetiarum.
Ioannes Dominici Raguſinus.
Antonius Aquileienſis.
Gabriel Senenſis.
Petrus Cameracenſis.
Branda Placentinenſis.
Angelus Veronenſis.
Guillermus tituli ſancti Marci.
Almanus Piſanus.
Antonius de Chalanco, presbyteri cardinales.
Rainaldus de Branckaſiis.
Amedeus Salutiarum.
Ludouicus de Fliſco.
Odo de Columna.
Lucidus de Comitibus.
Franciſcus Florentinus, diaconi cardinales.
Ioannes patriarcha Conſtantinopolitanus.
Ioannes Antiochenus patriarcha.
Nicolaus archiepiſcopus Gneznenſis pro eccleſia ſua & rege Poloniæ.
Petrus archiepiſcopus Rigenſis pro ſe & rege Daciæ, Sueciæ & Noruegiæ.
Iacobus epiſcopus Placentinus pro ſe & rege Poloniæ, & duce Vuitoldo.
Nicolaus epiſcopus Bathonienſis pro ſe & rege Angliæ.
Robertus archiepiſcopus Saresbirienſis pro ſe & rege Angliæ.
Andreas epiſcopus Colocenſis pro ſe & rege Romanorum.
Nicolaus epiſcopus Mersburgenſis pro ſe & archiepiſcopo Magdeburgenſi.
Ioannes epiſcopus Sileticenſis pro ſe & rege Daciæ, Noruegiæ &c.

Martinus episcopus Atrebatensis pro se & duce Burgundiæ. ANNO CHRISTI 1415.

Iacobus episcopus Adriensis pro se & archiepiscopo Rauennatensi.

Elias episcopus Anicensis, nulli præterquam Romanæ subditus ecclesiæ.

Ioannes episcopus Vaurensis pro prouincia Tolosana.

Fridericus episcopus Augustensis.

Patricius episcopus Cortagensis.

Iacobus episcopus Esinus.

Martinus episcopus Aprutinensis.

Georgius episcopus Tridentinus.

Henricus episcopus Feltrensis.

Antonius episcopus Concordiensis pro se & episcopo Aquensi.

Stephanus episcopus Dolensis.

Vitalis episcopus Tolonensis.

Ludouicus episcopus Bangorensis.

Vlricus episcopus Verdensis.

Alanus episcopus Leonensis.

Iacobus episcopus Laudensis.

Nicolaus episcopus Spoletanus.

Ioannes episcopus Vuormatiensis.

Ioannes episcopus Frmanus pro se & archiepiscopo Brundusino, & abbate sancti Nicolai de Ausino.

* Vlamingus Nolanus. * Flaminus

Nicolaus Assisinas pro se & dominis Bertholdo Massanensi & Andrea Nucerino.

Augustensis episcopus in Francia.

Thomas episcopus Emonensis.

* Sinonensis. *Deest hic nomen episcopi aut quid aliud.*

pro se & abbate sancti Georgii de Venetiis.

Ioannes Vuarmiensis procurator Fomezaniensis.

Culmensis & Sambiensis episcoporum.

Franciscus * Tudertinus pro se & abbatibus Marsianensi, & sancti Benedicti de * Gogabo de Organis. * Terdonensis * Gorgaho

Episcopus Cassis pro se & tribus episcopis, & abbate Augustensi in * Franconia. * Francia.

Simon Anconitanensis.

* Blasius Clusinus pro se & Perusinensi, Cortonensi. * Basilius

ANNO CHRISTI 1425. Vigilienſi, Meſſanenſi & Caſertanenſi epiſcopis.
Ioannes Siluanectenſis ambaſiator vniuerſitatis Pariſiẽſis, Thomas Senonenſis, epiſcopi.
Ioannes Rauetenſis.
Andreas Poznanienſis ambaſiator regis Poloniæ & magni ducis Vuitoldi fratris Lithuaniæ ducis.
*Aſtorgius * Aſtrogius Militenſis, procurator dominorum archiepiſcopi Simpratinenſis, & ſuorum ſuffraganeorum.
Ioannes abbas Ciſtercienſis, procurator ſpecialis pro toto ordine Ciſtercienſi.
Gaſpar ſancti Ioannis Eremis de Peruſio, decretorum doctor, ambaſiator & procurator pro prouincia Burdigalenſi.
Matthæus abbas Claræuallis, ambaſiator eccleſiæ Gallicanæ, in theologia magiſter.
*Venten. Guillermus de Precibus ordinis Ciſtercienſis, * Venenſis diœceſis.
Guillermus ſancti Pauli de Cornuto Turonenſis diœceſis.
*Nouiomen. Ioannes Vrſicampi * Nouomenſis diœceſis.
Guillermus abbas ſancti Saluatoris de mane diœceſis Magalonenſis, pro prouincia Narbonenſi.
*Cellis Guillermus abbas de monaſterio de * Tellis Bituricenſis diœceſis, in decretis licentiatus.
Nicolaus abbas ſanctæ Mariæ de Columba, ordinis Ciſtercienſis.
Placentinenſis diœceſis, pro ſe & abbatibus de Strata, de *Brunduo, *Celſi * Benedulo, de ſancto Thoma, ſanctorum Nazaræi & * Celli Veronenſis.
Siffridus de Euagen ordinis ſancti Benedicti, Auguſtenſis diœceſis, abbas ſancti Petri Cabilonenſis.
Euerardus abbas in Lantz pro ſe & monaſterio ſuo, & tamquam pro parte omnium abbatum ordinis ſancti Benedicti Herbipolenſis diœceſis.
Hermannus de Argauillarii abbas ſancti Petri, ordinis ſancti Benedicti, Tullenſis diœceſis.
Alexander abbas monaſterii ſanctæ Mariæ de Bellofonte, ordinis veterum ſancti Benedicti diœceſis Maleacenſis, licentiatus in decretis, ambaſiator eccleſiæ regni Franciæ pro prouincia Burdigalenſi, & procurator epiſcopi Lanconienſis.

Henricus abbas vtriusque iuris licentiatus, ambasiator vniuersitatis Andegauensis. ANNO CHRISTI 1415.

Abbas Otto Burnensis ordinis sancti Benedicti.

Abbas Rumensis. Ioannes abbas monasterii de * Robstodum Ebredunensis diœcesis. *Bobstoden

Ioannes abbas de Fontibus * prouincia * Ebricensi. *Ebroicensi.

Abbas sancti * * Massensis pro ecclesia regni Franciæ & Delphinatus.

Abbas de Bolo in Anglia.

Abbas sancti * Gilsadii. *Goldasii.

Abbas de * Lanthein, abbates. *Lanhouum

Nomina ambasiatorum & procuratorum.

Stephanus de Galliaco canonicus & archidiaconus Losatensis, in ecclesia Tolosana procurator capituli.

Magister Ioannes Basiræ, procurator domini Ludouici archiepiscopi Rothomagensis.

Ioannes de Trembleio sedis apostolicæ protonotarius, procurator capituli Ebredunensis.

Nicolaus Verdis sacri palatii apostolici causarum auditor, ambasiator archiepiscopi Bremensis.

Magister Iordanus Morini, magister Guillelmus Pulcenepot, ambasiatores regis Franciæ.

Nicolaus Augemii & Guillermus Brilleti, ambasiatores regis Cypri.

Thomas abbas beatæ Mariæ Eboraci, ambasiator regis Angliæ.

Paulus Vladung decretorum doctor, ambasiator regis Poloniæ.

Petrus Canthon ambasiator ducis Burgundiæ.

Leo de Nasteco licentiatus in legibus, canonicus decanus Bisuntinensis, procurator capituli eiusdem.

Ioannes Ponceti licentiatus in decretis, & Bartholomæus in legibus, procuratores episcopi * Lamberiensis. *f. Lomberiensis.

Abbas sancti Pauli Bisuntinensis.

Theodoricus de monasterio pro vniuersitate Coloniensi.

Ioannes Brum pro episcopo Halberstadensi.

Prior de Rhodis pro hospitalibus sancti Ioannis Hierosolymitani.

Antonius

ANNO CHRISTI 1415. Antonius * Moesſi pro epiſcopo Gratianopolitano & ordine Prædicatorum.

* Meoſt * Steyn Abbas * Stoxii pro rege Noruegiæ & monaſterio ſuo, & epiſcopo Lincopenſi.

Petrus de Mera pro epiſcopo & capitulo Traiectenſi.

* Luthoſmiſlen. Lutomuſlen. Paulus de Praga pro epiſcopo * Luthomiſienſi.

Iacobus Baruth pro abbate ſancti Lamperti Saltzburgenſis diœceſis.

Raimundus de Nouo bello pro epiſcopo Bituricenſi, & abbate ſancti Tiberii Agathenſis diœceſis.

* Rama * Rimo Frater Angelus abbas monaſterii in * Buna Saltzburgenſis diœceſis, ordinis Ciſtercienſis, pro monaſterio ſuo & duce Erneſto duce Auſtriæ.

Petrus præpoſitus canonicorum regularium monaſterii in Lægingen, pro monaſterio ſuo, & Ioanne burgrauio Nurembergenſi.

Magiſter Petrus de Pulchra, pro vniuerſitate ſtudii Viennenſis.

Paulus Ladaura pro vniuerſitate Cracouienſi.

Ioannes Hugueneti pro vniuerſitate Auinionenſi & certis abbatibus.

Henricus de Abundenſi pro vniuerſitate Oxonienſi.

Stephanus Platos pro epiſcopo Luthoſmiſienſi & vniuerſitate Pragenſi.

Petrus Parthis ordinis Theutonicorum, pro dicto ordine.

* Bloſonis * Bolſonis Michael * Boloſonis pro capitulis Viennenſi, Narbonenſi, Viuarienſi, & Ebredunenſi.

Andreas cantor Lubecenſis pro epiſcopo & capitulo Lubecenſi, nec non pro epiſcopo & capitulo Brandeburgenſi.

Ioannes de Burnen. pro epiſcopo Monaſterienſi.

* Portel Guillermus * Prothos pro epiſcopo Ruſenſi, Aricanenſi & Affricanenſi.

* Mobedeo Ioannes Gretz Reginæ pro abbate * Mobedeus Pragenſis diœceſis, ordinis ſancti Benedicti.

Matthias de Ville pro præpoſito in Vienna Patauienſis diœceſis.

Conradus abbas Pigamenſis ordinis ſancti Benedicti.

Ioannes Gervuer pro Henrico epiſcopo Verdenſi.

Iacobus Alberti pro archiepiſcopo Ebredunenſi, & capitulo. ANNO CHRISTI 1415.

Henricus de Abuden pro vniuerſitate Oxonienſi.

Philippus de Lapſa pro abbate Pridenſi ordinis S. Benedicti.

Iacobus Alberti pro archiepiſcopo Rauennatenſi,

Ferrarienſi epiſcopo,

Parmenſi epiſcopo, & Marchione Ferrarienſi.

Ioannes * Gigati pro capitulo Venetenſi. * Legoti

Fridericus de Spiritu pro archiepiſcopo Rauennatenſi, epiſcopo Ferrarienſi,

Parmenſi, & Marchione Ferrarienſi.

Benedictus de Guillelactis clericus cameræ, pro epiſcopo Arcuratenſi.

Frater Antonius de * Pecotto generalis ordinis Minorum pro toto ordine. * Pyreto

Iacobus Conradini pro epiſcopis * Gremenſi, Famaguſtanenſi, & pro abbate ſancti Andreæ de ſexto Ianuenſis diœceſis. * Cremonenſi,

Ioannes Tremoſinus pro præpoſito * Thoalorenſi diœceſis Pragenſis, ordinis Præmonſtratenſis. * Thoulgerenſis, Choti

Ægidius Petri canonicus Columbricenſis, pro epiſcopo Columbricenſi,

Colimbrienſi, & epiſcopo Viſenſi.

Ioannes decanus Lemouicenſis, pro prouincia Bituricenſi & epiſcopo Lemouicenſi.

Raimundus Gregorii, pro epiſcopo Siſtaricenſi.

Stephanus Poletz pro domino epiſcopo Lutomuſlenſi, & vniuerſitate ſtudii Pragenſis.

Elſinus archidiaconus Starenſis pro epiſcopo * Starenſi. * Scarēſi.

Ioannes de Fliſco præpoſitus ſancti Hadriani de Trigandio diœceſis Ianuenſis, pro epiſcopis Vercellenſi & Vigintimillienſi.

Laurentius Gnoda canonicus Lincopenſis pro epiſcopo Lincopenſi.

Frater Ioannes epiſcopus Firmanus.

Abbas ſancti Petri Cabilonenſis.

Theodoricus * Cintemberg, cancellarius epiſcopi Vbracenſis, pro ducibus Sileſiæ, &c. * Cincinberg,

Vuoalmarus Sals & Luderus Rector pro epiſcopo Hildesheimenſi & capitulo eiuſdem.

Anno Christi 1415. Coante Amoniæ pro duce Britanniæ, rege Scotiæ, comite Noruegiæ, & comite Sabaudiæ.

Petrus Tetinger pro se & abbate Fuldentio, & præposito Nurembergensi, Patauiensis diœcesis.

Eberardus abbas in Lenienz pro se & monasterio, & tamquam procurator omnium abbatum, monachorum ordinis sancti Benedicti in diœcesi Herbipolensi.

Ioannes de Perona canonicus & procurator ecclesiæ capituli Turonensis.

Frater Bernardus prior domus Carthusiæ prope Argentinam, procurator prioris maioris Carthusiæ.

Guillermus de Forliuio rector conuentus fratrum Eremitarum sancti Augustini de Forliuiis, procurator domini Georgii de Ordelasse domini Forliuii.

Galterus Grasse procurator & magister totius ordinis sancti Ioannis Hierosolymitani, vtriusque iuris doctor.

Nicolaus officialis Brixinensis pro episcopo & clero Brixinensi, & Ernesto duce Austriæ.

Petrus de Holtzkyrchen pro se & abbate Fuldensi, ordinis sancti Benedicti Herbipolensis diœcesis, & præposito Nurembergensi Patauiensis diœcesis.

Simon Bethute presbyter procurator episcopi Vasionensis & abbatis sancti Engeri Turensis.

Frater Antonius Costæ ordinis prædicatorum.

Ioannes de Vincellis procurator abbatis & conuentus ac totius ordinis Cluniacensis, & procurator abbatis sancti Regnaudi, & prioris de Caritate.

Ioannes de Gorello ordinis Minorum conuentus Parisiensis, ordinis ante dicti regens, nec non fratris Ioannis Quingonelli ordinis præfati in prouincia Franciæ prouincialis ministri procurator.

Frater Petrus Coruilhelli, procurator abbatis sancti Nicolai prope Andegauiam.

Ioannes Brossandi procurator episcopi & capituli Mirapicensis.

Simon Dobetheus archidiaconus Vapincensis, procurator capituli eiusdem, & Atrebatensis.

*Arciis Aymericus de *Atriis procurator præpositi Montis Iouis & supra ordinis & abbatis Sanginaci.

Iacobus Crasseti literarum apostolicarum scriptor, procurator capituli Auinionensis & Munatensis. ANNO CHRISTI 1415.

Bego de Rogeriis in legibus licentiatus, procurator episcopi Vticensis, & deputatus pro prouincia Narbonensi.

Berengarius Miserondi procurator conuentus sancti Guillermi de Desertis, Lodonensis diœcesis.

Magister Ioannes Basiræ decretorum doctor, literarum apostolicarum corrector.

Ioannes Vgoenti licentiatus in decretis, pro vniuersitate Auinionensi, & certis abbatibus.

Hermannus de Argenilari abbas sancti Apri ordinis sancti Benedicti, Tullensis diœcesis.

Ioannes Senescalli procurator domini abbatis Præmonstratensis & totius ordinis, & Ioannes de * Ponlexo, prior Romanæ curiæ, & cellerarius monasterii sancti Antonii, & præceptor de Reuerso, ac procurator totius ordinis sancti Antonii & Augustini, ac procurator episcopi Taurinensis. *Ponleyo

Magister Nicolaus de Vuordis doctor decretorum, sacri palatii apostolici causarum auditor.

Ioannes Vuipperdus decretorum doctor, procurator domini Ludouici archiepiscopi Rothomagensis, ac idem pro abbate * Fistanensi ordinis sancti Benedicti Rothomagensis diœcesis. * Fiscanensi

Pasquerius de Vallibus baccalaureus in decretis, procurator abbatis sancti Ricarii in * Pontio ordinis sancti Benedicti, alias Ambactensis diœcesis. *Pontino

Petrus * Ginecoui literarum sacræ pœnitentiariæ scriptor, & procurator episcopi & capituli Conseranensis. *Gaietani

Iacobus de Gramineis, de Graumicis, de Padua, canonicus Concordiensis, procurator episcopi Concordiensis, prouinciæ Aquileiensis.

Ioannes de Boues, procurator regis Franciæ, & procurator monasterii sancti Augustini.

Oliuerius * Longuenet in artibus & medicinis magister, baccalaureus in decretis, procurator episcopi * Treconensis, abbatum de * Busagio, de Malareyo, de Begardo, & Rhemensis sancti Benedicti Cisterciensis or- *Langulmet Gennet *Busaye,

ANNO CHRISTI 1415. dinis, & Venetensis, & Rauennatensis, & Treconensis diœcesis.

*Gaufridus * Godoffredus Dauli licentiatus in legibus, procurator episcopi Lemouicensis, & abbatis sancti Martialis Lemouicensis diœcesis.

Petrus de Rococello prior prioratus conuentualis beatæ Mariæ de Aurate.

Theodoricus procurator domini archiepiscopi Tolosanensis, missus & nominatus pro prouincia Tolosana, & episcopi Agathensis.

*Rentegueria Raimundus de *Remeguerria licentiatus in decretis, prior maioris ecclesiæ Electensis, procurator episcopi & capituli Electensis.

*Martinus * Marinus episcopus Aprutinensis, procurator pro reuerendissimo patre domino Petro sanctæ Mariæ in Cosmedin diacono cardinali de Venetia.

*f. Brundusino Item pro domino archiepiscopo * Brunusino.

Tierricus de sancto Deodato licentiatus in legibus, & magister in artibus, ambasiator vniuersitatis Aurelianensis, & procurator episcoporum Tullensis & Xanctensis.

Verneius militis, decanus ecclesiæ Bambergensis, Bremensis diœcesis.

Henricus de Molendino canonicus Bremensis, ambasiator domini archiepiscopi Bremensis.

Guillermus Votis in vtroque iure baccalaureus, canonicus ecclesiæ Gratianopolitanæ.

*Purtellis *Artham *Armacham. Guillermus * Brucellis, domini Michaelis archiepiscopi * Amham primatus Hiberniæ, ac domini Thomæ episcopi Offorienſis procurator.

*Valen. Guillermus de Spelunca canonicus * Nolensis, missus nomine illustrissimæ dominæ Ioannæ Nauarræ & Angliæ reginæ, & nomine proprio.

Robertus prior Celsinorum, vicarius & procurator abbatis Cluniacensis, & eiusdem conuentus Matisconensis diœcesis, pro ipsis & suo Cluniacensi ordine.

Simon Quatadriorum canonicus sancti Remigii, procurator dominorum episcoporum Andegauensis & Auinionensis.

Thomas Bonorant licentiatus in legibus, procurator epi-

ſcopi Andegauenſis, & omnium ſanctorum Andegauenſium; & Ioannes de Pratis monaſterii ordinis ſancti Auguſtini Maclouienſis diœceſis. ANNO CHRISTI 1415.

Alexander abbas monaſterii ſanctæ Mariæ de Bellofonte veteris ordinis ſancti Benedicti Maleacenſis diœceſis, licentiatus in decretis, ambaſiator eccleſiæ regni Franciæ, pro prouincia Burdigalenſi, cum aliis pro dicta prouincia ad Concilium venientibus miſſus, & procurator epiſcopi Lucionenſis.

* Ermogandus de Caſſeriis licentiatus in decretis. * Ermegandus.

Archipresbyter Narbonenſis, & prior de Capite ſtagno Narbonenſis diœceſis, ambaſiator vniuerſitatis Montiſpeſſulani Magalonenſis diœceſis.

Antonius de Zuuaneuuarde procurator præpoſiti, decani & capituli eccleſiæ ſancti Saluatoris Hexbeberenſis diœceſis, & decani & capituli eccleſiæ beatæ Mariæ, Curtracenſis diœceſis.

Hugo de * Teſſeto canonicus eccleſiæ Catracenſis, procurator epiſcopi Catracenſis. * Beſſeto

Henricus abbas vtriuſque iuris doctor, & Ioannes Honrode in eiſdem iuribus licentiatus, ambaſiatores vniuerſitatis Andegauenſis ad ſacrum Conſtantienſe Concilium deſtinati.

Ioannes * Dolior licentiatus in legibus, archidiaconus de Sabolio, & canonicus eccleſiæ Cenomanenſis prouinciæ Turonenſis, procurator decani & capituli eccleſiæ Cenomanenſis. * Dollet

Frater Petrus de Saliente cellerarius monaſterii Aureliaci ſancti Flori diœceſis, licentiatus in theologia & in decretis, vicarius epiſcopi Gratianopolitani, & procurator Vapincenſis epiſcopi, nec non abbatis Conchenſis Ruthenenſis diœceſis.

Ioannes * Honorodiæ vtriuſque iuris licentiatus, ambaſiator vniuerſitatis Andegauenſis. * Honorodiæ

Hugo Fabri magiſter in artibus & medicinis, procurator epiſcopi Cameracenſis.

Elſius ſcholaris pro abbate ſancti Laurentii Fauentinæ diœceſis.

Otto de * Milex præpoſitus eccleſiæ Herbipolenſis, pro ſe & epiſcopo Herbipolenſi. * Milet

ANNO CHRISTI 1415. Ioannes * Habunde pro se & episcopo Eistetensi & duce Franconiæ.

*Abundæ Lampertus de Grolia, pro se & regno Hungariæ.

Bertholdus Ruke præpositus Lubecensis, pro se & episcopis Tarbacensi, Oziliensi & Coromensi.

Petrus Storch in theologia doctor, pro vniuersitate studii Lipsensis.

Ioannes Creste licentiatus in vtroque iure, pro duce Guillermo Bauariæ, comite Hollandiæ,

Hannoniæ & Zelandiæ.

Magister Albertus de Nuremberga, pro se & episcopo Bambergensi.

Philippus de Lumpressa literarum apostolicarum scriptor, pro se & Bartholomæo abbate monasterii sancti Laurentii extra muros Tridentinenses.

* Cuntz * Cuntzo de Suuola, auditor sacri palatii apostolici, & Albertus Varemptapp pro se & archiepiscopo Pragensi.

Ioannes & Arnoldus Forcheim, literarum apostolicarum scriptores, pro se & electo Getensi.

Michael de Ezsedal rector parochialis ecclesiæ in Losen Vratislauiensis diœcesis, pro præposito Martalensi ordinis Præmonstratensis, Constantiensis diœcesis.

Nicolaus de Ballionibus, prior generalis ordinis sancti sepulcri Dominici.

Germinianus pro se & abbate sanctæ Trinitatis Veronensis, ordinis Vallis Vmbrosæ.

Basilius de Trisis, procurator episcopi Vicanensis.

Fridericus episcopus Fulginatensis, pro abbate montis

* Marcani, * Cassanensis, & Iacobo episcopo Spoletano, episcopo Nucerino, & pro Nicolao abbate monasterii de Cruce saxi viui de Fulgineo.

Dominus Arpinus de Alexandria, pro episcopo Albinganensi.

SESSIO XXI.

ANNO CHRISTI 1416. ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, die vero Sabbati trigesima & penultima mensis Maii, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, præsidente eidem reueren-

dissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi cardinali Viuariensi: in qua quidem sessione dicebatur officium Missæ de Spiritu sancto, cum litaniis & aliis * sessionibus requisitis. Quibus expletis, fiebat sermo ad clerum per reuerendum patrem Iacobum episcopum Laudensem, qui pro suo themate assumpsit verba hæc, videlicet: *Exprobrauit Deus incredulitatem eorum & duritiam cordis.* Et eo finito, magister Hieronymus de Praga in medio existens, ascendens quemdam bancum, replicauit contra præfatum dominum Iacobum & eius sermonem, & alia diuersa dixit & allegauit. Quibus & aliis pluribus auditis, reuerendissimus pater dominus patriarcha Constantinopolitanus, vnus de commissariis ipsius Synodi, dicto magistro Hieronymo præsente & audiente, sententiam definitiuam contra eumdem Hieronymum de Praga alta & intelligibili voce in scriptis legit & promulgauit, prout & quemadmodum in quadam schedula papyrea, quam in suis manibus tenebat, tenoris inferius inserti, plenius continetur & habetur. Qua siquidem sententia lecta, & per Synodum vniuersaliter approbata, & per deputatos nationum, Antonium Concordiensem, Vitalem Tolonensem, Nicolaum Mersburgensem, & Patricium Cortagensem, episcopos, ac præfatum dominum Ostiensem, per verbum, Placet: idem Hieronymus traditus est potestati sæculari, & combustus fuit.

Anno Christi 1416.

* f. insessionibus

Marc. 16.

Tenor sententiæ definitiuæ latæ contra Hieronymum de Praga.

In nomine Domini. Amen.

Christus Deus & saluator noster vitis * matura, cuius pater agricola est, discipulos ceterosque fideles suos in illis instituens, inquit: *Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet.* Cuius summi doctoris & magistri doctrinam sequens, & præcepta exequens hæc sancta Constantiensis Synodus, in causa inquisitionis hæreticæ prauitatis per eamdem sanctam Synodum mota, fama publica referente, & clamorosa insinuatione demonstrante, contra magistrum Hieronymum dictum de Praga, dictum magistrum in artibus, laicum, ex cuius causæ actis & processibus constat, eumdem Hieronymum tenuisse, asseruisse, dogmatizasse nonnullos articulos

* vera

Ioan. 15.

ANNO CHRISTI 1416. culos hæreticos & erroneos, dudum a sanctis patribus reprobatos: quosdam vero blasphemos, & alios scandalosos, & alios piarum aurium offensiuos, temerarios & seditiosos, dudum per damnatæ memoriæ viros Ioannem Vuicleff & Ioannem Hus assertos, prædicatos & dogmatizatos, ac in nonnullis eorum libris & opusculis insertos. Quique doctrina & libri prædictorum Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus, ac Vuicleff memoria, dictique Ioannis Hus persona, per eamdem sanctam Synodum & eius sententiam de hæresi damnati & damnatæ fuerunt. Quamque damnationis sententiam idem Hieronymus postmodum, pendente huiusmodi inquisitionis causa, in eadem sancta Synodo cognoscens & profitens veram, catholicam & apostolicam fidem approbauit, & eidem consensit, anathematizauitque omnem hæresim, præcipue eam, de qua erat infamatus, & se confitebatur infamatum, & quam præteritis temporibus dogmatizauerunt & tenuerunt Ioannes Vuicleff & Ioannes Hus in suis opusculis, sermonibus & libellis, & propter quam seu quas, cum suis dogmatibus & erroribus ab eadem sancta Synodo damnati fuerunt tamquam hæretici, & eorum doctrina similiter damnata; præmissorumque omnium damnationem professus, & iurauit se in hac fidei veritate permansurum. Et si ipse quidquam contra sentire, prædicare præsumpserit, Canonum seueritati subiacere, & æternæ pœnæ voluit obligari. Nec non suam professionem manu sua conscriptam eidem sanctæ Synodo obtulit atque dedit. Post quas professionem & abiurationem multis diebus transactis, sicut canis ad vomitum rediens, vt virus pestilentissimum quod in suo latitabat pectore, publice euomeret, audientiam publicam sibi dari in eadem sancta Synodo postulauit. Qua sibi concessa, coram eadem Synodo publice congregata asseruit, dixit & professus est in effectu, quod præfatæ sententiæ damnationis dictorum Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus inique consenserat, & illam sententiam approbando mentitus fuit. Nec verebatur se confiteri mentitum: quinimo confessionem, approbationem & professionem suas super illorum damnatione reuocabat nunc & in æternum, asserens se in libris Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus nullam vnquam hære-

sim vel errorem legisse, licet ante fuerit confessus, & probatum sit euidenter, ipsum libros eorum diligenter studuisse, legisse & dogmatizasse, & in quibus constat plures errores & hæreses contineri. Vnde idem Hieronymus de sacramento altaris & transsubstantiatione panis in corpus professus est se tenere & credere, quod ecclesia tenet; dicens, se plus credere Augustino & ceteris ecclesiæ doctoribus, quam Ioanni Vuicleff & Ioanni Hus. Constat insuper ex præmissis, eumdem Hieronymum prædictis Vuicleff & Hus damnatis & eorum erroribus adhærere, illorumque fautorem fuisse & esse: propter quæ eadem sancta Synodus eumdem Hieronymum palmitem putridum, aridum, in vite non manentem, foras mittendum decernit, ipsumque hæreticum, & in hæresim relapsum, excommunicatum, anathematizatum pronuntiat & declarat, atque damnat. ANNO CHRISTI 1416.

SESSIO XXII.

De vnione ambasiatorum regis Aragonum.

DIE Iouis decimaquinta mensis Octobris, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, indictione nona, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, ad hoc specialiter deputata, & reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis schedulam tenoris subsequentis legit & publicauit.

Decretum locationis ambasiatorum regis Aragonum.

Sacrosancta Synodus Constantiensis considerans, quod ad suam & suorum ad hoc deputatorum instantiam, oratores carissimorum ecclesiæ filiorum Iacobi & Ioannæ, regis & reginæ Ierusalem & Siciliæ illustrium, requisiti fuerunt, vt quoniam expectantur oratores carissimi ecclesiæ filii regis Castellæ & Legionis illustris huc ad Synodum venturi, ad perficiendum cum ipsa Synodo ecclesiæ vnionem, placeret eisdem oratoribus dictorum regis & reginæ, dimittere locum, quem in loco sessionis nunc tenent, tamquam qui eisdem oratoribus dicti regis Castellæ venientibus debebitur, & durante præsenti Concilio, vadant ad partem sinistram immediate post

ANNO CHRISTI 1416. ambasiatores etiam carissimi filii regis Angliæ illustris. Ideo eadem Synodus decernit & statuit, quod ob hoc, siue veniant, siue non veniant dicti oratores regis Castellæ, non præiudicetur eisdem regi & reginæ & eorum regnis, nec dictis oratoribus suis eorum nomine, aut aliis quibuscumque, quoad locum & honorem, qui sibi in hac Synodo debentur, tam in sessionibus, quam in processionibus & in aliis quibuscumque. Et si contingat, quod medio tempore ante aduentum oratorum dicti regis Castellæ, aliquis vel aliqui oratores alterius regis sederent in loco prædicto, ambasiatoribus dictorum regis Iacobi & Ioannæ reginæ dimisso, declarat eadem sancta Synodus, quod hoc erit de tolerantia, permissione & gratia, & pro hac vice dumtaxat, & quod per hoc illi vel illis nullum ius acquiratur ex sessione prædicta, nec præiudicetur dictis ambasiatoribus regis & reginæ prædictorum, & regnis ac processionibus, vel aliis actibus, qui concurrerent in hac Synodo.

Post hæc autem reuerendus dominus magister Antonius Taxal generalis ordinis beatæ Mariæ de mercede, in dicto ambone existens, legit schedulam tenoris subsequentis.

Schedula lecta per ambasiatores regis Aragonum.

Nos Ioannes Raimundi Floch comes Cardonæ, frater Antonius Taxal sacræ paginæ magister, generalis ordinis beatæ Mariæ de mercede, Raimundus * Xatmar miles, Sperans-in-Deo Cardonæ iurisperitus, Gundisaluus Garsiæ de sancta Maria decretorum, & Michael de Nauers vtriusque iuris, doctores, oratores & procuratores illustrissimi principis & domini nostri domini Alphonsi regis Aragonum, &c. volentes & intendentes adimplere conuentionem Narbonæ initam inter serenissimum principem & dominum, dominum Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem, & procuratores, nuntios & legatos præsentis congregationis Constantiensis ex vna; & etiam oratores & procuratores ac nuntios dominorum regum Castellæ, Aragonum & Nauarræ, nec non illustrium principum dominorum Fuxi & Armeniaci comitum ex alia partibus; præsentauimus nos in hoc loco coram paternitatibus vestris, offerentes nos ad exequendam dictam conuen-

* *infra* Xantin

tionem, & omnia, & singula contenta in ea. Et sic nunc attendentes, quod in primo capitulo dictæ conuentionis continetur, quod conuocatio fiat per prælatos ceteroſque viros eccleſiaſticos huius congregationis, per literas quæ dirigantur ad dominos principes & alios de obedientia domini Benedicti papæ decimitertii quondam nominati, & vice verſa, quod præfati domini reges & principes de obedientia dicti domini Benedicti faciant per literas conuocatorias ad vos prænominatos prælatos, ceteroſque dominos de congregatione præſenti, vel per ſuos ambaſiatores vel procuratores mittendos, vos hic in Conſtantia congregatos conuocabunt: & attento etiam quod conuocatoriæ literæ pro parte veſtra dicto domino regi Aragonum præſentatæ fuerunt, volumus & nos ſatisfacere dicto capitulo, cuius tenor, quantum ad literas conuocatorias quæ in eo continentur, talis eſt: Miſeratione diuina epiſcopi, &c. Poſt lecturam vero præfatus dominus archiepiſcopus Mediolanenſis prædictas literas conuocatorias legit alta voce, in dicto ambone exiſtens. ANNO CHRISTI 1416.

Literæ conuocatoriæ.

Miſeratione diuina epiſcopi, preſbyteri, diaconi cadinales, patriarchæ, archiepiſcopi, prælati, & ceteri in Conſtantia prouinciæ Moguntinenſis in Chriſti nomine congregati, illuſtri principi Ferdinando Dei gratia Aragonum & Siciliæ regi, ſalutem & eccleſiaſticam vnionem feliciter intueri.

Quamquam miſericordiæ Domini neque menſuram ponere, neque eiuſdem tempora definire poſſumus, in dies attamen quos diligit, caſtigans, compertum habemus, quod flagellat, vt in tentatione prouentum faciat, & probatos ampliori retributione proſequatur. Ipſo ſiquidem permittente, a triginta octo annis & amplius populus eiuſdem peculiaris, qui Chriſtiano nomine gloriamur, afflicti fuimus peſtifero & execrabili ſchiſmate præſenti, cuius occaſione omnium pene viuendi modorum ſtatus confractus eſt. Vt ceſſaret angelus percutiens, Altiſſimum exorauimus, & indefeſſe ad id ſudores noſtros & animos aptauimus: propitietur populo ſuo miſericors Dominus, deprecamur, & ſecundum altitudinem cæli a terra

ANNO CHRISTI 1416. corroboret misericordiam suam super timentes se. Vnde quamquam varios perpessi fuimus pro pace ecclesiæ consequenda labores, & per anni circulum & vltra circa hoc vacauerimus, nondum venit dies Domini, in qua pace frui optabamus; verum appropinquat: speramus in eius auctore, quia arras ipsius reperimus. Nam dominus, qui Gregorius duodecimus in sua obedientia dicebatur, sua sponte cessit: sic & dominus, qui Ioannes XXIII. dicebatur, facere voluit, atque fecit. Vt autem hoc idem faceret dominus Petrus de Luna, qui Benedictus decimustertius in sua obedientia nominatur, legatos & nuntios nostros ad serenitatem vestram, & ipsum cum sereniſſimo Romanorum rege venerabiles & reuerendos patres, & doctiſſimos viros archiepiscopum Turonensem, & alios collegas destinaueramus. Qui quidem dominus Petrus admonitus, rogatus, exhortatus & requisitus humiliter, apte, debite & iuridice, cessionem per ipsum iure diuino pariter & humano, & alias multipliciter debitam facere noluit, sed hucusque distulit atque differt in totius ecclesiæ scandalum, ac populi Christiani iacturam & animæ suæ detrimentum. Quam quidem cessionem vt faceret, per vos fuit dictus dominus Petrus de Luna requisitus pluries per principes & comites notabiles obedientiæ suæ. Idcirco vt filii pii matri suæ compatientes, nitimur, & quantum in nobis est, nisi fuimus pacem prædictam obtinere, & animos virtuosorum virorum ad hoc allicere, quatenus in illo, qui est verus ecclesiæ sponsus, congregati in vnum simul, matrem ecclesiam diuisam vniamus, & indecentia quælibet quæ dicti schismatis occasione pullularunt, tollamus, & de medio auferamus. Hinc serenitatem vestram obsecramus per viscera misericordiæ Dei nostri, & per aspersionem sui precioſiſſimi sanguinis, & per precium redemptionis nostræ exoramus, requirimus & monemus, quatenus ob Dei nostri reuerentiam ad tractandum vna nobiscum super infra scriptis veniatis, & subditos vestros, qui possint & debeant Conciliis generalibus interesse, quos vna vobiscum præsentibus conuocamus, moneatis, inducatis, & eosdem auctoritate a Deo vobis tradita, qua potestatis culmina intra ecclesiam principatus proprio decore tenetis, & de eadem reddituri estis rationem, iuxta

dispositionis vobis traditæ modum conuocetis, vt infra tres menses immediate sequentes, præsentationem Perpiniani aut Barcinonæ de præsentibus faciendam, concordatam in capitulis die decimotertio Decembris proxime lapsi Narbonæ super materia vnionis firmatis (de qua quidem præsentatione certificabimini in Constantia) compareatis ad schisma sedandum, vnionem ecclesiæ procurandam, reformationem etiam ipsius ecclesiæ tam in capite quam in membris complendam, & deiectionem dicti Benedicti effectualiter faciendam, & ad electionem futuri Romani pontificis procedendum, ac pro aliis causis & rationibus, quæ ad generale Concilium de iure pertinent & spectant. Per hoc enim populum quem Christus suo sanguine precioso acquisiuit, in vnum ouile ad gloriam æternam consequendam, apta mente, ac debitum Deo & ecclesiæ matri nostræ reddituri, æternæque retributionis præmia consequi poteritis. ANNO CHRISTI 1416.

Datum & actum Constantiæ in ecclesia cathedrali dicti loci, in qua pro præmissis fueramus congregati secundo Nonas Februarii, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, apostolica sede vacante.

Postquam autem præfatus archiepiscopus suam lecturam compleuisset, ambasiatores dicti regis Aragonum volentes satisfacere dicto capitulo, dixerunt per organum præfati magistri Antonii Taxal, vt sequitur.

Nos oratores & procuratores illustrissimi principis domini Alphonsi, domini nostri regis Aragonum, &c. conuocamus vos omnes prælatos, & ceteros dominos de hac congregatione, iuxta tenorem dicti capituli.

Deinde prælati, & ceteri in ipsa congregatione existentes, per organum dicti archiepiscopi Mediolanensis responderunt in hunc modum.

Nos miseratione diuina episcopi, presbyteri & diaconi cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, prælati, & ceteri hic congregati, dictam conuocationem acceptamus, & offerimus nos paratos sine dilatione quacumque ad procedendum ad vlteriora. Et insuper requirimus vos oratores & procuratores prædictos, quatenus ad vnionem faciendam nobiscum procedatis iuxta tenorem tertii capituli conuentionis prædictæ, quod incipit: Tertio,

ANNO CHRISTI 1416. quod præfatis de obedientia domini Benedicti, &c. Oratores vero regis Aragonum reſponderunt per organum dicti domini Antonii Taxal, dicentes: Nos oratores & procuratores prædicti, dicto nomine vnimus nos vobis iuxta tenorem capituli antedicti. Mox domini prælati & ceteri dixerunt, & reſponderunt per organum domini Bartholomæi archiepiſcopi Mediolanenſis, vt ſequitur.

Nos miſeratione diuina epiſcopi, presbyteri & diaconi cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, prælati, & ceteri hic congregati, ſupradictam vnionem veſtram acceptamus, & e conuerſo nos vobis procuratoribus prædictis dicto nomine iuxta tenorem dicti capituli vnimus. Et ſic tam prælati, quam ambaſiatores prædicti dixerunt ſubmiſſa voce: In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. Et ſuper præmiſſis petierunt inſtrumentum & inſtrumenta hinc inde. Et præſidentes pro nationibus, ac cardinalis Oſtienſis pro collegio cardinalium, reſponderunt, Placet.

Quibus ſic peractis, præfati domini ambaſiatores regis Aragonum deſcenderunt ambonem, & iuerunt in ſcamno, in quo ſedebant domini ambaſiatores regis Franciæ. Et interpoſiti fuerunt inter eoſdem in hunc modum. Primo enim in primo loco ſedebat egregius vir Ioannes de Gerſono cancellarius eccleſiæ Pariſienſis, ſacræ theologiæ profeſſor, ambaſiator Francorum regis. Et poſt eum ſedebat dominus Ioannes Raimundus Floch comes Cardonæ, ambaſiator Aragonum regis, & ſic de ſingulis.

Quibus ſic ordinatis, & in bona concordia completis, reuerendiſſimi domini cardinales ac ceteri domini ac prælati pluuialibus ſe induerunt, mitras capitibus imponentes: & reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, in eadem ſeſſione præſidens exiſtens, aſſumptis ſecum diacono & ſubdiacono, & aliis, vt eſt moris; diaconus dixit alta voce cantando: Orate. Et hoc dicto, omnes genibus flexis per aliquod temporis interuallum orauerunt, &c. omnibuſque ceremoniis completis ſolenniter, prout eſt de more aliarum ſeſſionum, lectoque euangelio, *Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem*, archiepiſcopus Mediolanenſis legit decreta & capitula ſequentia. Ioan. 15.

Conceſſio vocum ambaſiatorum regis Aragonum. ANNO CHRISTI 1416.

Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis in Spiritu ſancto legitime congregata, ex certa ſcientia & etiam certis ex cauſis animos dictæ Synodi ſpecialiter mouentibus, pro bono pacis & vnionis redintegrandæ in eccleſia ſancta Dei, ſtatuit & decernit, ac ſalua ſemper proteſtatione infra ſcripta, quam in omnibus infra ſcriptis capitulis, & in ſingulis eorum partibus voluit habere pro repetita, liberaliter concedit dilectis eccleſiæ filiis, nobilibus, religioſis & egregiis viris Ioanni Raimundo Floch Cardonæ comiti, fratri Antonio Taxal ſacræ paginæ magiſtro, generali ordinis beatæ Mariæ de mercede, & Raimundo de Xantin militi, Speranti-in-Deo Cardonæ iuriſperito, Gundiſaluo Garſiæ de ſancta Maria decretorum, & Michaeli de Nauers vtriuſque iuris, doctoribus, oratoribus, procuratoribus, ambaſiatoribus & conſiliariis clariſſimi ipſius eccleſiæ filii Alphonſi regis Aragonum illuſtris, & pro maiori robore & firmitate cum eiſdem oratoribus præſentibus conuenit ac paciſcitur, quod oratores præfati præſentes, & alii venturi oratores eiuſdem regis, hic durante Concilio, & pro hac vice tantum, tantam habeant vocem, tantæ virtutis & auctoritatis, quantæ eſſent voces omnium prælatorum, eccleſiaſticarumque perſonarum, regnorum & terrarum ipſius regis, quæ poſſidet citra & vltra mare, quæ ad generale Concilium ſunt aſſuetæ vocari; & hoc in hac natione Hiſpanica in qua erunt: quodque per hoc Concilium expediantur negotia per nationes, iuxta modum qui in præſenti Concilio hactenus obſeruatus eſt.

Item quod clariſſimi eccleſiæ filii reges Caſtellæ, Portugalliæ & Nauarræ illuſtres, habeant eamdem gratiam, quæ etiam exnunc intelligitur conceſſa, inquantum ipſi vel procuratores eorum habere eam voluerint: ipſis tamen regibus Caſtellæ & Nauarræ obſeruantibus capitula in ciuitate Narbonenſi inter clariſſimum eccleſiæ filium Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ regem illuſtrem, & dilectos etiam ipſius eccleſiæ filios, procuratores & nuntios dictæ Synodi ex vna; & procuratores & oratores prædictorum regum Caſtellæ, Aragonum & Nauarræ, & dilectorum eccleſiæ filiorum Fuxi & Armeniaci

ANNO CHRISTI 1416. niaci comitum partibus ex altera concordata.

Item quod prædicta conceſſio valeat pro prælatis & perſonis eccleſiaſticis prædictis, tunc a Concilio abſentibus.

Item ſolenniter proteſtatur, quod prædicta conceſſio atque ſtatuta, decreta, conuentiones & pacta huiuſmodi omnino intelligantur facta ſine aliquo præiudicio capitulorum prædictorum, in dicta ciuitate Narbonenſi concordatorum: quibus capitulis concordatis ac concordiæ dicta ſancta Synodus omnino ſtare intendit, nec ab eis in toto vel in parte recedere; & ita in præſentia oratorum prædictorum ſolenniter proteſtatur.

Subſequenter idem archiepiſcopus legit in ambone quæ ſequuntur.

Sacroſancta generalis Synodus Conſtantienſis, in Spiritu ſancto legitime congregata, viſo & conſiderato capitulo ſecundo ex capitulis Narbonenſibus, inter clariſſimum eccleſiæ filium Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ &c. regem illuſtrem, & dilectos etiam eccleſiæ filios, procuratores & nuntios dictæ Synodi ex vna, & procuratores & oratores clariſſimorum dictæ eccleſiæ filiorum, Caſtellæ, Aragonum & Nauarræ regum illuſtrium, & dilectorum eccleſiæ filiorum Fuxi & Armeniaci comitum partibus ex altera concordatis, quod incipit: Secundo, quod dictæ conuocationes fiendæ, &c. Deinde finito dicto capitulo legebat hæc verba: videlicet,

Volens in omnibus obſeruare dictum capitulum, promittit, ratum habet, ſecurat, & ſpecialiter confirmat ac nouiter firmat, ac ſtatuit & decernit in omnibus & per omnia, prout in dicto capitulo cõtinetur. Viſo etiam quarto capitulo dictorum capitulorum, quod incipit: Quarto, quod per dictum vniendum Concilium, &c. abolet, tollit, annullat eadem ſancta Synodus quoſcumque proceſſus, ſententias, ordinationes, ſtatuta & pœnas, vt in dicto capitulo quarto ſupra deſcripto continetur, vſque ibi: Et quod ſtatuatur, &c.

Item ſtatuit eadem ſancta Synodus, quod nunquam de cetero ratione vel occaſione dicti ſchiſmatis aut adhæſio-

nis dicti domini Benedicti, & sui prædecessoris domini Clementis, possit contra dictos reges, principes, & alios de obedientia dicti Benedicti quomodolibet procedi in iudicio vel extra, vt in fine dicti capituli quarti supra descripti continetur. Viso etiam quinto capitulo, quod incipit: Quinto, quod per dictum formandum capitulum & Concilium &c. eadem sancta Synodus approbat, laudat, confirmat, & meliori modo quo fieri potest, plenissime firmat omnes & singulas dispensationes, gratias & concessiones factas per dominum Benedictum prædictum quibusuis personis suæ obedientiæ, de quibusuis dignitatibus, vt in dicto quinto capitulo continetur, vsque in diem primæ requisitionis factæ eidem domino Benedicto per reges & principes suæ obedientiæ, vt in ipso capitulo continetur. Viso etiam vndecimo capitulo, quod incipit: Vndecimo, quod dictus dominus rex, &c. Et attento quod dicitur in dicto vndecimo capitulo ibi: Et quod in prima sessione dicta sancta Synodus, &c. facit, concedit, statuit & ordinat in omnibus & per omnia, prout in dicto vndecimo capitulo continetur. Anno Christi 1416.

Omnia præmissa tam prælati, ceterique notabiles viri sessioni interessentes, quam oratores sæpe fati, expresse iurauerunt. Iuramenta autem prædicta nomine Concilii & aliorum quorum intererat, de ipsius Concilii mandato requisiuerunt & receperunt reuerendi patres domini Iacobus Rhodini a parte dextra, in qua sedent episcopi & presbyteri cardinales, & Thomas Poltensis sanctæ sedis apostolicæ protonotarius a parte sinistra, in qua sedent diaconi cardinales & ceteri.

Quibus præstitis præfatus dominus Mediolanensis legit schedulam tenoris sequentis: Et prædicta omnia & singula intelligantur, & locum habeant, semper attento tenore omnium & singulorum capitulorum Narbonæ concordatorum, quibus & eorum cuilibet dicta sancta Synodus stare intendit, nec ab eis, vel eorum aliquo in toto vel in parte recedere. Ad quam ex parte nationum & dominorum cardinalium fuit responsum, Placet. Deinde dominus Antonius Taxal legit quamdam schedulam tenoris subsequentis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1416.

Schedula acceptationis, per ambasiatores regis Aragonum lecta.

Nos Ioannes Raimundus Floch comes Cardonæ, frater Antonius Taxal sacræ paginæ magister, generalis ordinis beatæ Mariæ de mercede, Raimundus Zatmar miles, Spèrans-in-Deo Cardonæ iurisperitus, Gundisaluus Garsiæ de sancta Maria decretorum, & Michael de Nauers, vtriusque iuris doctores, oratores, procuratores, ambasiatores & consiliarii illustrissimi principis & domini nostri Alphonsi regis Aragonum &c. dictis nominibus & quolibet ipsorum nominum, omnibusque aliis melioribus modo, via, iure, forma, causa & nominibus, quibus validius & efficacius possumus & valemus, omnia & singula decreta, statuta & protestationes, nec non conuentiones ac pacta per sacrosanctam generalem Synodum Constantiensem nobiscum dictis nominibus facta & edita, & quæ nunc sunt serioSius lecta, ipsa habentes pro sufficienter expressis, & solenniter repetitis, vice & nomine domini nostri regis præfati, ac omnium regnorum & terrarum suarum, acceptamus, assentimus, approbamus, & solenniter confirmamus: & similiter sicut ipsa Synodus protestata est, quod non intendit recedere a capitulis in prædicta ciuitate Narbonensi concordatis, de quibus in decreto præsentis Concilii nunc de proximo edito, quod hic volumus habere pro expresso & specifice declarato, facta extitit mentio specialis, ita & nos dictis nominibus & quolibet eorum solenniter protestamur. Et super omnibus superius descriptis, promotores Concilii petierunt instrumenta. Et similiter ambasiatores regis Aragonum per organum Antonii Taxal hoc idem petierunt.

Prædictis peractis, Antonius Taxal fecit collationem ad commendationẽ regis & reginæ Aragonum, assumens pro themate, *Rex tuus venit*, Matth. 21. Qua collatione facta reuerendissimus pater dominus Franciscus tituli sanctorum Cosmæ & Damiani cardinalis, nomine Synodi respondendo Antonio Taxal, fecit breuem collationem, dicens: Exultemus omnes in Domino. Post huius collationem cœperunt omnes cantare hymnum, Te Deum laudamus, &c. Et oratione dicta, fuit cantata Missa de Spiritu

sancto per reuerendissimum patrem cardinalem Aquileiensem vulgariter nuncupatum. Acta fuerunt hæc anno, indictione, mense & loco quibus supra, &c. ANNO CHRISTI 1416.

SESSIO XXIII.

IOVIS die quinta mensis Nouembris, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, indictione nona, fuit celebrata generalis sessio in maiori ecclesia Constantiæ, præsidente eidem sessioni reuerendissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali & vicecancellario. Fuitque cantatum officium Missæ de Spiritu sancto per dominum Ioannem patriarcham Antiochenum. Quo expleto, legebantur litaniæ, & alia fiebant quæ in sessionibus fieri solent. Eisdem completis, reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis legit & publicauit ordinationem sanctæ Synodi sub tenore sequenti.

Commissio deputatorum data super informatione summaria facienda ad effectum citationis personalis, & per edictum contra Petrum de Luna.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, in auctore pacis vno Deo nostro Iesu Christo, qui sibi sponsam vnam sanctam ecclesiam sui precioſi sanguinis precio comparauit, quæ in Christo Iesu summo angulari lapide creuit in templum sanctum in Domino, iunctisque simul parietibus fecit vtraque vnum, vt in pace fieret locus eius ad tollendum pacis obstacula, vniendamque scissuram fidelium, in qua ille* Christi aduersarius caput ecclesiæ malignantium, dolens satis & erubescens, hominem constantem ex lutea materia, caritatem in terra tenere, quam in cælo nequiuerat habere, ipsius sponsæ Christi per schisma pestiferum, proh dolor, ingens, & tam diuturnis, vtpote trigintaocto annorum, temporibus iam peractis, caritatem vulnerauit, rescidit vnitatem. Quæ licet in magna parte Spiritus sancti gratia in præsenti sacratissima generali Synodo ad hoc præcipue inter cetera congregata cooperante, coniuncta sit per eiectionem & renuntiationem domini Baltassaris olim Ioannis vigesimitertii, & renuntiationem Angeli de Corario, Gregorii duodecimi in sua obedien-

Eph. 2.

* pacis

ANNO CHRISTI 1416. tia nuncupati, qui inter se cum domino Petro de Luna, Benedicto decimotertio in sua obedientia nuncupato, de papatu contendebant; quorum Ioannis & Gregorii Dei gratia in eadem sancta Synodo obedientiæ sunt vnitæ: adhuc tamen hostis ille vnitatis & pacis, in reliqua parte, videlicet in sua obedientia dicti domini Petri, Benedicti decimitertii nuncupati, seu eius parte, per eiusdem domini Petri duritiam, pertinaciam & contumaciam, in graue & maximum scandalum vniuersalis ecclesiæ & Christiani populi, atque periculum fidei catholicæ & ruinæ fidelium animarum, sciſſam detinet, & lacrymabiliter vulneratam: idcirco eadem sancta Synodus inter cetera ad ipsum schisma & hæreses alias extirpandum, procurandamque ipsius ecclesiæ vnionem, præcipue congregata, considerans quod præmissis attentis, totum huius reliqui schismatis pondus in persona dicti domini Benedicti consistit, & quod in eo solo stat, quo minus ipsum schisma radicitus extirpetur, & per consequens resultet præfata vnio ecclesiæ sanctæ Dei: & attendens quod tam in diuturnis temporibus quibus hoc schisma pestiferum * pertractum est, omnium doctissimorum virorum Christi fidelium ingenia, etiam cum summis studiis & laboribus, attentis maxime difficultatibus eiusdem schismatis, nullam viam possibilem & securam sine fidelium scandalo ad præfatum schisma extirpandum reperire potuerunt, præter cessionem de papatu omnium contendentium: quam viam idem dominus Benedictus vocatus a suis, velut multorum Christi fidelium vox testatur, ante suam electionem a suis in papam, pro pace danda ecclesiæ laudauerat & approbauerat, atque in ipso conclaui quando fuit electus, promisit & iurauit prosequi vnionem ecclesiæ per omnes vias accommodas, vsque ad cessionem de papatu inclusiue, si ipsum in papam eligi contingeret, vt cardinalibus qui tunc erant, vel eorum maiori parti expedire videretur, atque post suam electionem idem promisit & iurauit; dictaque conditio postmodum etiam purificata extitit: & deinde pro pace danda ecclesiæ promiserit & iurauerit papatui suo prætenso cedere, altero videlicet, Ioanne & Gregorio cum eo contendente, cedente, mortuo vel eiecto: quæ etiam conditio in ambobus, videlicet

* *f.* protractum

Ioanne & Gregorio prædictis, ſolenniter impleta eſt, vt præfertur. Attendens igitur quod idem dominus, dictus a ſuis Benedictus, iam viginti duobus annis completis, papatum ſecundum ſe tenuit, quibus temporibus multifarie multiſque modis ex parte regum, principum, prælatorum & aliorum Chriſtianorum, tam ſuæ, quam alterius obedientiæ, etiam poſt purificationem conditionum prædictarum, fuit cum magnis & iteratis inſtantiis ſerioſe, ſolenniter, humiliter & deuote requiſitus, quatenus pro tollendo huiuſmodi ſchiſmate, & pro vnione eccleſiæ ſanctæ Dei vellet ſuo prætenſo papatui cedere, prout ſecundum omnium fidelium, ſeu maioris partis illorum iudicium tenebatur iure diuino pariter & humano, quod facere ipſe ſemper animo pertinaci atque effrenato, ſuperbiæ ac tumoris ſpiritu correptus, recuſauit, & ſubterfugia quædam adhibens, ad excuſandum excuſationes in peccatis, eccleſiam ipſam in huiuſmodi ſchiſmate, quod ipſe tollere potuit, relinquens, nullam debitam curam aut diligentiam ſufficientem & effectualem adhibuit ad ipſum ſchiſma tollendum, & eccleſiæ vnionem conſequendam; ſed ad vnum terrarum angulum in caſtro munitiſſimo Paniſcolæ in litore maris, vbi ad eum non eſſet tutus acceſſus, ſe recluſit, vbi omni ſuo poſſe præfatum inueteratum ſchiſma nutrit & fouet, & impedimenta quæcumque poteſt, præſtat & procurat, ne ad dictam vnionem peruenire poſſit: quæ omnia ſecundum ſanctorum decreta hæreſim inferunt manifeſtam. Eapropter ſuper præmiſſis & aliis declarandis in proceſſu, & latius exprimendis, volens eadem ſancta Synodus euacuare quod ex parte eſt, vt ſequatur perfectum, & ad ipſum ſchiſma penitus ſubmouendum procedere, licet præmiſſa omnia, notoria & vera communiter habeantur & reputentur, & ſuper illis tota fidelium clamet multitudo, ſibiipſi ſatagens prouidere, quaſi pro quodam huiuſmodi prouiſionis remedii fundamento, committit deuotiſſimis eccleſiæ filiis Guillermo tituli ſancti Marci, & Franciſco tituli ſanctorum Coſmæ & Damiani, dicto Florentino, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, Ioanni electo patriarchæ Conſtantinopolitano, ac venerabilibus fratribus Stephano Dolenſi, Roberto Saresbirienſi, epiſcopis, ac dilectis eccleſiæ filiis Ia- Anno Chr. 1421. 1416.

ANNO CHRISTI 1416. cobo electo Parmensi, Guillermo Pulcri nepotis, fratri Antonio Taxal generali ordinis beatæ Mariæ de mercede, fratri Mauricio de Praga, sacræ paginæ professoribus, Michaeli de Nauers, Nicolao Vuordis iuris vtriusque, & Ioanni Belles decretorum, doctoribus, & eorum maiori parti, quatenus super præmissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis, dependentibus & connexis, ac aliis ad ea quomodolibet facientibus, illorumque notorietate, fama & clamore, ac etiam quæ loca insignia consistant viciniora dicto castro Paniscolæ, ad quæ sit tutus accessus, summarie & diligenter inquirant, testes & alia probationum genera recipiant & examinent, eorumque dicta & attestationes, & alia quæcumque inuenerint, in scriptis & forma publica redigant, seu redigi faciant, & ea etiam sacræ Synodo repræsentent & fideliter referant, vt exinde ipsa Synodus procedat, decernat & statuat, prout ad pacem & salutem ecclesiæ & fidelium, extirpationem schismatis & vnionem ipsius ecclesiæ secundum iustitiã videbitur expedire. Datque eisdem commissariis & maiori ipsorum parti, testes per censuram ecclesiasticam compellendi veritati testimonium perhibere, & alios quoscumque præstantes ad prædicta impedimenta coercendi, & alia faciendi circa præmissa necessaria & etiam opportuna, plenam & liberam potestatem. Lecta autem dicta ordinatione, dictus patriarcha Antiochenus pro omnibus dictæ Synodi nationibus, & de ipsarum consensu respondit per verbum, Placet. Et præfatus dominus Ostiensis nomine collegii cardinalium similiter respondit: Placet.

SESSIO XXIV.

Pro citatione decernenda contra Petrum de Luna.

DIE Sabbati vigesimaoctaua dicti mensis Nouembris fuit sessio generalis per Synodum Constantiensem mane hora Tertiarum in ecclesia maiori prædicta Constantiensi solenniter celebrata, in qua reuerendissimus pater dominus patriarcha Antiochenus officium Missæ celebrauit. Quo finito, more aliarum sessionum legebantur litaniæ. Præsidebat autem eidem sessioni dominus Ioannes episcopus Ostiensis. Reuerendissimus autem pa-

ter dominus Stephanus episcopus Dolensis, de mandato & ordinatione sanctæ Synodi & ordinatione ipsorum commissariorum, legebat citationem decretam contra Petrum de Luna: cuius citationis tenor sequitur, & est talis. ANNO CHRISTI 1416.

Tenor citationis contra Petrum de Luna.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam repræsentans, vniuersis & singulis venerabilibus fratribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis ac dilectis ecclesiæ filiis abbatibus, prioribus, præpositis, decanis, archidiaconis, tam cathedralium, quam collegiatarum canonicis, parochialium & conuentuum ac regularium ecclesiarum rectoribus, ceterisque viris ecclesiasticis, nec non notariis & tabellionibus publicis quibuscumque, ac aliis Christi fidelibus vbilibet constitutis, & cuilibet eorum in solidum, ad quos præsentes nostræ literæ peruenerint, salutem & omnipotentis Dei benedictionem, ac mandatis nostris & ecclesiæ diligenter obedire.

Clamat sancta fidelium mater ecclesia sponsa Christi, clamat Christiani populi multitudo, clamauerunt iam a multis annis ad Dominum, cum per hoc tam vrgens diuturnis temporibus schisma pestiferum tribularentur, & tribulantur, nec in totum adhuc exaudiuit eos. Attendunt enim, quanta per hoc infaustum pestiferumque schisma & diuisionis vulnus nefandissimum, est vniuersalis ecclesiæ calamitas, quam inueterata scissura, quantaque lethalis infirmitas, quamque postremo graues & prope casum ruinæ iam, proh dolor, in vita & moribus, in statu & honestate cleri, tam in libertatibus suis, & quod grauius est, in cultura Dei & officiis ecclesiasticis, quodque grauissimum est, in religione & fide Christiana, ipsa deformatur ecclesia. Insurrexerunt & pullulant in diuersis regionibus horrendæ hæreses a tempore huius pernicioſissimi schismatis, & nisi eidem ecclesiæ de vnico summo pastore & indubitato Christi vicario prouideatur celeriter, per cuius prouidentiam cum Dei auxilio præfatis occurratur periculis, & tam grauibus vniuersalis ecclesiæ morbis competens adhibeatur medela: pertimescendum est, ne labatur, prout iam sæpe lapsus est omnis decor eius, deturque vniuersis genti-

Anno Christi 1416. gentibus in contemptum, & ſtatus eius ſit, vt iam eſſe incepit, in opprobrium & conculcationem, ex quibus eccleſia Dei & fidelis populus Chriſtianus graue ſcandalum patiuntur. Et quod licet dominus Benedictus papa decimustertius, a vigintiduobus annis citra ſic in ſua obedientia nuncupatus, præ ceteris iſtud ſchiſma, quod ante eiuſdem domini Benedicti electionem iam ſexdecim annis ipſo exiſtente cardinali durauerat, totis viribus tollere etiam vſque ad exponendum animum pro grege dominico teneretur & teneatur: licet etiam eidem Benedicto eccleſiæ prædictæ calamitates, ſciſſuræ & alia pericula & ſcandala præmiſſa incognita non fuerint, nec ſint, ſed eidem & toti populo Chriſtiano notoria; ipſeque prædictis calamitatibus & ſciſſuris, periculis & ſcandalis obuiare, ac totum prædictum ſchiſma tollere potuerit, & adhuc poſſet, attento maxime quod Ioannes papa vigeſimustertius, ſic in ſua obedientia nuncupatus, a ſuo papatu tam per illius canonicam electionem, quam per ſuam renuntiationem amotus ſit: & Gregorius duodecimus, ſic in ſua obedientia nuncupatus, ſponte renuntiauerit, ſolo ipſo Benedicto pro papa poſtmodum ſe gerente, ſuper quem & in quo principaliter totum pondus dicti peſtiferi ſchiſmatis & facultas illud ſubmouendi, & a quo præmiſſa omnia mala & pericula prouenerunt & perdurant, conſtat & conſiſtit adhuc: licet inſuper idem dominus Benedictus exiſtens cardinalis, ante ipſius electionem, ad tollendum dictum ſchiſma viam renuntiationis mutuæ contendentium de papatu laudauerit, approbauerit, & dixerit eſſe vtiliorem & faciliorem, & iurauerit ſolenniter cum aliis cardinalibus ipſius obedientiæ imminente electione ſummi pontificis Romani, in ſua obedientia per eos fienda, quod ſi ipſum in papam contingeret aſſumi, prout fuit aſſumptus, ipſe vnionem eccleſiæ ſine excuſatione, dilatione & machinatione quibuſcumque diligenter proſequeretur per omnes vias accommodas, etiam vſque ad ceſſionem papatus incluſiue, ſi præfatis cardinalibus qui tunc erant, vel eorum maiori parti videretur expedire, ipſeque in papam aſſumptus idem iurauerat, & poſtea dictis cardinalibus vel eorum maiori parti, imo omnibus præter vnum, viſum fuit expedire, quod ipſe vnionem eccleſiæ proſequeretur

per viam mutuæ cessionis, & quod illam offerret. Et hoc idem eidem Benedicto per eos in papam assumpto extitit postmodum declaratum, & dicta purificata conditio. Fuitque deinde ex parte carissimi ecclesiæ filii Caroli Francorum regis per suos solennes legatos claræ memoriæ duces Bituricenses,* Burgundiæ, patruos, & Aurelianensem fratrem dicti regis, & alios plures ad eum propter hoc destinatos, nec non zelatores pacis ecclesiæ cardinales præfati Benedicti in sua obedientia nominati, & postmodum ex parte dicti regis Franciæ, nec non carissimorum ecclesiæ filiorum Angliæ & Castellæ regum, per suos solennes ambasiatores, & deinde specialiter & singulariter ex parte eiusdem ecclesiæ filii carissimi Venceslai Bohemiæ, &c. tunc Romanorum regis, & consequenter per alios plures cum magna deuotione & humilitate supplicatum, & etiam in vim præstiti iuramenti per eum requisitus, quatenus vellet prosequi vnionem ecclesiæ per viam mutuæ cessionis suæ & alterius contendentis cum eo de papatu, apud quem similiter prosequi habebant in mandatis, & intendebant. Quæ via fuerat, fuit & est ab omnibus Christi fidelibus, maxime a principibus & prælatis ac vniuersitatibus generalium studiorum, atque doctoribus & prudentibus viris diuersarum obedientiarum prædictarum, ac a maiori parte eorumdem approbata: & in tam diuturnis temporibus nulla alia accommoda, secura, efficax & facilis ad tollendum schisma præsens, attentis difficultatibus in iure & in facto, potuit reperiri: reputatumque fuit, & est a doctissimis viris & peritis diuini & humani iuris, quod idem Benedictus pro vnione ipsius ecclesiæ, ac tollendo ecclesiæ scandalo & schismate, suo papatui cedere & tenebatur & tenetur. Licet insuper idem Benedictus aliquorum deuictus instantia, Deo & ecclesiæ promiserit, iurauerit & vouerit, pro vnione ecclesiæ cedere papatui, altero de papatu cum eo contendente, cedente, mortuo vel eiecto, & Ioannes XXIII. eiectus fuerit & cesserit, ac Gregorius præfatus cesserit, vt præfertur: fueritque idem Benedictus post hæc omnia, nullo pro papa se gerente, nisi ipso, ex parte principum suæ obedientiæ, nec non vniuersorum fere fidelium solenniter per carissimum ecclesiæ filium Sigismundum Romano-

Anno Christi 1416.

ANNO CHRISTI 1416. rum, qui propter hoc ad eum personaliter accessit, & claræ memoriæ Ferdinandum Aragonum, reges, atque nonnullos alios principes & dominos suæ obedientiæ apud eum propter hoc personaliter accedentes, nec non legatos Franciæ, Angliæ & Castellæ prædictorum, nec non carissimi ecclesiæ filii Caroli Nauarræ, regum, atque generalis Concilii Constantiensis prouinciæ Moguntinensis, sic per obedientias dicti Ioannis & Gregorii tunc nuncupati, cum magna deuotione, humilitate & instantia sæpe requisitus, quatenus præmissis attentis, cum non esset humanitus possibile dictas alias obedientias ad suam obedientiam reduci, & in eo principaliter consistebat pondus schismatis & facultas illud tollendi, vellet dare pacem ecclesiæ, & schisma tollere per suam de suo papatu renuntiationem, ad quod tenebatur de iure diuino pariter & humano, præsertim cum nulla alia via sedandi schismatis prædicti per tot prudentium ingenia & labores tam diuturnis temporibus potuerit ad hoc accommoda (vt præmittitur) reperiri. Idem tamen Benedictus, tantorum regum ac principum, quinimo quasi totius ecclesiæ, huiusmodi toties iteratis precibus, requisitionibus & admonitionibus contra propria iuramenta recusatis & spretis ac minime exauditis, præfatisque ipsius ecclesiæ calamitatibus, scandalis atque periculis non compatiens nec prouidens, de loco Perpiniaci, ad quem præfati reges & principes ac legati pro præmissis conuenerant, cum armata manu recessit, & ad Colliberium portum maris, vbi suas galeas armatas habebat, se transtulit. In quo loco existens, fuit adhuc de præmissis requisitus, pro parte oratorum regum Castellæ, Aragonum & Nauarræ, ac principum prædictorum. Quam requisitionem tunc non exaudiuit, sed in longum protraxit; nec etiam postea exaudiuit: & de dicto loco recedens, in munitissimo castro Paniscolæ Dertusensis diœcesis, vbi ad eum non est tutus accessus, se recluſit. Vbi ex parte præfati regis Aragonum de præmissa cessione fienda pro pace ecclesiæ fuit iterum & tertio requisitus, & iterum recusauit, & suo posse præfatum tam inueteratum schisma nutrit & fouet, & impedimenta quæcumque potest, præstitit & præstat, procurauit & procurat, ne ad prædictam

vnionem peruenirí poſſit: quæ omnia ſchiſma & hæreſim inferunt, ſeu inferre cenſentur, per quæ etiam turbatur & ſcandalizatur, læditur & periclitatur ſtatus vniuerſalis eccleſiæ prædictæ, diuque fuit turbatus, ſcandalizatus & læſus. Quod etiam ſcandalum tantum, quod, attento vniuerſalis eccleſiæ ſtatu, nulla ratione poteſt de congregatione fidelium remoueri, niſi ipſo cedente, mortuo vel eiecto, etiamſi haberet verum ius in papatu. Ex quibus idem Benedictus apparuit fuiſſe & eſſe fautor ac nutritor inueterati ſchiſmatis prædicti, atque ſchiſmaticus & hæreticus eſſe cenſendus. Et ſuper his omnibus fuit & eſt publice & diutius diffamatus, taliter, quod ſine ſcandalo eccleſiæ diſſimulari non poteſt, nec ſine periculo tolerari. Super quibus clamore valido clamat & conqueritur populus Chriſtianus, & præmiſſa quæ in facto conſiſtunt, notoria reputat atque vera. Conuenientes igitur in vnum more ſolito canonice conuocati, ac repræſentantes vniuerſalem eccleſiam, confidentes in Domino, qui cœpit in nobis bonum opus, duobus iam ipſius auxiliante gratia remotis impedimentis, & ipſe perficiet, & exurgens miſerebitur Sion, quia tempus miſerendi eius, quia venit tempus: e-contra tertium, videlicet dominum Benedictum diu expectatum, ſed ad cor adhuc minime reuertentem, decreuimus ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis fore ſummarie & de plano per nos procedendum, propter quæ ſuper fama & notorietate præmiſſorum, ſummarie & ſimpliciter mandauimus per nonnullos venerabiles viros fratres, & dilectos eccleſiæ filios, cardinales ſanctæ Romanæ eccleſiæ, & alios prælatos, & alios tam ſanctæ paginæ quam vtriuſque iuris profeſſores, commiſſarios noſtros ad hoc ſpecialiter deputatos, inquiri, informationemque recipi; quam legitime receptam, referri iuſſimus in publica ſeſſione noſtra totius ſacroſanctæ Conſtantienſis Synodi. Qua plene audita & diſcuſſa, maturo decreuimus atque digeſto conſilio in & ſuper præmiſſis, ſaltem quantum ad officium præſentis iudicii pertinet, procedendum fore, vt in notoriis contra præfatum Benedictum, & ſi forſan attenta natura præfati proceſſus notorii, citandus minime iuris rigore ſeruato veniret, citandum fore ad cautelam, in hoc dumtaxat citationis articulo rigori iuris indulgendo,

Anno Christi 1416.

ANNO CHRISTI 1416. non intendentes ſuper hoc quouis modo formam notorii proceſſus, ſeu eius ordinem obmittere ſeu relaxare, & iudicialis ſeu ordinarii proceſſus eligere ſeu exquirere formam. Et quia eumdem Benedictum feciſſe & facere, quo minus ad perſonam ſuam pateat tutus acceſſus, ſuper his recepta ſummaria & legitima informatione reperimus, nos ſpecialiter & ex certa ſcientia eumdem Benedictum citari decreuimus per edictum publicum, ad inſtar edictorum in albo prætorio poſitorum, citationemque in audientia publica eiuſdem ſacri Concilii, quam vicem & effectum apoſtolicæ curiæ & audientiæ apoſtolicæ literarum decernimus & decreuimus obtinere, publice faciendam. Vobiſque omnibus & ſingulis, & cuilibet veſtrum qui ſuper his exequendis publice fueritis requiſiti, & fuerit requiſitus, in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, quatenus vigore literarum noſtrarum præſentium per vos & alium, ſeu alios, citetis publice præfatum Benedictum, quem etiam nos earumdem literarum tenore citamus. Ipſaſque literas noſtras publice legatis, vel legi faciatis in audientia literarum prædictarum, ac valuis maioris eccleſiæ Conſtantienſis affigatis, ſeu affigi faciatis. Inſuperque & ex ſuperabundanti (vt nihil in hac re ſine diligenti vigilantia videatur abſolutum) ad perſonam eiuſdem Benedicti, ſi ad ipſum vobis, vel alicui veſtrum, requiſitis vel requiſito, tutus forſan fuerit acceſſus: ſin autem, ad portas dicti caſtri, villæ, ſeu loci Paniſcolæ, ſi etiam illuc vobis vel veſtrum alicui (vt præmittitur) fuerit tutus acceſſus: alioquin in eccleſia Dertuſenſi, & in valuis eccleſiarum maioris villæ ſancti Matthæi, aut villæ aut caſtri *Certariæ eiuſdem Dertuſenſis diœceſis, aut in aliis locis circumuicinis, quæ ad hoc idonea decernimus, in ipſorum locorum eccleſiis inter ipſarum Miſſarum ſolennia eaſdem noſtras literas alta & intelligibili voce publice legatis, & legi faciatis per vos vel alium, eumdemque Benedictum citetis peremptorie, ac vno edicto peremptorio pro omnibus, quem etiam eodem noſtro nunc per eaſdem præſentes literas citamus ad comparendum perſonaliter in eccleſia cathedrali Conſtantienſi, & in loco ſeſſionis noſtræ ad diem centeſimum, videlicet a die lectionis earumdem literarum noſtrarum in audientia publica prædicta,

*Certariæ

vel ad diem ſeptuageſimum a die citationis factæ, ad perſonam ſuam, vel ad valuas domicilii ſui (vt præmittitur) ita fieri contingat, alioquin a die citationis factæ & publicatæ in eccleſia Dertuſenſi prædicta. Quem terminum pro primo, ſecundo, tertio & peremptorio terminis aſſignamus, ad videndum & audiendum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis, & maxime ſuper crimine hæreſis & ſchiſmatis prædictorum, tamquam ſuper notoriis, & alias procedi ad omnes & ſingulos actus & articulos iudicii ſeu cauſæ huiuſmodi, vſque ad definitiuam ſententiam incluſiue, ipſamque ſententiam videndum proferri & audiendum, prout iuris fuerit, & prout vtilitati prædictæ vniuerſalis eccleſiæ viſum fuerit expedire: intimando eidem publice, prout etiam nos per eaſdem literas intimamus, quod ſiue venerit, ſiue non, nos etiam ipſius abſentia diuina repleta præſentia, contra eum ſuper præmiſſis omnibus & ſingulis vſque ad definitiuam ſententiam incluſiue procedemus, prout ad vtilitatem ipſius vniuerſalis eccleſiæ, mediante iuſtitia, videbitur faciendum. Volumus autem & mandamus, quatenus eaſdem noſtras literas, quas duplicandas & triplicandas, & etiam quoties opus fuerit, multiplicandas mandamus & decernimus, in valuis maioris eccleſiæ Dertuſenſis prædictæ affigatis, vel affigi faciatis, & affixas dimittatis per duas horas. Et deinde loco ipſarum noſtrarum literarum ſic affixarum, copiam illarum ſub ſigno alicuius notarii, eiſdem literis originalibus receptis, affigatis, vel affigi faciatis, & affixam dimittatis, quatenus toties & in tot locis facta earumdem literarum & citationis publicatio, omnis ignorantiæ & tergiuerſationis locum excludat. Decernentes, quod citatione huiuſmodi facta in audientia publica literarum, nec non in eccleſia Dertuſenſi præfata, cum affixionibus ad valuas eccleſiarum prædictarum (vt præmittitur) & alterius ipſarum, & quælibet earumdem citationum ſic valeat, & illum arceat poſt lapſum terminorum citationum ipſarum & cuiuſlibet earumdem, ac ſi ad propriam ipſius perſonam citatus extitiſſet, & eidem perſonaliter noſtræ prædictæ literæ lectæ & præſentatæ extitiſſent, omnes & ſingulos reges, principes ac dominos temporales, & præcipue cariſſimum eccleſiæ filium Alphonſum regem Aragonum, omneſque ſæcularem ac

ANNO CHRISTI 1416.

ANNO CHRISTI 1416. temporalem exercentes iurisdictionem, quocumque nomine siue titulo nuncupentur, requirimus in fide Christi & Dei, vosque nihilo minus ex parte nostra requiratis, quatenus vobis aut vestrum cuilibet in exequendis præmissis præbeant auxilium, consilium & fauorem, vosque & vestrum quemlibet ab omni impedimento vel impedimentis contra præmissa omnia & singula, quantum in eis erit, protegant & defendant, mandantes vobis & vestrum singulis, prout ad quemlibet pertinebit, quatenus nobis in nostra generali sessione de gestis per vos & responsis fideliter sub publicis instrumentis infra terminos citationum ipsarum relationem faciatis, & debite præsentetis.

Datum Constantiæ quarto Kalendas Decembris, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimo sexto, in nostra publica sessione. Qua quidem citatione sic lecta, reuerendus pater dominus Antonius Concordiensis, Alanus Leonensis, episcopi, Gundisaluus Garsiæ de sancta Maria decretorum doctor, Patricius Cortagensis & Nicolaus Mersburgensis episcopi, nomine nationum huius sanctæ Synodi, ac Ioannes episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, nomine sacri collegii dominorum cardinalium responderunt, & quilibet eorum respondit, Placet.

SESSIO XXV.

ANNO Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, indictione nona, die vero Lunæ decimaquarta mensis Decembris, fuit sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi solenniter celebrata pro vnione oratorum & procuratorum magnifici domini comitis de Fuxo, & trium statuum * dominorum suorum, ipsius & suorum illorum nominibus. Fuerunt autem dicti ambasiatores reuerendissimus dominus Petrus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis de Fuxo, ac reuerendi patres Saucius Olorensis & Bernardus Adurensis episcopi. Fuitque ibidem modus & ordo seruatus in hac sessione, sicut in vnione ambasiatorum regis Aragonum, prout in sessione vigesimasecunda supra continetur. Postquam vero facta fuit vnio & incorporatio ad sacrum Concilium dictorum oratorum & procuratorum præfati magnifici comitis de Fuxo, trium-

*f. dominiorum

que ſtatuum dominorum ſuorum, reuerendiſſimus in Chriſto pater dominus Bartholomæus archiepiſcopus Mediolanenſis legebat ſchedulam tenoris ſubſequentis. ANNO CHRISTI 1416.

Decretum conceſſionis Olomucenſis eccleſiæ in commendam.

Sacroſancta Conſtantienſis Synodus concedit & committit cuſtodiam, curam, regimen & adminiſtrationem eccleſiæ Olomucenſis in ſpiritualibus & temporalibus in regno Bohemiæ & marchionatu Morauiæ vacantis pro præſenti, & legitima adminiſtratione carentis per obitum bonæ memoriæ Venceſlai patriarchæ Antiocheni, qui auctoritate apoſtolica quoad viueret, eam habebat in commendam, in fauorem fidei, & vt neceſſitati & vtilitati ipſius eccleſiæ occurratur, venerabili fratri Ioanni epiſcopo Lutomuſſenſi, vſque ad electionem futuri ſummi pontificis Romani, & expoſt ad tres menſes immediate ſequentes, mandans & committens venerabili fratri Ioanni epiſcopo Oſtienſi ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinali & vicecancellario, literas ſuper hoc opportunas in forma debita & gratis de mandato expedire. Et poſt hæc de mandato Concilii prædicti fuit reſponſum per dominos ad hoc deputatos, videlicet reuerendos patres dominos Antonium epiſcopum Concordienſem pro Italica, Ioannem protonotarium de Trembleio pro Gallicana, Gundiſaluum de ſancta Maria pro Hiſpanica, Patricium epiſcopum Cortagenſem pro Anglicana, Nicolaum epiſcopum Mersburgenſem pro Germanica, nationibus, & Ioannem epiſcopum Oſtienſem cardinalem Viuarienſem nomine cardinalium, per verbum, Placet.

SESSIO XXVI.

Pro vnione ambaſiatorum regis Nauarræ.

DIE Iouis vigeſimaquarta menſis Decembris fuit ſeſſio generalis in maiori eccleſia Conſtantienſi ſolenniter celebrata, in qua fuit facta vnio ad ſacrum Conſtantienſe Concilium nomine illuſtriſſimi principis domini Caroli regis Nauarræ per ſuos ſolennes ambaſiatores, videlicet Guillermum Arnoldi Baionenſem, & Nicolaum Aquenſem, epiſcopos, Eximium * Ayner canonicum & archidiaconum in eccleſia Pampilonenſi, in ſacra * Auor

ANNO CHRISTI 1416. pagina magiſtrum, & Ioannem de Letoua legum doctorem. Fuit autem in hac vnione ſeruatus idem modus & ordo, qui in vnione oratorum regis Aragonum. Antequam vero ſupra nominati regis fieret dicta vnio & incorporatio, reuerendus pater dominus Franciſcus epiſcopus Aretinus legit quamdam ſchedulam certorum ordinationis & decreti, cuius tenor de verbo ad verbum ſequitur talis.

Decretum de non derogando iuri alicuius nationis de prioritate votorum.

Sacroſancta generalis Conſtantienſis Synodus in Spiritu ſancto legitime congregata, pro bono eccleſiaſticæ vnionis, pacis & concordiæ nationum, ex certa ſcientia declarat, ſtatuit, ordinat & decernit, quod ſaluis ſemper honoribus, locis, prærogatiuis & excellentiis ſecundum morem laudabilem & conſuetudinem Romanæ eccleſiæ matris omnium Chriſti fidelium, ab antiquis debitis & conſuetis regibus ſingulis & principibus orthodoxis, & eorum ambaſiatoribus & nuntiis, tam in præſentia ſummi pontificis, quam alibi etiam in hoc præſenti, & aliis quibuſcumque Conciliis generalibus, ratione ordinis in hoc ſacro Concilio obſeruati hactenus, vel in poſterum obſeruandi inter nationes, ſiue in reſpondendo, ſiue in ſcribendo, aut ſigillando, vel alias per quaſcumque ſcripturas, ſigillationes, proteſtationes, ſeu collationes, aut aliqua huiuſmodi geſta ab ipſis, aut eorum præſidentibus, communiter vel diuiſim in ipſo ſacro Concilio, ſiue alias in congregationibus generalibus, ſiue ſpecialibus, ſeu locis aliis quibuſcumque & qualitercumque, nihil omnino excellentiæ ſeu præeminentiæ, aut cuiuſcumque alterius iuris, proprietatis aut poſſeſſionis, vel quaſi alicui nationi per præmiſſa, vel aliquod eorum acquiratur, ſeu acquiſitum ſit, ſeu quouis modo accreſcat, ſeu accreuiſſe cenſeatur circa prioritatem vel poſterioritatem, aut alias circa præmiſſa, illaque prohibet in futurum ad præmiſſa, aut præmiſſorum aliquod quomodolibet allegari. Et inſuper ex ſuperabundanti cautela & ex certa ſcientia eadem ſacroſancta Synodus omnia & ſingula, ex quibuſcumque, qualitercumque, quomodocumque, & vbicumque in præmiſſis habita, ſiue geſta aliqua, per quæ poſſit aliqua

prioritas vel posterioritas inter nationes easdem quomodolibet argui vel notari, omnino pro infectis habens, quantum ad effectum huiusmodi, nullius efficaciæ, roboris vel momenti esse decernit, reseruans ipsis nationibus & cuilibet earum ante præsens Concilium Constantiense alias competentes & competentia, prouiso quod per præsentem ordinationem decretis, statutis, ordinationibus & constitutionibus in prædicta sancta Synodo Constantiensi editis & promulgatis, non intendit alias in aliquo derogare, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. ANNO CHRISTI 1416.

SESSIO XXVII.

In causa Tridentinensi.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoseptimo, indictione decima, die vero Sabbati vigesima mensis Februarii, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, præsidente in eadem reuerendissimo patre domino Ioanne episcopo Ostiensi, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinali & vicecancellario. Fuitque peractum officium Missæ per reuerendissimum patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum. Et ipso officio Missæ expleto, legebantur litaniæ & aliæ deuotæ orationes more aliarum sessionum. His vero peractis, fuit accusata contumacia Friderici ducis Austriæ, & aliorum in monitorio nominatorum, non curantium audire relationem fiendam per episcopos commissarios dictæ Synodi super executionis valitudine. Et deinde reuerendus pater dominus Martinus episcopus Aprutinus, vnus ex commissariis in huiusmodi causa, legit quamdam relationis papyri schedulam tenoris infra scripti.

Relatio facta per commissarios in causa Tridentinensi super executione monitorii.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis.

Deuoti commissarii nostri in causa ecclesiæ Tridentinensis dudum per hanc sanctam Synodum deputati, vt se informarent simpliciter & de plano, ac sine figura ac strepitu iudicii, an monitorium alias per eamdem sanctam Synodum

Anno Christi 1416. contra illustrem principem dominum Fridericum ducem Austriæ, & alios quoscumque occupatores & detentores ecclesiæ & ciuitatis Tridentinensis, nec non oppidorum, castrorum, terrarum & locorum, ac bonorum & iurium ad dictam ecclesiam Tridentinensem pertinentiũ, decretum sit debite executum, & cum potestate citandi dictum dominum Fridericum ducem & alios quoscumque detentores & occupatores supradictos, per edictum publicum in curia Romana, in valuis ecclesiarum maioris & sancti Stephani Constantiensis affigendum, ad dicendum & opponendum quidquid voce vel in scriptis dicere vel opponere voluerint contra dicti monitorii executionem, in dicta curia & in partibus factam, ac etiam propter non apparitionem huiusmodi monitorii, ad videndum & audiendum se declarari per dictam sanctam Synodum in pœnas in dicto monitorio contentas incidisse, & postea per eamdem sanctam Synodum commissum extitit, quod præfati commissarii vel maior pars ipsorum præmissa facerent & exequerentur, & quæ super his reperissent, eidem sanctæ Synodo fideliter referrent: Dicunt & referunt eidem sacræ Synodo, quod coram ipsis pro tribunali sedentibus, vocato dicto domino duce, & aliis pro parte dicti domini episcopi, instrumenta & alia probationum genera dictarum executionum monitorii, tam in hac ciuitate Constantiensi, quam in partibus in omnibus locis in ipso monitorio deputatis per edictum publicum, cum constet de non tuto accessu, fuerunt producta, & seruatis seruandis per eos secundum formam eis traditam, auditoque procuratore & defensore dicti domini ducis ad singulos actus citato, constet eisdem ex productis dictas executiones & monitiones fuisse & esse debite in locis debitis factas & executas secundum formam prædicti monitorii, non obstantibus exceptionibus pro parte aduersa propositis, & terminum in dicto monitorio dicto domino duci & occupatoribus prædictis constitutum, dudum lapsum esse, nec eosdem monitos docuisse satisfactum, aut paritum monitioni.

SESSIO XXVIII.

ANNO CHRISTI 1416.

In cauſa Tridentinenſi.

DIE Mercurii tertia menſis Martii fuit ſeſſio generalis in maiori eccleſia Conſtantienſi ſolenniter celebrata, præſidente in eadem domino Ioanne epiſcopo Oſtienſi. Fuitque celebratum in ea officium Miſſæ cum introitu, Cum ſanctificatus fuero, &c. per reuerendiſſimum patrem dominum Ioannem patriarcham Antiochenum. Et prædicto officio completo, ſuperuenit ibidem ſereniſſimus princeps dominus Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, cum ſuis nobilibus. Deinde vero legebantur litaniæ & aliæ orationes, quæ in ſeſſionibus legi ſolent. Prædictis vero peractis, accuſata prius contumacia domini Friderici ducis Auſtriæ, & aliorum non audientium ſe declarari incidiſſe pœnas contentas in monitorio, reuerendus pater dominus Nicolaus epiſcopus Mersburgenſis in contumaciam dictorum ducis Auſtriæ & aliorum, pronuntiauit eoſdem incidiſſe in pœnas contentas in monitorio, prout in ſchedula quam manibus tenebat & legebat de verbo ad verbum, cuius tenor eſt inferius inſertus, continetur. Et veniendo in eadem ſchedula ad inſertionem monitorii, propter prolixitatem & laborem dominus Petrus de Lomburga, alias de Polonia, legebat monitorium, alias decretum. Et eo finito, dominus Nicolaus epiſcopus præfatus continuauit ſententiam declarationis vſque ad finem.

Declaratio in cauſa Tridentinenſi.

Sacroſancta generalis Conſtantienſis Synodus eccleſiam catholicam repræſentans, in Spiritu ſancto legitime congregata, ad futuram rei memoriam.

Decet ſanctam matrem eccleſiam, eos qui ſalutis monita obſtinata elatione contemnunt, non dimittere incorrectos, neque impiorum proteruiam ſine digna caſtigatione præterire. Sane cum dudum de anno Domini milleſimo quadringenteſimo decimoquinto, & menſe Auguſti, grauis querela venerabilis fratris Georgii epiſcopi Tridentinenſis ad nos peruenisſet, quod nobilis Fridericus dux Auſtriæ ipſum in canonica poſſeſſione eccleſiæ ciuitatis

ANNO CHRISTI 1416. Tridentinenſis, ac oppidorum, caſtrorum, terrarum, villarum, locorum, iurium & aliorum bonorum ad eamdem eccleſiam pertinentium, alias ſexdecim annis pacifice exiſtentem, temere & de facto ſpoliaſſet, ac eamdem per nouem annos detinuiſſet ac detineret indebite occupatam, ac ipſum cepiſſet, & in carceribus mancipatum pluribus grauibus violentiis affeciſſet, literaſque quaſdam promiſſionis & iuramenta metu & impreſſionibus extorſiſſet contra ſuam & eccleſiaſticam libertatem ab eodem: quodque idem Fridericus clariſſimo eccleſiæ filio Sigiſmundo Romanorum regi ſemper Auguſto, cui ſuper hoc per ipſum Georgium epiſcopum fuerat delata querela, vinculo iuramenti ſe adſtrinxiſſet, eiuſdem ſereniſſimi regis ſuper his ſtare præceptis, dictoque rege per ſententiam declarante & præcipiente eccleſiam & bona ſpoliata ac præfata occupata eidem Georgio per ipſum ducem reſtituenda fore; facere prætermiſit, notam periurii manifeſte incurrens. Quapropter hæc ſancta Synodus, vocato dicto duce, qui tunc in dicta ciuitate Conſtantienſi aderat, auditiſque ſuis defenſionibus per ſuos aduocatos & procuratores, tam in ſeſſionibus publicis, quam aliis congregationibus, ſtatutis & deputatis ad eamdem cauſam, quæ iura & munimenta partium receperunt hinc inde producta, cum inſtaret dictus Georgius epiſcopus per literas monitorias præfatum Fridericum ducem; & alios occupatores & detentores, nec non vaſſallos, nobiles, capitaneos, officiales & ſubditos eccleſiæ Tridentinenſis & ciuitatis, & aliorum bonorum prædictorum, ſub pœnis, ſententiis & conſtitutionibus diuæ memoriæ Caroli quarti contra tales facinoroſos & ſacrilegos editis, & aliis grauioribus, requiri & moneri pro reſtitutione dictæ eccleſiæ, & bonorum prædictorum, ac plenaria ſatisfactione, & alias ſibi de opportuno remedio prouideri. Quapropter eadem ſacroſancta Synodus ſuper notorietate & aliis ſeruatis ſeruandis in cauſa huiuſmodi certiorata ad plenum, eamdem notorietatem & facti euidentiam, & alia in ipſa cauſa agitata attendens, volens indemnitati eccleſiæ prouidere, nec minus animarum ſaluti dicti ducis & aliorum occupatorum & detentorum, nec non vaſſallorum, nobilium, capitaneorum, officiariorum & ſubditorum prædi-

ctorum consulere, præhabita deliberatione matura, vndecimo Kalendas Decembris sequentis eiusdem anni monitorium decreuit, cuius tenor sic incipit. ANNO CHRISTI 1416.

Decretum monitorii.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, vniuersis & singulis Christi fidelibus salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Sup.sess.20. Grauem querelam venerabilis fratris nostri episcopi Tridentinensis, &c. & sic finit. Literas monitoriales contra dictum Fridericum ducem & occupatores & detentores huiusmodi, partibus ipsis auditis, & seruatis seruandis, prædictis partibus ad hoc legitime citatis, decreuimus fore concedendas, decernimus & concedimus in forma quæ sequitur, quæ quidem forma sic incipit.

Monitorium decretum in forma.

Sup.sess.20. Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, vniuersos & singulos venerabiles fratres, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, &c. sic finit. Quibus & cuilibet vestrum in præmissis dabimus plenam fidem. Datum Constantiæ vndecimo Kalendas Decembris, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoquinto, apostolica sede vacante.

Post hæc de anno Domini millesimo quadringentesimo decimosexto, cum iam dictus Fridericus dux per antea de hac ciuitate Constantiensi recessisset, ipsa Synodo inconsulta, præfatumque monitorium in eius præsentia & suorum aduocatorum & procuratorum præsentia decretum, propter quemdam tractatum concordiæ, quem sperabat in actis causæ plene constare, in eius personam legitimam non potuerit habere executionem, per edictum secundum formam monitorii antedicti. Et quia per eamdem sanctam Synodum constituti fuerunt commissarii tam de sacro collegio reuerendissimorum patrum dominorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, quam de nationibus singulis, ad cognoscendum, videndum & examinandum, an antedictum monitorium esset debite executum: dictisque commissariis referentibus, ex productis constare, dictum monitorium fuisse debite & in lo-

Anno Christi 1416. cis deputatis executum, constetque notorie dictum Fridericum ducem & alios occupatores & detentores, nec non vassallos, nobiles, capitaneos, officiarios & subditos supradictos nullatenus præceptis in dicto monitorio contentis paruisse, sed eumdem Fridericum ducem & alios occupatores & detentores supradictos dictam ecclesiam Tridentinensem, ciuitatem, terras, oppida, castra, villas & alia iura & bona prædicta tenere indebite & contumaciter occupatas & occupata, contra sententiam & præceptum sereniſſimi regis Romanorum, cui iureiurando stare promisit, de quo & eius obligatione constat publicis documentis: ideo volens præfata Synodus tantam inobedientiam & rebellationem notoriam vlcisci cum Apostolo, ne tanti mali peruersitas transeat præsumptoribus in exemplum, per hanc sententiam, quam fert in his scriptis, pronuntiat, decernit & declarat, dictum Fridericum ducem Austriæ anathematis & sacrilegii vinculis innodatum, periuriique reum, nec non pœnas priuationis & inhabilitationis in constitutione Carolina prædicta contentas, eumdemque Fridericum ducem & alios occupatores & detentores, tam ecclesiasticos, quam sæculares, vassallos, nobiles, capitaneos, officiarios & subditos inobedientes & rebelles ecclesiæ & ciuitatis Tridentinensis, ac oppidorum, castrorum, terrarum, villarum & locorum, nec non iurium & bonorum dictæ ecclesiæ, cuiuscumque status, gradus, conditionis, dignitatis aut præeminentiæ, etiam si ducalis fuerint, pœnas, sententias & censuras alias in dicto monitorio comprehensas & expressas incidisse, ipsiusque Friderici ducis Austriæ & aliorum occupatorum, detentorum, & alia loca quæcumque ecclesiastico supposita interdicto. Vnde eadem sacrosancta Synodus diuersos & singulos venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, ac dilectos ecclesiæ filios abbates, priores, præpositos, decanos, archidiaconos, scholasticos, cantores, thesaurarios & canonicos, tam cathedralium quam collegiatarum, parochialiumque ecclesiarum rectores & locatenentes eorumdem, ceterosque plebanos, curatos & non curatos, clericos, notarios & tabelliones publicos per Italiam & Alemaniam constitutos, & alias vbilibet & eorum

quemlibet in ſolidum, ad quem, vel ad quos præſentes noſtræ literæ peruenerint, tenore præſentium requirit, atque monet primo, ſecundo, tertio & peremptorio terminis communiter & diuiſim, eiſque & eorum cuilibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub excommunicationis pœna latæ ſententiæ diſtricte præcipiendo mandat, quatenus ſtatim viſis præſentibus dictum Fridericum ducem Auſtriæ anathematis & ſacrilegii vinculis innodatum, periuriique reum, nec non pœnas priuationis & inhabilitationis prædictas, ac eorumdem & occupatores ac detentores, vaſſallos, nobiles, capitaneos, officiarios & ſubditos inobedientes & rebelles, prædictas pœnas, cenſuras & ſententias alias in dicto monitorio contentas incidiſſe, ſingulis diebus dominicis & feſtiuis in eorum eccleſiis, monaſteriis & capellis infra Miſſarum ſolennia, dum ibidem populi multitudo ad diuina audiendum, aut alias congregata fuerit, etiam alias vbi & quando & quoties expediens fuerit. Et poſtquam vigore præſentium ipſi, ſeu aliquis eorum, requiſiti fuerint, ſeu fuerit requiſitus, pulſatis campanis, candelis accenſis, & demum extinctis & in terram proiectis, publice denuntient & euitent, & ab aliis publice, quantum in eis erit, denuntiari & euitari ab omnibus Chriſti fidelibus faciant & permittant. Et præſentem noſtram declarationem, ſeu ſententiam, & omnia & ſingula in eis contenta publicent, inſinuent, & ad intellectum Chriſti fidelium adſtantium exponant, & plenarie exequantur, donec & quouſque ſuper præmiſſis abſolutionis beneficium meruerint obtinere, & a prædictis rebellionibus deſtiterint, & debite ſatisfecerint, aut aliud a dicta ſacroſancta Synodo, vel futuro ſummo pontifice habueritis in mandatis. Et quia idem Fridericus dux Auſtriæ, Pharaonis imitatus duritiem, more aſpidis ſurdæ obturauit aures ſuas, huius ſanctæ Synodi preces & monita, ſuorumque amicorum & præfati regis ſententiam & iuſiurandum deſpiciens; tanta exigente duritia, cogitur hæc ſancta Synodus de finali remedio prouidere, cum nihil proſit ſententias ferre, niſi ſit qui eas debitæ executioni demandet. Committit ergo præfata ſancta Synodus præfato clariſſimo filio eccleſiæ defenſori & aduocato Sigiſmundo regi Romanorum

Anno Christi 1416.

ſemper

Anno Christi 1416. semper Augusto, cuius specialiter interest, ad requisitionem ecclesiæ contritas & oppressas ecclesias restaurare, & ecclesiasticas personas a violentiis & iniuriis defensare, & eamdem sententiam executioni demandare, & ceteris principibus ac Christi fidelibus, vt ad restitutionem dictæ ecclesiæ & ciuitatis Tridentinæ, & omnium bonorum & iurium ipsius, & eius integram libertatem & indemnitatem seruandam, contra dictum Fridericum Austriæ ducem, & alios occupatores & detentores præfatos, vt nostrum præfatum monitorium realem executionem obtineat, brachium impendant, fauorem & auxilium gladii & potentiæ omnimodæ sæcularis. Decernit insuper hæc sancta Synodus ad pleniorem executionem habendam, processum contra omnes intrusos & intrudendos in dicta ecclesia & ciuitate Tridentina, ac castris, oppidis, terris, villis, locis, possessionibus, iuribus & bonis eiusdem, & contra adhærentes eidem duci Friderico & occupatoribus & detentoribus, ac intrusis & intrudendis, ac contra dantes auxilium, consilium aut fauorem. Quem quidem processum, etiam omnes & singulos processus necessarios & opportunos committit venerabili Petro episcopo Stragurienſi, cum potestate subdelegandi, & aliis clausulis in forma debita & consueta, supplens quoque eadem Synodus omnem solennitatis defectum, si quis forsan fuerit in præmissis. Lectis autem his, reuerendissimus dominus Ioannes episcopus Ostienſis cardinalis Viuarienſis, iuxta consensum & voluntatem omnium nationum, & alias propter discordiam nationum, quoad ordinem, respondit pro vice præsenti per verbum, Placet.

SESSIO XXIX.

Anno & indictione quibus supra, die vero Lunæ octaua mensis Martii fuit celebrata sessio generalis in ecclesia Constantienſi, pro accusatione contumaciæ domini Petri de Luna, Benedicti decimitertii in sua obedientia nuncupati: in qua reuerendus pater dominus Nicolaus episcopus Aquenſis Missam de Spiritu sancto celebrauit, & reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostienſis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, præsedit. Litaniis autem aliis-

Matth. 18. Luc. 17. que orationibus cum euangelio, *Dixit Iesus Petro, Si peccauerit in te frater tuus*, &c. completis, fuit seruatus iste ordo. Primo fuit lecta per dominum Stephanum episcopum Dolensem schedula, cuius tenor sequitur in hunc modum. ANNO CHRISTI 1416.

Deputatio procuratorum & notariorum in causa contra Petrum de Luna.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus constituit & deputat dilectos ecclesiæ filios, magistros Ioannem de Scribanis & Henricum de Piro, & eorum quemlibet in solidum, ita quod non sit melior conditio occupantis, promotores, prosecutores & ministros causæ & processus inquisitionis contra dominum Benedictum decimumtertium a sibi obedientibus nominatum, & insuper omnes & singulos sedis apostolicæ, & alios nationum in eadem sancta Synodo existentium notarios, & eorum quemlibet in solidum, notarios atq; scribas in causa & processu prædictis. Qua lecta, dominus cardinalis præsidens respondit pro toto Concilio, Placet. Quo facto, aduocatus consistorialis, instantibus dominis prosecutoribus & ministris, proposuit decretum citationis per edictum, & illius executionem ad diem centesimum, qui illa die incidebat: & produxit bullam decreti citationis & instrumentum executionis, asserens signa notariorum in instrumento posita, esse signa illorum, quorum esse inscribuntur in illis. Et accusauit contumaciam dicti domini Petri, & petiit illum alta voce vocari ad valuas ecclesiæ, & ad hoc deputari duos vltimos cardinales diaconos, videlicet de Comitibus & Florentinum, duos sedis apostolicæ, & alios Concilii notarios: & respondit præsidens pro toto Concilio, Placet. Tunc dicti cardinales & notarii iuerunt ad valuas ecclesiæ: & reuersi, retulerunt per cardinalem Florentinum, illum vocasse trina vice alta voce, & neminem comparuisse. Et aduocatus consistorialis facta relatione, petiuit iterum dominum Petrum reputari contumacem. Tunc cardinalis præsidens mandauit legi per episcopum Dolensem schedulam infra scripti tenoris.

ANNO CHRISTI 1416.

Ordinatio lecta ſuper contumacia domini Petri de Luna.

Hæc ſacroſancta Synodus præmiſſa, propoſita & petita per aduocatum conſiſtorialem admittit, ſi & inquantum ſint admittenda de iure: & mandat notariis eiuſdem Synodi & cauſæ præſentis, propoſita, petita & producta huiuſmodi, atque vocationem & relationem præmiſſas. Et quod idem dominus Benedictus ſic vocatus & ſufficienter expectatus, minime comparuit, nec comparet, redigi inter acta. Et de præmiſſis fieri publica inſtrumenta, quotquot fuerint opportuna, vt eadem Synodus ſuper præmiſſis deliberet, iudicet & decernat, prout de iure fuerit faciendum: quam deliberationem dicta Synodus ſibi retinet faciendam, quando ſibi viſum fuerit opportunum.

Qua lecta, idem dominus præſidens pro toto Concilio reſpondit, Placet. Et quod vox præſidentis ſit vox totius Concilii, quando primo de conſenſu omnium nationum conſtiterit. Namque propter diſcordiam nationum Hiſpanicæ & Anglicanæ, quæ prior reſponderet pro toto Concilio, Placet: & de aliis prærogatiuis fuit per nationes & cardinales ordinatum, quod præſidens reſponderet pro toto Concilio, Placet. Et ad hoc ſuper quolibet actu fiendo haberet conſenſum cardinalium, & ſchedulam illius actus ſignatam per notarios nationum, & conferret cum lectura quæ fieret.

SESSIO XXX.

In qua Concilium approbat ſubtractionem obedientiæ factam per regem Aragonum ipſi Petro de Luna.

DIE Mercurii decima ſupradicti menſis Martii fuit ſeſſio generalis in maiori eccleſia Conſtantienſi ſolenniter celebrata. In qua quidem ſeſſione reuerendus pater dominus * Stephanus epiſcopus Cephaldulenſis officium Miſſæ de Spiritu ſancto deuote decantauit: & reuerendiſſimus in Chriſto pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & vicecancellarius, huiuſmodi ſeſſioni præſedit. Interfuit etiam ſereniſſimus princeps dominus Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ rex, cum multis ſibi adſtantibus principibus. Et lectis litaniis, ac aliis deuotis orationibus cum euange-

* Antonius

Luc. 18. lio: *Dixit Iesus discipulis suis, Quoniam oportet semper orare, & non deficere*, &c. nuntii & oratores Concilii, qui fuerant per Concilium ad hoc destinati, fecerunt relationem per organum domini Bernardi de * Planca decretorum doctoris, quomodo in castro Paniscolæ Dertusensis diœcesis cum fauore & auxilio illustrissimi principis domini Alphonsi regis Aragonum fuerant, & Petrum de Luna Benedictum decimumtertium in sua obedientia nuncupatum, in propria persona apprehenderant, ac quod ipsum citauerant iuxta formam & tenorem citatorii ab ipso Concilio decreti. Ipseque Petrus de Luna responsionem dederat, prout hæc & alia in ipsis instrumentis per dictum dominum Bernardum exhibitis, ac de verbo ad verbum perlectis, plenius continentur. Promotores vero Concilii petierunt apud acta registrari. Post hæc autem venerabilis vir dominus Petrus de Lompurga in decretis licētiatus quamdam decreti schedulam perlegit tenoris subsequentis. ANNO CHRISTI 1416. * Planchea * Planthea

Concilium approbat subtractionem obedientiæ factam per regem Aragonum.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata.

Quoniam inter alia virtuosa & laude digna, quæ piæ memoriæ quondam Ferdinandus rex Aragonum & Siciliæ pro extirpatione execrandi schismatis, quod ab octo fere lustris citra non permisit ecclesiam catholicam sub vnico gubernari pastore, dignoscitur peregisse, ordinationem quamdam aduersus idem schisma & pro vnione ecclesiæ catholicæ felicius consequenda eum promulgasse cognouimus; eadem sacrosancta Synodus Constantiensis, causis & motiuis in præfata ordinatione expressis plene inspectis & diligenter examinatis, de quorum veritate facta extitit eidem Synodo plena fides, & attento præcipue tunc atque nunc vniuersalis ecclesiæ statu, & quod sine regia prouisione præfata perpetuandi schismatis imminebat & immineret periculum, ac præstabatur & præstaretur sacro præfato Concilio, & consequenter vnioni ecclesiæ periculum manifestum, eo præsertim, quod idem dominus Benedictus sic in sua obedientia nominatus, conabatur per sibi adhibitam obedientiam iam dictum prius Concilium multiplici-

Anno Christi 1416. ter impedire, & impediuisset de facto, si mandatis eius obtemperatum fuisset. Quod inter alia ex eo satis apparet, quod etiam * cum obedientia sibi subtracta fuerat, per literas suas prælatis & capitulis, ne ad dictum sacrum Concilium accederent, inhibere præsumpsit. Ideo eadem sacrosancta Synodus ex certa scientia, & causa debite cognita, ad perpetuam rei memoriam, & vt cunctis clareat rei veritas bene gesta, declarat ordinationem prædictam a prædicto Ferdinando quondam rege iuste & legitime editam & promulgatam fuisse, & per eum ac illustrem principem dominum Alphonsum, eiusdem domini Ferdinandi primogenitum & regem modernum, seruatam. Ipsamque præsenti decreto dictis ex causis approbat & confirmat, decernitque illam per omnia debuisse & debere ab omnibus fidelibus obseruari, iuxta ipsius seriem ac tenorem.

* vbi

Concilium reuocat quamdam constitutionem Petri de Luna, quæ incipit, Ad futuram.

Eadem quoque sancta Synodus Constantiensis quamdam constitutionem dudum (vt dicitur) a dicto domino Benedicto sic in sua obedientia nuncupato editam, quæ incipit, Ad futuram rei memoriam. In dierum successu crescente malitia sic videmus mundum, &c. & finit, Datum Massiliæ apud sanctum Victorem decimoquarto Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno decimotertio: declarat nullatenus comprehendere casum regiæ ordinationis prædictæ, consequenter reges ipsos dictam ordinationem condendo, promulgando, obseruando, vel obseruari faciendo, etiam alios obseruatores eiusdem contra dictam constitutionem in aliquo non veniisse, ipsamque, si & in quantum regiæ ordinationi præfatæ in casu præmisso factæ, aut promulgatæ, aut obseruatoribus eius quomodolibet obuiaret, tamquam impeditiuam in hac parte vnionis ecclesiæ, inueteratique schismatis nutritiuam, omniaque inde secuta decernit & pronuntiat nullius fuisse aut esse roboris, efficaciæ vel momenti.

Ad quæ decreta, statuta, ac etiam declarata reuerendissimus dominus præsidens cardinalis Viuarensis nomine totius huius sacri Concilii, vt procurator & promotor eiusdem, ac etiam reuerendus in sacra pagina Philippus de

Axdallia magiſter pro ſereniſſimo Aragonum rege, ſua & vice aliorum eiuſdem domini regis coambaſiatorum ibidem præſentium, petierunt a ſingulis ſanctæ ſedis apoſtolicæ protonotariis, & aliis notariis ſingularum nationum huius ſacri Concilii, ſibi retineri publica inſtrumenta ad futuram rei memoriam. Poſt prædicta dictus reuerendiſſimus dominus cardinalis vicecancellarius nomine totius Synodi reſpondit, Placet. Anno Christi 1416.

Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis magiſter Henricus de Piro promotor & procurator prædictus, nomine procuratorio quo ſupra, ac etiam egregius in ſacra pagina magiſter Philippus de Axdallia pro ſereniſſimo domino rege Aragonum, a protonotariis & notariis dicti Synodi ſibi fieri petierunt vnum vel plura inſtrumenta ad perpetuam rei memoriam. Præſentibus reuerendiſſimis in Chriſto patribus dominis Ioanne Oſtienſi, de Vrſinis, Bononienſi, Venetiarum, Raguſino, Aquileienſi, Senenſi, Piſano, Veronenſi, Cameracenſi, Tricaricenſi, Placentino, ſancti Marci, de Chalanco, de Fuxi, Salutiarum, de Branckaſiis, de Fliſco, de Columna, de Comitibus & Florentino, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, ac regum, principum, dominorum, prælatorum, communitatum, vniuerſitatum, collegiorum & ſtudiorum ambaſiatoribus, aliiſque Chriſti fidelibus in multitudine copioſa.

SESSIO XXXI.

Die Mercurii vltima ſupradicti menſis Martii, in eccleſia maiori Conſtantienſi fuit ſeſſio generalis celebrata; & in eadem ſeſſione fuit dictum officium Miſſæ de Spiritu ſancto per reuerendiſſimum patrem dominum Martinum epiſcopum Aprutinenſem: reuerendiſſimus vero pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, huiuſmodi ſeſſioni præſidebat. Litaniis autem & aliis orationibus expletis per dictum dominum præſidentem, more ſolito pontificalibus indutum, legebantur per dominum Antonium epiſcopum Concordienſem, & Petrum de Polonia, ſucceſſiue ea quæ ſequuntur.

ANNO CHRISTI 1416.

Monitorium contra comitem Virtutum.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam repræsentans, vniuersis Christi fidelibus salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Dudum, cum ad audientiam nostram peruenisset, fama publica referente, quod nobilis vir Philippus comes Virtutum, nonnullique alii in hac parte commissarii & officiales sui ipsius de mandato & assensu, ac ratum & gratum habendo, contra venerabilem fratrem *Albertum episcopum Astensem, patrem & pastorem animarum suarum, cui obedientiam & reuerentiam debitas facere tenebantur, & qui vna nobiscum in hoc sacrosancto Concilio generali onera humiliter supportauit, ac de speciali licentia nostra ad suam se transtulit Astensem ecclesiam, nulla sumpta occasione iusta, temerarie & iniuste in dictum dominum episcopum vi armata, ausu sacrilego manus iniicientes violentas, eumdem ignominiose ad castrum, quod Vetus dicitur, dictæ ciuitatis Astensis perduxerunt, ibique carceribus manciparunt & detinuerunt, prout detinent etiam incarceratum de præsenti, sacrilegium & excommunicationem, aliasque censuras ecclesiasticas & pœnas iuris & constitutionis prouinciæ Mediolanensis ecclesiæ, (cuius dicta Astensis ecclesia suffraganea existit) circa hoc editas & prolatas, & in partibus per ordinarios declaratas, damnabiliter incurrendo: Nos de tantis tamque grauibus excessibus (vt supra fertur) nobis relatis, qui inter cetera ad vniuersalis ecclesiæ reformationem sumus hic congregati, ad quos super quibuscumque quæstionibus (si quas intentare volebat contra episcopum præfatum) habere poterat recursum, non immerito dolentes, volentes super his inquirere veritatem, ipso comite (vt dicebatur) procurante per suos nuntios, venerabilibus fratribus Papiensi & Nouariensi episcopis dari concessimus in mandatis, vt super obiectis per ipsum comitem aduersus ipsum episcopum diligenter inquirerent veritatem, & vocatis præfato Philippo comite, & qui forent euocandi, de præmissis omnibus & singulis, ac eorum circumstantiis vniuersis simpliciter & de plano sine strepitu & figura iu-

*f. d. nostrum

dicii se diligentius informarent. Et si dictum episcopum in aliquo culpabilem reperirent, ipsum sub fida custodia retinerent, ac retineri facerent, donec aliud a nobis, seu Romano futuro pontifice haberent in mandatis: nec non informationem huiusmodi in scriptis fideliter redactam, sub eorum clausis sigillis, ad nostram præsentiam transmitterent, vt inde super hoc consultius agere valeremus. Si vero per informationem eamdem dictum episcopum minime culpabilem reperirent, ipsum facerent plena libertate gaudere. Cuius quidem concessionis mandati tenorem hic haberi volumus pro sufficienter expresso. Verum postmodum nonnullorum fide dignorum relatione percepimus, quod literæ nostræ super huiusmodi concessionis mandato executæ non fuerunt, dictique episcopi propterea super præmissis procedere minime valuerunt. Nos igitur super præmissis prius summaria informatione auctoritate nostra facta, attendentes quod subditi in eorum prælatos, & laici in clericos nullam habent iurisdictionem & potestatem, & quod præmissa in libertatis ecclesiasticæ & pastoralis dignitatis vilipendium non modicum & scandalum plurimorum redundare dignoscuntur, nolentes huiusmodi offensam (sicut nec debemus) sub dissimulatione transire, & licet contra prædictos comitem, eiusque commissarios & officiales, in præmissis possemus iuris seueritatem exercere, tamen ad eos magis conuincendos mitius agere volentes, committimus infra scriptis fratribus nostris, vel eorum alteri, quod si per summariam informationem, quod ad ipsum comitem, eiusque commissarios & officiales tutus non pateat accessus, constiterit, ne propterea tanti tamque graues excessus nostris conniuentibus oculis remaneant impuniti, per hoc præsens publicum edictum legendum & publicandum, ac in valuis maioris Papiensis & Nouariensis & Astensis ecclesiarum cathedralium affigendum, dictum Philippum comitem, eiusque commissarios, officiales, & quoscumque alios, qui culpabiles fuerint in præmissis, in eos & eorum quemlibet sub excommunicationis & interdicti, & in eisdem ecclesiis, ciuitate Astensi, ac ceteris terris & locis dictæ ciuitati & eidem comiti subiectis quocumque titulo, pœnis quas ferimus in his scriptis, (si monitioni huiusmodi non paruerint

ANNO CHRISTI 1416.

ANNO CHRISTI 1416. rint cum effectu) primo, secundo, tertio requiratis & moneatis, quem & quos tenore præsentium requirimus & monemus, quatenus infra duodecim dies post lectionem, publicationem & affixionem præsentium, vt supra faciendas, immediate sequentes, quorum duodecim dierum quatuor pro primo, quatuor pro secundo, & reliquos quatuor dies pro tertio & peremptorio termino ac canonica monitione prædicta, Philippo comiti, eiusque commissariis & officialibus huiusmodi præfigimus & assignamus, præfatum episcopum absque quolibet contradictionis obstaculo infra tres menses a die relaxationis ipsius coram nobis personaliter accessurum, & ibidem iuri pariturum, libertati suæ pristinæ restituat, cum familia vniuersisque bonis suis absque diminutione aliqua, realiter & cum effectu, offerentes dicto comiti & cuilibet poscenti bonũ & breue iustitiæ complementum de persona præfati episcopi ministrare. Quod si forsan huiusmodi nostris monitioni & requisitioni in dicto termino parere contempserint, ne propter viarum discrimina dicti episcopi Astensis differatur libertas, & vt parcatur laboribus & expensis, præfatis venerabilibus fratribus Papiensi & Nouariensi episcopis, stantibus prope dictam ciuitatem Astensem ad duas diætas, secundum consuetudinem patriæ committimus & mandamus, quatenus simul, aut ipsorum alter qui primo fuerit requisitus, post eiusdem termini lapsum auctoritate nostra eamdem ciuitatem Astensem & terras, dominia & loca ad dictam ciuitatem spectantia & pertinentia, interdicti sententias incurrisse, dictumque comitem, eiusque commissarios, officiales, & ipsius personam excommunicationis sententiam eadem auctoritate incidisse declarent: ecclesiam vero, ac etiam ciuitatem & communitatẽ ac terras, dominia & loca, prædictas & prædicta, ecclesiastico subiacere interdicto, iuxta constitutionem Viennensis Concilii, quæ incipit, Si quis suadente, vocatis euocandis, in eorumque Papiensi & Nouariensi, & aliis quibuscumque ecclesiis, tam cathedralibus quam collegiatis vniuersis, infra Missarum solennia, aliisque ecclesiis, populo ibidem ad diuina audiendum congregato publice per se vel alios denuntient & euitent, & ab aliis ita denuntiari & euitari faciant & permittant tamdiu, donec a nobis, vel futuro Romano pontifice

aliud desuper habuerint in mandatis. Et si (quod absit) prædictas pœnas interdicti & excommunicationis dictus Philippus comes ac commissarii & officiales prædicti animis sustinuerint induratis, ad omnes alias pœnas spirituales & temporales auctoritate præsentium procedere valeant, quibuscumque aliis pœnis eis a iure vel ab homine occasione prædicta ibidem illatis & inferendis, in suo robore permansuris, nec ab aliquo absolutionis beneficium, nisi a futuro Romano pontifice, vel a nobis, præterquam in mortis articulo, valeant obtinere. Volentes nihilo minus, & hac sacra synodali auctoritate decernentes, quod huiusmodi literæ nostræ modo & forma præmissis executæ, dictos sic requisitos & monitos, & quemlibet eorum arceant taliter & adstringant, ac perinde valeant, plenamque obtineant roboris firmitatem, ac si eisdem & eorum cuilibet in propria persona lectæ & insinuatæ fuerint, ac præsentialiter publicatæ, non obstante quod eidem Philippo comiti, vel quibusuis aliis communiter vel diuisim a sede apostolica indultum existat, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas apostolicas, non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, contradictores censura simili, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus etiam constitutionibus, seu aliis editis in contrarium quibuscumque. Datum Constantiæ secundo Kalendas Aprilis, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoseptimo, indictione decima, apostolica sede vacante. ANNO CHRISTI 1416.

Decretum super redintegratione ecclesiæ Baionensis.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus, &c. Attendens ad reformationem & redintegrationem vniuersalis, ac etiam omnium cathedralium ecclesiarum, quæ schismate præsenti durante habebant vel habent episcopos diuersarum obedientiarum, per quos ipsæ cathedrales ecclesiæ monstruose in capite & in membris videbantur & videntur gubernari, statuit & ordinat, quod ecclesia Baionensis, quæ etiam duos simul per plures annos habuit episcopos, & inter alios bonæ memoriæ Petrum, qui fuit de obedientia Baltassaris, tunc Ioannis papæ vigesimitertii

ANNO CHRISTI 1416. in sua obedientia nuncupati, nouiter defunctum, & superstitem venerabilem fratrem Guillermum hic præsentem, qui fuit creatus per Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium in eius obedientia nuncupatum, deinceps per Guillermum episcopum regatur, ac verus episcopus ipsius ecclesiæ, nec non episcopatus Baionensis vnicus censeatur, & illi clerus & populus ciuitatis & diœcesis Baionensis in omnibus consuetis, licitis & honestis, vt eorum vero episcopo & pastori obediant, & ipse eos benigne vice versa pertractet, prout ad eius pontificale officium pertinet de consuetudine, vel de iure. Inhibentes nihilo minus venerabili capitulo ipsius ecclesiæ, ne ad electionem alicuius loco ipsius defuncti episcopi vllatenus procedant, sed in illa supersedeant, prout etiam iuxta quædam capitula dudum per oratores nostros ex vna, & quosdam alios tunc de prædicta obedientia præfati Petri existentis in regno Aragoniæ fuit definitum & conclusum, quæ quidem capitula per nos solenniter approbata fuerunt. Quodque etiam venerabilis frater archiepiscopus Auxitanensis, cui prædicta ecclesia metropolitano iure subest, ad confirmationem alicuius electionis forsitan factæ, vel fiendæ, ad prouisionem alicuius in episcopum ecclesiæ prædictæ non procedat. Et quia etiam prædictus Petrus, seu Clemens septimus etiam in eadem obedientia nominatus, eius prædecessor, quatuor aliis de quatuor canonicatibus & præbendis eiusdem ecclesiæ, licet in dicta ecclesia pro parte obedientiæ dicti Baltassaris numerus canonicorum ab antiquo institutus completus fuisset, prout de præsenti, prouidit, quibus quidem domino Guillermo episcopo & canonicis quatuor assignauit,* quod bona immobilia, nec non iura, fructus, redditus, prouentus & emolumenta ad capitularem mensam dictæ ecclesiæ pertinentia, in Castellæ & Nauarræ regnis existentia, & illa etiam ad ius & proprietatem ipsius mensæ reducimus, ita quod ipsi quatuor canonici deinceps possint apud eamdem ecclesiam personaliter residere, ac horis consuetis & diuinis officiis interesse, ac stallum in choro & locum in capitulo cum ipsis aliis canonicis dictis habere, ac in omnibus fructibus, redditibus, &c. prædictæ mensæ, vt veri canonici ipsius ecclesiæ participare, dicto canonicorum numero non obstante,

*f. quoq;

quodque nullus in locum alicuius decedentis, aut aliter canonicatus & præbendas ſuas ipſius eccleſiæ quomodolibet, præterquam per ſpontaneum ceſſum dimittentium ipſius eccleſiæ canonici apoſtolica vel ordinaria auctoritate admittantur, quouſque ad dictum numerum ſit deuentum: ac decreuit dicta ſancta Synodus irritum & inane, ſi ſecus ſuper his factum fuerit, aut fieret in futurum. ANNO CHRISTI 1416.

SESSIO XXXII.

ANNO & indictione quibus ſupra, die vero Iouis prima menſis Aprilis, Conſtantiæ in eccleſia maiori in loco ſeſſionis ſolito prælatis exiſtentibus in pluuialibus & cum mitris, fuit generalis huius ſanctæ Synodi Conſtantienſis ſeſſio celebrata: pro cuius introitu reuerendiſſimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus Miſſam de beata Virgine celebrauit. Reuerendiſſimus vero pater dominus epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & vicecancellarius, indutus pontificalibus, huiuſmodi ſeſſioni præſedit. Ac demum litaniis & orationibus conſuetis cum debita ſolennitate completis, inſtantibus promotoribus Concilii, fuit accuſata cõtumacia Petri de Luna per dominum Ardecinum aduocatum. Et iuxta petitionem ipſius dictus dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis huiuſmodi ſeſſioni præſidens, nomine Concilii deputauit reuerendiſſimos patres dominos Odonem de Columna, & Lucidum de Comitibus, diaconos cardinales tunc in ordine cardinalium poſtremos, reuerendoſque patres Feltrenſem & Mersburgenſem epiſcopos, quibus dedit in mandatis, vt ipſi vna cum protonotariis & notariis atque ſcribis huius cauſæ, cum curſore ſedis apoſtolicæ, dictum Petrum de Luna ad valuas eccleſiæ iuxta mores antiquos vocarent, & ipſi Synodo vocationem referrent. Qui quidem domini deputati, vna cum Iacobo Rhodini & Thoma Poltenſi protonotariis apoſtolicæ ſedis & huiuſmodi cauſæ notariis, ac Franciſco de Mediolano apoſtolicæ ſedis curſore, locum ſeſſionis exeuntes, acceſſerunt ad valuas eiuſdem eccleſiæ. Et præfatus Franciſcus curſor ipſum Petrum de Luna alta voce vocauit ſub his verbis: Eſtne hic dominus Petrus de Luna, Benedictus decimustertius in ſua obedientia nuncupatus, vel aliquis

ANNO CHRISTI 1416. pro eo qui compareat, reſponſurus coram ſacro Concilio in cauſa ſchiſmatis & hæreſis contra ipſum mota? Cumque nec ipſe, nec aliquis pro eo comparuiſſet, aut reſponſum dediſſet, dicta vocatione trina vice facta, ipſius Synodi promotores, & vna cum eis Benedictus de Guildelotis de Peruſio, cameræ apoſtolicæ clericus, nomine huius ſanctæ Synodi ſuper huiuſmodi vocatione & non comparitione, & non reſponſione, petierunt inſtrumentum & inſtrumenta.

Quibus ſic peractis, cardinalis de Columna vnus ex deputatis præmiſſis, commiſſionem eis factam a dicto Concilio adimpleuiſſe, dictumque Petrum de Luna modo præmiſſo per curſorem trina vice vocaſſe, nec ipſum Petrum, vel aliquem pro eo ibidem comparuiſſe, aut reſponſum dediſſe, dictæ ſanctæ Synodo retulit: & deinde Franciſcus de Mediolano curſor præfatus de præmiſſa vocatione fecit relationem. His ſic peractis, dominus Ardecinus aduocatus prædictus vocationem & relationem huiuſmodi petiit inter acta huiuſmodi cauſæ regiſtrari. Et deinceps reproducta bulla citationis, alias contra ipſum Petrum de Luna decreta & executa, dominus Bernardus de Planchea, vnus de executoribus dictæ citationis per Concilium deputatis, de his quæ circa ſæpe dictæ citationis executionem feciſſet, fecit relationem, dicens in effectu, quod ab ipſo Concilio receperant ipſe & collegæ ſui in mandatis, vt Petrum de Luna Benedictum decimumtertium in ſua obedientia nuncupatum citarent iuxta formam & tenorem literarum citatoriarum. Quas quidem literas citatorias iam de nouo factas, & in ſcriptis reproduxit, adiungens, quod nuper vigore illarum literarum ipſe & egregius vir Lambertus de Stipite ſuus collega ad caſtrum Paniſcolæ Dertuſenſis diœceſis acceſſerunt, & eumdem dominum Benedictum decimumtertium, a ſibi obedientibus ſic nominatum, perſonaliter apprehenſum, præſentibus pluribus ſuis cardinalibus & aliis prælatis, clericis, ac hominum multitudine copioſa, ſecundum formam & tenorem literarum citatoriarum ad perſonam ſuam citarunt, eaſdem de verbo ad verbum in ſua præſentia legerunt, ipſaſque & contenta in eiſdem executioni demandarunt, prout in quodam executionis

instrumento publico etiam die relationis alias per eum & suos collegas factæ exhibito, dixit plenius contineri, quod instrumentum iterum facto reproduxit, & de post publice idem executionis instrumentum fuit lectum, & sufficienter per testes recognitum. Quæ omnia præmissa dominus Ardecinus aduocatus petiit inter acta registrari, & præfati Petri de Luna sic (vt præmittitur) citati contumaciam accusauit. Ipsumque, quoniam nec in primo termino, qui erat octaua die Martii, nec etiam in præsenti termino comparuit, contumacem reputari, & in causa huiusmodi ad vlteriora procedi per ipsam Synodum, instantissime postulauit. Istis successiue (vt præmittitur) factis, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidens fecit legi quoddam decretum per reuerendum patrem dominum Stephanum episcopum Dolensem tenoris sequentis. ANNO CHRISTI 1416.

Hæc sacrosancta Synodus, auditis & consideratis relatis, propositis, productis & petitis, præfatum Benedictum sic in sua obedientia nuncupatum, legitime citatum, vocatum & expectatum, non comparentem, & qui in octaua Martii, ad quam etiam citatus extiterat, non comparuit, pronuntiat, reputat & declarat contumacem, decernitque in eius contumaciam, eius absentia Dei repleta præsentia non obstante, fore in causa huiusmodi vlterius etiam vsque ad definitiuam sententiam inclusiue procedendum. Volens autem in eadem causa mature & cum summa grauitate procedere, committit dilectissimis ecclesiæ filiis Guillermo tituli sancti Marci presbytero, & Francisco tituli sanctorum Cosmæ & Damiani, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, atque Ioanni electo patriarchæ Constantinopolitano, nec non venerabilibus fratribus Roberto Saresbirien si, Ioanni Lichfeldensi, & Stephano Dolensi, episcopis, ac dilectis ecclesiæ filiis Guillermo Pulcri nepotis Franciæ, Ioanni de * Podemitis generali ordinis Prædicatorum, in obedientia Petri de Luna, Benedicti decimitertii nuncupati in sua obedientia, magistris in sacra pagina, Michaeli de Nauers vtriusque iuris Aragonum, & Ioanni de Ledena legum, Nauarræ regum illustrium oratoribus, Iacobo electo Parmensi, Hermanno de Duuerck, sedis apostolicæ protonotario, Roberto

* Pedemontis

ANNO CHRISTI 1416. abbati Cluniacensi, Nicolao Vuoidis vtriusque iuris, Petro Nardi, Henrico Fleckel, decretorum, sedis apostolicæ capellanis & auditoribus causarum palatii apostolici, * Vaillis & Ioanni * Rellis decretorum doctoribus, quatenus ipsi vel eorum maior pars examinent articulos, quos offerri contigerit, coram dicta Synodo, vel coram dictis commissariis; & eis examinatis, super illis qui ipsis vel eorum maiori parti admittendi videbuntur, de quorum articulorum receptione & eorumdem admissione præfata Synodus dictis commissariis, vel eorum maiori parti plenam confert & committit potestatem. Ipsi autem duo ex eis ad minus super articulis prædictis, & aliis offerendis, & eorum veritate & notorietate testes & alia probationum genera recipiant, iurarique faciant, & examinent diligenter, ita quod occupantium conditio melior non existat, neque per aliquorum inchoationem aliorum derogetur potestati: sed duobus aut pluribus negotium huiusmodi examinationis & receptionis testium inchoantibus, ceteri & quilibet duo, siue bini ex illis, etiam seorsum & separatim, ac eodem vel diuersis temporibus testes & alia probationum genera etiam super articulis & aliis inchoatis recipere, examinare, ac mandatum huiusmodi valeant exequi, testiumque attestationes & probationes alias, vel eorum effectum eidem sacræ Synodo fideliter referant, vt exinde eadem sancta Synodus super præmissis procedat, decernat & iudicet, prout secundum Deum, iustitiam & æquitatem, fuerit faciendum.

Mandat insuper & committit eadem sancta Synodus præfatis commissariis, & duobus (vt præmittitur) ex illis, quatenus ad dies, horas & loca opportuna eumdem Benedictum, sic (vt præmittitur) nominatum, citent & citari faciant peremptorie publice coram ipsis in locis prædictis, ad videndum etiam recipi, produci, iurare testes & alia probationum genera in causa huiusmodi, quatenus opus erit, cum potestate citandi & cogendi testes præfatos quoscumque, si qui forsan a dicta depositione se subtraxerint.

Protestatur etiam eadem sancta Synodus, quod per quoscumque actus, ordinem seu terminos iudiciarios seruatos vel seruandos in hac causa, formæ processus, quæ de

iure ſeruanda eſt, aut ſeruari ſufficit in notoriis, renuntiare non intendit, neque ad ſeruandum iudiciarium ordinem ſe obſeruare adſtringit quouis modo. Qua ſchedula lecta, reuerendiſſimus pater dominus Oſtienſis præſidens nomine huius ſanctæ Synodi ſuper dicta ſchedula & contentis in ea reſpondit per verbum, Placet. ANNO CHRISTI 1416.

SESSIO XXXIII.

ANNO & indictione quibus ſupra, die vero Mercurii duodecima menſis Maii fuit celebrata ſeſſio generalis in maiori eccleſia Conſtantienſi. In qua reuerendiſſimus pater dominus Nicolaus archiepiſcopus Gneznenſis Miſſam celebrauit. Fuitque præſidens huic ſeſſioni reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, vicecancellarius, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis. Et intererat huiuſmodi ſeſſioni ſereniſſimus princeps dominus Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ rex, indutus veſtimentis imperialibus, coronam in capite habens, adſtantibus ſibi reuerendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, domino Angelo Præneſtino, & Iordano Albanenſi, epiſcopis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus; illuſtriſſimis principibus Rodulpho Saxoniæ in enſe, Ludouico Bauariæ ducibus in pomo, & Friderico marchione Brandeburgenſi in ſceptro, & habitibus conſuetis ſibi ſeruientibus. Demum lectis litaniis vna cum aliis deuotis orationibus, vt moris eſt, aſcenderunt ambonem deputati & commiſſarii in cauſa hæreſis, &c. contra Petrum de Luna, in qua reuerendiſſimus pater dominus Guillermus tituli ſancti Marci ſanctæ Romanæ eccleſiæ presbyter cardinalis fecit relationem, dicens in effectu, quod ipſi commiſſarii proceſſiſſent in cauſa, ad ea quæ eis fuiſſent commiſſa, quia primo ipſum Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium in ſua obedientia nominatum, ad dandum & dari videndum articulos vocaſſent, & deinde certos articulos per procuratores cauſæ oblatos recepiſſent, eoſque ad probandum admiſiſſent, teſteſque octo & triginta, cardinales, archiepiſcopos, epiſcopos, prælatos, doctores, & alios ſuper eiſdem recepiſſent, iurareque feciſſent, ac eos diligenter examinaſſent. Inſuper dicto Petro de Luna ſic ſufficienter vocato, non-

nulla

Anno Christi 1416. nulla iura per procuratores producta in modum probationis recepissent, eaque probari fecissent, & probata esse decreuissent, & hæc omnia & alia per eos in hac causa acta, in actis redigi fecissent, prout in registro in hac causa per eos fieri mandato plenius continentur, offerentes se plenius & explicite magis relaturos, quando Synodus duxerit mandandum. Relatione autem huiusmodi facta, accusabatur contumacia Petri de Luna, non videntis aperiri dicta testium in huiusmodi causa productorum: & in contumaciam petebatur iterum in valuis maioris ecclesiæ vocari, & ad vocandum aliquos deputari. Atque extunc reuerendissimus pater dominus Ioannes Ostiensis huiusmodi sessioni præsidens, nomine Synodi deputauit reuerendissimos patres & dominos ad vocandum præfatum Petrum de Luna, videlicet Odonem de Columna, Lucidum de Comitibus, cardinales; Viennensem archiepiscopum, Feltrensem, Tridentinensem & Lichfeldensem episcopos, & Antonium Taxal generalem ordinis sanctæ Mariæ de mercede, Thomam Poltensem & Iacobum Rhodini, sedis apostolicæ protonotarios, vna cum præsentis causæ scribis, & Franciscum de Mediolano sanctæ apostolicæ sedis cursorem. Qui deputati vocarunt & citarunt præfatum Benedictum per cursorem antedictum, in hunc modum: Est hic Petrus de Luna, Benedictus decimustertius in sua obedientia nuncupatus, vel aliquis pro eo, qui compareat pro eo, ad videndum aperiri dicta testium, &c. Deinde dictis deputatis de valuis reuertentibus, dominus Lucidus cardinalis de Comitibus nomine condeputatorum retulit, ipsam vocationem per cursorem antedictum trina vice fuisse factam, neminemque ibi comparuisse, aut aliquod verbum respondisse. Quo facto, & iterum petito publicari dicta testium, & decerni terminum ad dicendum contra dicta huiusmodi, reuerendus pater & dominus, dominus Stephanus episcopus Dolensis legebat quamdam decreti papyri schedulam tenoris subsequentis.

Decretum de publicatione atteſtationum, & citatione ad contra obiiciendum.

Hæc sacrosancta generalis Synodus Petrum de Luna,

Benedictum decimumtertium in sua obedientia nuncupatum, vocatum legitime & non comparentem, reputat contumacem, & in illius contumaciam testes, attestationes & dicta testium in præsenti causa inquisitionis mota & pendente contra eumdem Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium a nonnullis nuncupatum, productorum & examinatorum, publicat, ac pro publicatis habet, & decernit eidem Petro de Luna Benedicto copiam dictarum attestationum & totius præsentis processus fieri, & assignat eidem Petro de Luna Benedicto (vt præmittitur) vocato terminum peremptorium ad diem Sabbati proximum mane hora septima in præsenti ecclesia & loco superiori prope altare sessionis, ad dicendum, obiiciendum & proponendum coram commissariis nuper ad testes recipiendos & examinandos, & cetera per eamdem Synodum deputatis, quidquid dicere, obiicere vel proponere voluerit contra testes in hac causa productos, & eorum dicta, nec non contra instrumenta, & *registralia, & alia quæcumque producta, & in tota ipsa causa & singulis eius discursibus, & ad hoc ipsum peremptorie citat, præfatisque commissariis & eorum maiori parti, ceterisque etiam minime impeditis, ad audiendum & recipiendum omnia, quidquid dicere, obiicere & proponere voluerit, & super illis cognoscendum, atque omnia & singula faciendum, quæ ad causam & processum huiusmodi pertinent & pertinebunt, vsque ad sententiam definitiuam excluſiue, ac super eorum dependentibus, emergentibus & connexis, dat eadem sancta Synodus plenam & liberam potestatem. Protestatur autem eadem sancta Synodus, quod per hunc processum, aut alium quemcumque in futurum fiendum in huiusmodi causa, a forma processus super notoriis, quam sufficit seruare de iure, recedere non intendit. Anno Christi 1416. *registra

Qua itaque decreti schedula lecta, per reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Ioannem episcopum Ostiensem, sanctæ Romanæ ecclesiæ cadinalem & vicecancellarium, huiusmodi sessioni præsidentem, nomine Synodi fuit responsum, Placet.

ANNO CHRISTI 1417.

SESSIO XXXIV.

DIE Sabbati quinta menſis Iunii, anno a natiuitate Domini milleſimo quadringenteſimo decimoſeptimo, indictione decima, fuit ſeſſio generalis per ſanctam Synodum Conſtantienſem in maiori eccleſia Conſtantiæ ſolenniter celebrata, in qua reuerendus pater dominus Thomas* Senonenſis epiſcopus Miſſam de tempore celebrauit. Præſedit autem reuerendiſſimus dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis cardinalis & vicecancellarius. Et dictis demum litaniis & orationibus conſuetis, cum euangelio ſecundum Lucam, *Homo quidam fecit cœnam magnam*, domini commiſſarii in cauſa contra Petrum de Luna aſcenderunt ambonem: & reuerendiſſimus pater dominus Guillermus cardinalis tituli ſancti Marci, de ſuorum collegarum conſenſu ſibi aſſiſtentium, pro themate aſſumens, *Tempus eſt vt* veniat iudicium a domo Dei*, &c. quod perpulcre deducens, proceſſum per ipſum & ſuos collegas contra Petrum de Luna, a quibuſdam Benedictum decimumtertium nuncupatum, iuxta commiſſionem eis deſuper factam, habitum, integre narrauit & recitauit, vna cum probationibus articulorum ſimpliciter in huiuſmodi cauſa productis. Et facta dicta relatione, reuerendi patres domini Dolenſis & Lichfeldenſis epiſcopi reſpondendo articulos legerunt, videlicet ſummam probationum ſcriptam ſuper quolibet articulo, dicendo poſt lecturam articuli: Iſte articulus de veritate & notorietate probatur per tot teſtes & tales: declarando dignitates & gradus teſtium. Et his peractis, reuerendus pater & dominus epiſcopus Concordienſis legebat quoddam decretum, cuius tenor ſequitur.

* Cinomenſis

* incipiat

Luc. 14.

1. Petr. 4.

Hæc ſacroſancta Synodus, audita relatione proceſſus & probationum & aliorum actorum in cauſa inquiſitionis pendente coram eadem ſancta Synodo contra Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium a nonnullis nuncupatum, ſuper ferenda ſententia & aliis in cauſa huiuſmodi fiendis deliberabit: poteſtatem autem alias conceſſam commiſſariis in dicta cauſa, præterquam ad citandum eumdem Petrum de Luna ad audiendum ſententiam per eamdem Synodum ferendam, non intendit reuocare; ſuper qua citatione atque ſententia nullam dictos commiſſa-

rios vult habere potestatem. Super præmissis dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessioni præsidens nomine Synodi respondit, Placet. ANNO CHRISTI 1417.

SESSIO XXXV.

Vnio ambasiatorum domini regis Castellæ & Legionis.

DIE Veneris decimaoctaua mensis Iunii supradicti sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi fuit solenniter celebrata, cui interfuit sereniſſimus princeps Sigismundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, cum insigniis regalibus, & multis principibus & nobilibus sibi adstantibus & sibi seruientibus. Et ante istius sessionis officium, siue orationes solitas & consuetas, prælati pluuialibus induti, mitras capitibus imposuerunt. Consequenter reuerendi patres & domini, nobiles & strenui viri sereniſſimi principis domini Ioannis regis Castellæ & Legionis ambasiatores, & cum eis Petrus de Lomburga de Polonia, ambonem ascenderunt, ac ipsi ambasiatores tria in effectu facere pro præsenti sessione proposuerunt, videlicet primo Concilium Constantiense conuocare: secundo, præsenti congregationi in Constantia se vnire: tertio, subiectionem obedientiæ factam in Narbona iuxta capitula ibidem concordata approbare. Et deinde Petrus de Lomburga legit quoddam procuratorium regis Castellæ. Quo lecto, frater Ludouicus de Valle Oleti, vnus de ambasiatoribus dicti regis, de consensu suorum coambasiatorum legit quamdam schedulam conuocationis, vna cum bulla Concilii conuocatoria, domino regi Castellæ prædicto per Synodum missa, iuxta capitula concordata Narbonæ, cuius schedulæ conuocationis tenor talis est.

Schedula conuocationis.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis.

Nos Didacus Conchensis episcopus, & Ferdinandus Petri de Ayala maior præfectus Guispustræ, sereniſſimi domini regis Castellæ consiliarii, Ioannes episcopus Pacensis, Martinus Ferdinandi domicellorum præses, Ferdinandus Martini de * Dauaben. Segobiensis, & Didacus Ferdinandi Palentinensis, ecclesiarum decani, decretorum doctores, frater Ludouicus de Valle Oleti ordinis Prædicato- * Dauales

Anno Christi 1417. rum, in theologia magiſter Pariſienſis, Ioannes Ferdinandi de Rupeflore decretorum doctor, oratores & procuratores præfati ſereniſſimi domini Ioannis regis Caſtellæ & Legionis, ac ſereniſſimæ dominæ reginæ Caſtellæ matris & tutricis eiuſdem, regnorumque gubernatricis, & omnium quorum intereſt, & intereſſe poteſt. Ad pacem & vnionem ſanctæ matris eccleſiæ puris ac ſinceris affectibus anhelantes, volenteſque & intendentes adimplere conuentionem in Narbona initam inter ſereniſſimum principem & dominum Sigiſmundum Romanorum & Hungariæ regem ſemper Auguſtum, ac reuerendos patres procuratores, nuntios & legatos præſentis congregationis Conſtantienſis ex vna, & oratores ac procuratores ſereniſſimi principis domini Ferdinandi claræ memoriæ Aragonum & Siciliæ regis, tam ſuo proprio nomine, quam tutorio & tutoris nomine præfati ſereniſſimi domini regis Nauarræ, nec non illuſtris principis Ioannis comitis Fuxi ex alia partibus, præſentamus nos in hoc loco coram paternitatibus veſtris, offerentes nos ad exequendum dictam conuentionem, ac omnia & ſingula in ea contenta: & ſumus nunc attendentes, quod in primo capitulo dictæ conuentionis continetur, quod conuocatio dictarum obedientiarum fiat per prælatos, ceteroſque viros eccleſiaſticos huius congregationis per literas directas ad reges, principes, prælatos, ac alias perſonas de obedientia dicti domini Benedicti ſic nuncupati. Quod vice verſa præfati domini reges, principes, prælati, & aliæ perſonæ dictæ obedientiæ domini Benedicti ſic nuncupati, debeant vos præfatos dominos prælatos & ceteros de congregatione præſenti per ſuos ambaſiatores aut literas hic in Conſtantia conuocare. Et attento etiam, quod literæ conuocatoriæ pro parte veſtra domino noſtro regi Caſtellæ iam præſentatæ fuerunt, quas etiam ipſe omnibus prælatis & aliis perſonis, quibus dirigebantur, intimari fecit modo debito, prout per inſtrumenta inde confecta patebit, cum fuerit opportunum, volumus & nos ſatisfacere dicto capitulo, cuius tenor quantum ad literas conuocatorias quæ in eis continentur, talis eſt.

Miſeratione diuina epiſcopi, presbyteri & diaconi cardinales, patriarchæ, archiepiſcopi, epiſcopi, prælati & ceteri in Conſtantia prouinciæ Moguntinenſis in Chriſti no-

mine congregati, illustri principi, prout superius continetur, &c. Qua ad finem lecta, idem frater Ludouicus legit, vt sequitur: Cui quidem capitulo satisfacere volentes, conuocamus vos omnes prælatos * ceteros dominos de hac congregatione iuxta tenorem dicti capituli. ANNO CHRISTI 1417. *f. & ceteros

His sic lectis, reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis ascendens in ambonem, legit in hæc verba.

Schedula acceptationis conuocationis.

Nos miseratione diuina episcopi, presbyteri & diaconi cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, prælati, & ceteri hic congregati, dictam conuocationem acceptamus, & offerimus nos paratos sine dilatione quacumque ad procedendum ad vlteriora.

Et insuper requirimus vos oratores & procuratores prædictos, quatenus ad vnionem faciendam nobiscum procedatis iuxta tenorem tertii capituli conuocationis prædictæ, quæ talis est: Tertio, quod præfatis de obedientia dicti domini Benedicti decimitertii per quosdam, &c. vt superius continetur: cuius tamen totum tenorem legebant. Et exposit frater Ludouicus de Valle Oleti præfatus, quo ad secundum principale, quamdam vnionis schedulam legebat in hæc verba.

Schedula vnionis.

Nos oratores & procuratores prætacti, dictis nominibus vnimus nos vobis iuxta tenorem capituli Narbonensis prædicti, approbantes & laudantes omnia quæ post vnionem Aragonensem contra dominum Benedictum agitata sunt & processa pridem, & eodem modo, ac si per hanc vnionem nostram ab hac sancta Synodo nobis interessentibus facta foret. Qua vnione facta, præfatus dominus archiepiscopus Mediolanensis legebat in hunc modum.

Schedula acceptationis vnionis.

Nos prælati & ceteri congregati vt supra, dictam vnionem * nostram acceptamus, profitentes vos vice & nomine præfati sereniſſimi domini regis Castellæ per omnia debitis modo & forma ac tempore contentis in dicto capitulo tertio satisfeciſſe, & e conuerso nos vobis oratoribus *f. vestrá

ANNO CHRISTI 1417. & procuratoribus prædictis nominibus iuxta tenorem eiusdem capituli vnimus. Quibus sic factis, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis & vicecancellarius nomine totius Synodi respondit per verbum, Placet.

Subsequenter oratores & procuratores illustrissimi domini Infantis Henrici, ac ordinis sacræ militiæ sancti Iacobi de Spata generalis magistri, ambonem ascendentes, omniaque & singula facta & acta per dominos ambasiatores & oratores regis Castellæ prædictos approbantes & laudantes, conuocationem fecerunt simili modo, vt ipsius regis Castellæ ambasiatores; & similiter se huic congregationi vnierunt, prout super istis conuocatione & vnione frater Ioannes de sancto Iacobo, ordinis Minorum, vnus de ambasiatoribus prædictis, de suorum ambasiatorum consensu quamdam papyri schedulam legebat sub huiusmodi tenore.

Schedula conuocationis Infantis Henrici.

Carnata Nos Vitalis de Soto miles commendator de Camata, frater Ioannes de sancto Iacobo sacræ paginæ professor, Garsias de Vergata miles, Ioannes Alphonsi, decretorum baccalaurei, procuratores & oratores illustrissimi domini Infantis Henrici, ac ordinis sacræ militiæ sancti Iacobi de Spata generalis magistri, simili modo conuocamus vos omnes prælatos & ceteros dominos de hac congregatione, iuxta tenorem dicti capituli. Deinde idem frater Ioannes legit, vt sequitur.

Schedula vnionis eiusdem.

Nos oratores supradicti dicto nomine vnimus nos vobis iuxta tenorem capituli prædicti. Super quibus omnibus & singulis promotores Concilii petierunt instrumentum & instrumenta: & depost fuit cantatum, Te Deum laudamus. Quo finito, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis ad præsidendum iuit, & officium sessionis solitum solenniter incipiebatur. Et lectis litaniis, aliisque consuetis, præfatus archiepiscopus Mediolanensis vna cum ambasiatoribus regis Castellæ ambonem ascendit, & legit schedulam sequentem, legendo

etiam illa capitula concordata Narbonæ, de quibus supra faciebat mentionem, quæ superius inserta fuerunt, vbi agebatur de confirmatione eorum. Anno Christi 1417.

Confirmatio capitulorum.

Sacrosancta generalis Constantiensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, viso & considerato capitulo secundo ex capitulis Narbonensibus inter carissimum ecclesiæ filium Sigismundum Romanorum & Hungariæ regem illustrem, & dilectos ipsius ecclesiæ filios, promotores & nuntios dictæ Synodi ex vna, & procuratores ac oratores carissimorum dictæ ecclesiæ filiorum dominorum, Ferdinandi claræ memoriæ Aragonum & Siciliæ regis, tam suo proprio nomine, quam tutorio & tutoris nomine, Ioannis Castellæ & Legionis, nec non oratores Nauarræ regum, & illustrium & dilectorum eiusdem ecclesiæ filiorum Fuxi & Armeniaci comitum partibus ex altera concordatis: cuius quidem secundi capituli tenor sequitur sub his verbis: Secundo, quatenus dictæ conuentionis, &c. volens in omnibus obseruare dictum capitulum, promittit, ratum habet, securat specialiter, confirmat, & nouiter firmat, & statuit, & decernit in omnibus & per omnia, prout in dicto capitulo plenius continetur. Sup. sess. 10. Viso etiam quarto capitulo incipiente: Quarto, quod per dictum vniendum Concilium, &c. abolet, tollit & irritat quoscumque processus, sententias, decreta, ordinationes, statuta & pœnas, &c. vt in dicto capitulo continetur, vsque ibi, & quod statuatur. Item statuit, quod nunquam de cetero ratione vel occasione dicti schismatis aut adhæsionis dicti domini Benedicti, & sui prædecessoris domini Clementis, possit contra dictos dominos reges, principes, prælatos, & alios de obedientia dicti domini Benedicti quomodolibet procedi in iudicio, vel extra, vt in fine dicti Sup. sess. 10. capituli continetur. Viso etiam quinto dictorum capitulorum incipiente: Quinto, quod per dictum formandum Concilium, &c. approbat, laudat, firmat, & meliori modo quo fieri potest, plenissime confirmat omnes & singulas concessiones, dispensationes & gratias factas per dominum Benedictum prædictum quibusuis personis suæ Sup. sess. 10. obedientiæ de quibusuis dignitatibus, &c. vt in dicto capitulo

Anno Christi 1417. pitulo continetur. Viso etiam vndecimo dictorum capitulorum incipiente: Vndecimo, quod dictus dominus rex Romanorum, &c. & attento quod dicitur ibi; & quod in prima sessione, &c. dicta sancta Synodus facit, concedit, statuit & ordinat in omnibus & per omnia, prout in dicto capitulo continetur. Quibus sic lectis & completis, reuerendi patres Iacobus Rhodini sedis apostolicæ protonotarius, & Ioannes literarum apostolicarum corrector, tenens librum euangeliorum a parte dextra; & a parte sinistra dominus Thomas Poltensis dictæ sedis protonotarius, & venerabilis dominus Iacobus Moresim sacri palatii apostolici causarum auditor, tenentes libros sanctorum euangeliorum, accesserunt ad dominos in hac sessione præsentes, recipientes ab eis iuramenta. Et primo serenissimus dominus Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex, consequenter vero & domini cardinales, archiepiscopi, episcopi, ceterique prælati & ambasiatores omnia & singula capitula Narbonæ concordata in omnibus & per omnia obseruare iurauerunt, & quilibet eorum iurauit, ac ea, quantum in eis fuit, receperunt.

Quibus iuramentis sic præstitis, Henricus de Piro promotor nomine præfati sereniſſimi principis domini Sigismundi surgens, publice dixit & inquisiuit: Si aliquis esset in prædicta sessione, qui haberet mandatum sufficiens illustris principis comitis Armeniaci, quod illud exhiberet. Cancellarius autem studii Parisiensis surgens dixit, ambasiatores Christianissimi regis Francorum certa habuisse scripta, quod dictus dominus comes sequi vellet vestigia prædicti domini regis. Tunc dictus dominus Henricus nomine quo supra dixit: Ex quo non apparet mandatum sufficiens pro ipso domino comite, nullo modo per iuramentum supra per eum præstitum, ad obseruationem dictorum capitulorum in Narbona concordatorum, quo ad præfatum dominum comitem Armeniaci, vellet arctari, publice & solenniter fuit protestatus.

His autem sic peractis, præfatus archiepiscopus Mediolanensis legit quamdam papyri schedulam tenoris subsequentis. Sup. sessio. 20.

Item domini cardinales, patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, & alii prælati ambasiatores dominorum regum

& principum, & alii in dicto Concilio existentes, & singulares personæ, & tamquam personæ suffultæ ad hoc sufficienti potestate, iurent, prout sufficienter in dicto 11. capitulo continetur. ANNO CHRISTI 1417.

Quæ prædicta omnia & singula intelligantur & locum habeant, retento tenore omnium & singulorum capitulorum prædictorum Narbonæ concordatorum, quibus & eorum singulis dicta Synodus stare intendit, nec ab eis vel eorum aliquo in toto vel in parte recedere.

Ad quæ omnia & singula dominus episcopus Ostiensis vicecancellarius & huius sessionis præsidens præfatus, nomine totius Concilii respondit per verbum, Placet.

Subsequenter dominus & frater Ludouicus de Valle Oleti prædictus, existens in ambone, legit schedulam sequentem.

Schedula approbationis capitulorum Narbonæ factæ per oratores regis Castellæ.

Nos Didacus Conchensis episcopus, & Ferdinandus Petri de Ayala maior præfectus Guispustæ, sereniſſimi domini regis Castellæ consiliarii, Ioannes episcopus Pacensis, Martinus Ferdinādi domicellorum præses, Ferdinandus Martini de* Claualos Segobiensis, & Didacus Ferdinandi Palentinensis, ecclesiarum decani, decretorum doctores, frater Ludouicus de Valle Oleti ordinis prædicatorum in theologia magister Parisiensis, Ioannes Ferdinandi de Rupeflore decretorum doctor, oratores & procuratores sereniſſimi domini Ioannis Castellæ regis ac Legionis, ac sereniſſimæ dominæ reginæ matris & tutricis eiusdem regnorum gubernatricis, hic præsentes & personaliter constituti, dictis nominibus quibus validius & efficacius possumus, iure videlicet, forma, modo, via, causa melioribus omnia & singula decreta, statuta, protestationes per sacrosanctā & generalem Synodum Constantiensem nunc facta & edita, & quæ nunc sunt serioſius lecta, ipsa habentes pro sufficienter expressis & repetitis solenniter, vice & nomine regis & reginæ nostrorum præfatorum omnium regnorum & terrarum suarum acceptamus, approbamus, assentimus, & solenniter affirmamus. Et similiter sicut ipsa sancta Synodus protestata est, quod non velit recedere a capitulis in dicta

*Daualos

Anno Christi 1417. ciuitate Narbonensi concordatis, ita & nos dictis nominibus solenniter protestamur. Ad quæ tunc reuerendissimus pater & dominus episcopus Ostiensis, huius sessionis præsidens, nomine totius Synodi respondit, Placet. Et consequenter præfatus archiepiscopus Mediolanensis legit decretum tenoris infra scripti.

Quod non obstantibus iuramentis, licuit ab eius obedientia recedere.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, pro bono vnionis ecclesiæ sacrosanctæ auctore Deo felicius consummandæ, considerans quod per carissimam ecclesiæ filiam Catharinam reginam illustrem, carissimi ipsius ecclesiæ filii Ioannis regis Castellæ & Legionis matrem atque tutricem, regnorumq; & terrarum illius gubernatricem, atque per nonnullos prælatos, barones & notabiles personas regnorum & terrarum regis præfati, requisita & præstita fuerunt iuramenta & promissiones de non recedendo ab obedientia domini Petri de Luna, Benedicti decimitertii a nonnullis sic nuncupati, sub certis formis, de quibus in actis & instrumentis inde confectis latius continetur: quæ quidem acta & instrumenta, & alias quascumque probationes prædictorũ, præfata Synodus de ipsis plene certificata, vult hic habere pro sufficienter expressis: quodque huiusmodi iuramenta & promissiones requisita & præstita fuerunt impedimentum præfatæ vnionis, propter quæ & illa nulla & irrita esse censentur: statuit, decernit atque declarat, præfata omnia iuramenta & promissiones, ac omnia & singula inde secuta, fuisse & esse cassa, irrita & nulla, nulliusque efficaciæ, roboris vel momenti. Et nihilo minus ad cautelam, quatenus de facto processerunt, ea relaxat & cassat, irritat ac reuocat, declarans præfatos (vt præmittitur) iurantes & promittentes ad obseruantiam prædictorum minime teneri & obligari. Quo decreto lecto, fuit per dictum dominum præsidentem nomine totius Synodi responsum per verbum, Placet. Et deposit præfatus frater Ludouicus legit, vt sequitur.

Schedula subtractionis obedientiæ confirmationis, per vnum de ambasiatoribus regis Castellæ lecta.

Nos Didacus, &c. ambasiatores & procuratores præ-

fati, nomine procuratorio quo supra, confirmamus, & etiam approbamus subtractionem obedientiæ dudum factam in Perpiniano domino papæ Benedicto decimotertio, per felicis memoriæ dominum Ferdinandum Aragonum & Siciliæ regem, nomine sereniſſimi regis Castellæ & Legionis domini nostri, & per suas literas, sicut in eisdem latius continetur: etiam ex superabundanti cautela eam nomine quo supra de nouo facimus, sicut in dictis literis continetur, & alio meliori & firmiori modo, quo fieri potest & debet, de quo offerimus literas præfati domini regis & matris in valida & expedienti forma daturos. Deinde dominus Petrus de Grado, vnus etiam de ambasiatoribus regis Castellæ & Legionis prædicti, quamdam schedulam subtractionis obedientiæ per præfatum regem dicto Benedicto in Castella * factam, in vulgari Castellano scriptam, publice legit. Et quia a multis non intelligebatur, præsentibus igitur non est inserta. Deinde frater Ludouicus præfatus solenniter fecit collationem: & facta collatione, pro complemento huius sessionis reuerendissimus pater dominus Ioannes patriarcha Antiochenus Missam de Spiritu sancto celebrauit. Anno Christi 1417. * f. factæ.

Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Ioanne Ostiensi, de Vrsinis, Bononiensi, Venetiarum, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentinensi, sancti Marci, de Chalanco, de Fuxo, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ac illustrissimo principe domino Sigismundo Romanorum & Hungariæ &c. rege præfato, illustribusque principibus & dominis Friderico marchione Brandeburgensi, & Ludouico duce de Burga: nec non regum, principum, nobilium, prælatorum, communitatum, vniuersitatum, studiorum ambasiatoribus, & aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XXXVI.

ANNO a natiuitate Domini milleſimo quadringentesimo decimoseptimo, die vero Iouis vigesimasecunda mensis Iulii, fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constãtiensi. Pro cuius introductione reuerendissimus pater episcopus Atrebatensis Missam de sancto Spiritu

ANNO CHRISTI 1417. celebrauit: præsidebatque in eadem sessione dominus reuerendissimus episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius. Et lectis litaniis, aliisque deuotis orationibus solitis, dominus Antonius episcopus Concordiensis legit quamdam citationem contra Petrum de Luna factam, ad audiendum se priuari, & sententiam ferri, cuius tenor sequitur.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, venerabilibus fratribus Henrico Feltrensi, Stephano Dolensi, Ioanni Pacensi, Iacobo Placentino, & Patricio Cortagensi, episcopis, salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

Frustra iudicium cognoscendo geritur, nisi quod cognitum est, iudiciali calculo terminetur. Cum itaque eadem sancta Synodus de meritis causæ inquisitionis pendentis coram eadem sancta Synodo contra Petrum de Luna, a quibusdam Benedictum decimumtertium nuncupatum, plene cognouerit, & in eadem causa ad omnes actus & terminos requisitos rite & canonice processerit, decernit & mandat eadem sancta Synodus, eumdem Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium (vt præmittitur) nuncupatum, citari publice in valuis ecclesiæ Constantiensis alta & intelligibili voce, dum in eadem ecclesia diuina * celebrantur officia, & cum affixione præsentium literarum eisdem valuis, cum de præsenti audientia literarum contradictarum minime teneatur: atque citat peremptorie & vno edicto peremptorio pro omnibus, ad diem Lunæ vigesimamsextam huius mensis Iulii, ad comparendum in ecclesia Constantiensi mane, hora qua dicta sancta Synodus sedebit, & sedere consueuit, ad audiendum ius & definitiuam sententiam per eamdem Synodum proferri & pronuntiari in causa prædicta. Quocirca paternitatibus vestris eadem sancta Synodus mandat & committit, quatenus vos aut duo vestrum, vocatis ad hoc aliquibus ex notariis & scribis in dicta causa deputatis, vel aliis, præsentis citationis literas in valuis eiusdem ecclesiæ per alterum ex dictis notariis, vobis aut duobus vestrum præsentibus, publice alta voce & intelligibili legi faciatis, ac eumdem Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium (vt præmittitur) nuncupatum,

in forma præmissa citari, literasque præsentes eisdem valuis affigi, ita quod citatio huiusmodi veniat in publicam vocationem, & eidem sacræ Synodo tempore sessionis proxime futuræ de gestis per vos in præmissis faciatis relationem fidelem. Datum Constantiæ, præfata Synodo sedente in dicta Constantiensi ecclesia, vndecimo Kalendas Augusti, anno natiuitatis dominicæ millesimo quadringentesimo decimoseptimo. ANNO CHRISTI 1417.

Lecta autem præscripta citatione, idem dominus Antonius adhuc in ambone existens, de mandato sanctæ Synodi dixit in effectu: Ne propter festum hodiernum, quod tamen in corpore iuris minime reperitur, aliqui dubitarent præsentem diem feriatam esse, tunc ipsa sancta Synodus prædicta omnem in præmissis supplet defectum, si interueniisset. Super huiusmodi lectis & propositis dominus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidens nomine Concilii respondit per verbum, Placet.

Quibus sic factis, reuerendi patres Stephanus Dolensis & Henricus Feltrensis episcopi, vna cum notariis præsentis causæ, ad tres ianuas maioris ecclesiæ Constantiensis accesserunt, & in ipsarum qualibet supradictam citationem infra Missarum solennia per Ioannem Guiardi præsentis causæ notarium alta voce legi fecerunt, dictumque Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium a quibusdam nuncupatum, iuxta tenorem citationis citarunt & citari fecerunt.

Lecta vero huiusmodi citatione, vt præmittitur, ipsi eamdem citationem per bullam triplicatam in qualibet dictarum portarum vnam affigi per eumdem Ioannem Guiardi fecerunt: super quibus lectione & affixione ipsi commissarii petierunt fieri instrumentum ac instrumenta. Deinde venerabilis vir Petrus de Lomburga licentiatus decretorum, in ambone ad hoc ordinato existens, legit decretum sequentis tenoris.

Decretum cassationis pœnarum factarum per Petrum de Luna, vigore cuiusdam constitutionis pro ambasiatoribus regis Castellæ.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam

ANNO CHRISTI 1417. repræsentans, ex certis & iustissimis causis ad hoc eamdem Synodum mouentibus & inducentibus, annullat, irritat atque cassat, irritasque, nullas & cassas esse decernit atque declarat omnes priuationes siue pœnas, aut priuationum siue pœnarum declarationes, per dominum Benedictum decimumtertium in sua obedientia nuncupatum, a die nona mensis * Nouembris anni a natiuitate Domini millesimi quadringentesimi decimiquinti citra factas, promulgatas, fulminatas, seu pronuntiatas, tam virtute cuiusdam prætensæ constitutionis per eumdem dominum Benedictum dudum promulgatæ, sub dato Massiliæ apud sanctum Victorem, decimotertio Kalendas Iunii, pontificatus sui anno decimotertio, quæ incipit: Benedictus episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram & perpetuam rei memoriam. In dierum successus crescente malitia sic videmus mundum, &c. Quam ex quacumque alia causa, occasione, colore, aut ratione priuationis siue pœnæ, aut declarationis prædictæ fuerint de beneficiis ecclesiasticis, dignitatibus, feudis, iuribus, statibus, honoribus, siue de quibuscumque aliis rebus temporalibus siue spiritualibus, & de quibuscumque personis regularibus aut sæcularibus, regibus siue principibus, archiepiscopis, episcopis, & aliis ecclesiarum prælatis, magistris ordinum, communitatibus, congregationibus, collegiis, vniuersitatibus, & quibuscumque aliis personis laicis, siue ecclesiasticis, omnesque alios processus excommunicationis aut interdicti, siue suspensionis, aut cuiuscumque tenoris sententias super huiusmodi priuationibus aut pœnis factos siue factas, promulgatos seu promulgatas, & omnia inde vel ob id secuta, vna cum eadem constitutione, & eamdem tamquam contrariam & impeditiuam vnionis sanctæ matris ecclesiæ, simili modo irritat atque cassat, & irritas siue irrita esse decernit atque declarat, etiam si super præmissis vel aliquo præmissorum appareant quæcumque literæ siue bullæ sub anteriori data, quæ tamen ante diem prædictum non fuerint plenariæ executioni mandatæ. Et nihilo minus ad cautelam absoluit, & absolutos decernit omnes & singulos supradictos, & quoscumque alios, a prædictis sententiis excommunicationis, suspensionis & interdicti, seu priuationis (si

* Octobris

quas virtute dictæ constitutionis, vel alias quouis modo ex supradictis causis & aliis in prædicta constitutione contentis, contraxerint) nec non omnes processus, tam super proprietate, quam possessione, priuationes etiam beneficiorum quæ possidebant, & collationes de eisdem aliis factas, aut excommunicationis, suspensionis, vel quascumque alias sententias in, seu contra venerabiles fratres & dilectos ecclesiæ filios Didacum Conchensem episcopum, nobilem virum Ferdinandum Petri de Ayala militem, carissimi ecclesiæ filii Ioannis regis Castellæ & Legionis consiliarios, Ioannem episcopum Pacensem, & Martinum Ferdinandi militem præpositum domicellorum dicti regis Castellæ & Legionis, & religiosum virum fratrem Ferdinandum de Ilestis ordinis Minorum, eiusdem regis consiliarium, Ferdinandum Martini Segobiensis, & Didacum Ferdinandi Palentinensis, ecclesiarum decanos & decretorum doctores, fratrem Ludouicum de Valle Oleti in theologia magistrum Parisiensem, & Ioannem Ferdinandi de Rupeflore decretorum doctorem, ambasiatores & procuratores præfati regis Castellæ, & Petrum Ferdinandi archidiaconum de Grado, in ecclesia Onetensi ipsius regis secretarium, consanguineos & familiares eorum, a die prima mensis Aprilis anno Domini millesimo quadringentesimo * decimoquinto citra factos & promulgatos irritat, cassat, irrita atque cassa esse denuntiat, statuitque & decernit ambasiatores prædictos, consanguineos, nec non eorum familiares, &c. perinde ad statum pristinum reducendos, ac si priuationes, collationes, processus & aliæ sententiæ prædictæ minime fuissent latæ, factæ aut promulgatæ, etiam si super processibus, priuationibus, aut collationibus vel sententiis prædictis aliquæ literæ vel bullæ appareant sub anteriori data, quæ tamen ante diem prædictam non fuerint in partibus præsentatæ, & plenariæ executioni demandatæ. Eadem quoque sancta Synodus omnes prouisiones, promotiones & translationes de quibuscumque ecclesiis cathedralibus siue collegiatis, seu ad quascumque ecclesias cathedrales siue collegiatas, & generaliter omnes concessiones beneficiorum seu dignitatum quarumcumque, etiam per priuationes dominorum cardinalium sanctæ Romanæ ecclesiæ

Anno Christi 1417.

* decimo sexto,

per

Anno Christi 1417. per præfatum dominum Benedictum sic (vt præmittitur) nuncupatum factas, aut morte, cessione, vel quouis alio modo vacantium, omnesque & singulas concessiones, gratias & dispensationes, tam super matrimoniis contrahendis, quam etiam super beneficiis, & quibuscumque aliis regibus, principibus aut prælatis, seu etiam quibuscumque aliis personis, communitatibus & collegiis, & generaliter omnia alia per eumdem dominum Benedictum sic nuncupatum, infra limites seu dominia aut terras præfati carissimi ecclesiæ filii Ioannis regis Castellæ & Legionis subiectas aut subiecta, vsque ad diem decimamoctauam mensis Iunii tunc currentis acta, concessa & dispensata, quæ per præsens decretum non sint aut fuerint cassata, cassave denuntiata, & super quibus bullæ, seu quæcumque aliæ literæ ante diem prædictum non fuerint confectæ, præsentatæ & executæ, pro bono quietis & pacis laudat, approbat & confirmat, atque approbata & laudata esse declarat: ita tamen, quod per approbationem seu confirmationem prædictas nullum præiudicium fiat carissimo ecclesiæ filio Alphonso Aragonum regi illustri, nec ipsius regis matri, vxori aut fratribus, vel familiaribus, siue consiliariis alicuius eorum, nec contra eorum aliquem valeat in iudicio vel extra præfata confirmatio vel approbatio allegari. Vult etiam eadem sancta Synodus atque statuit, quod per præmissa carissimo ecclesiæ filio Carolo Nauarræ regi, liberisve eius, aut magistro, hospitali & conuentui Rhodi nullum præiudicium generetur: hoc tamen declarato & intellecto, quod si ab aliquibus prælaturis, magisteriis seu magistratibus, dignitatibus vel beneficiis quibuscumque durante schismate fuerint separata, vel alias disgregata aliqua membra, castra, villæ, seu alia bona, redditus, prouentus vel emolumenta ac responsiones cameræ, vel alia iura quæcumque, de quibus fuerit aliquibus iam prouisum, vel facta collatio vel infeudatio infra limites, dominia seu terras præfati carissimi ecclesiæ filii regis Castellæ supradicti constituta, quin prædicta ipsis prælaturis & magisteriis seu magistratibus, dignitatibus vel beneficiis, vt capiti restitui & redintegrari valeant per Concilium antedictum, & in quacumque parte præiudicaretur alicui de cardinalibus sanctæ Romanæ ecclesiæ, di-

cta ſancta Synodus prouidebit, vt melius expedire videbitur. Per præmiſſa autem ſancta Synodus capitulis Narbonenſibus non intendit in aliquo contrauenire. Quo decreto lecto, dominus præſidens nomine Synodi reſpondit per verbum, Placet. ANNO CHRISTI 1417.

Super quibus omnibus & ſingulis præmiſſis, & eorum quolibet, magiſter Henricus de Piro promotor & procurator nomine quo ſupra, & venerabilis vir dominus Ioannes de Rupeflore procuratorio nomine domini Ioannis regis Caſtellæ & Legionis illuſtris prædicti, ſibi a protonotariis, notariis atque ſcribis ipſius ſanctæ Synodi, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, & tot quot fuiſſent neceſſaria fieri petierunt, & quilibet eorum petiit publicum ſeu publica inſtrumenta. Præſentibus ibidem reuerendiſſimis in Chriſto patribus & dominis, dominis Ioanne Oſtienſi, Laudenſi, Hiſpano, de Vrſinis, Bononienſi, Venetiarum, Senenſi, Piſano, Veronenſi, Cameracenſi, Tricaricenſi, Placentino, de Fuxo, de Chalanco, Salutiarum, de Fliſco, de Branckaſiis, de Columna, & de Comitibus, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalibus, ac illuſtri principe domino Friderico marchione Brandeburgenſi, nec non regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuerſitatum ſtudiorum & collegiorum ambaſiatoribus, aliiſque Chriſti fidelibus in multitudine copioſa.

SESSIO XXXVII.

DIE vigeſimaſexta ſupradicti menſis Iulii, Conſtantiæ in eccleſia maiori loco ſolito fuit publica ſeſſio ſolenniter celebrata, pro cuius introductione reuerendiſſimus pater dominus Guillermus tituli ſancti Marci ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis presbyter Miſſam de Spiritu ſancto deuotiſſime celebrauit. Seſſioni autem interfuit ſereniſſimus princeps dominus Sigiſmundus Romanorum & Hungariæ, &c. rex, cum inſigniis regalibus & ſuis nobilibus in eiſdem ſibi ſeruientibus. Præſidebatque ſeſſioni huiuſmodi pontificalibus inſignitus reuerendiſſimus pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis & vicecancellarius. Lectis deinde litaniis, aliiſque orationibus conſuetis, ſermoneque, cuius thema erat, *Juſtum iudicium iudicate*, per

Ioann. 7.

Anno Christi 1417. reuerendum patrem dominum electum in patriarcham Constantinopolitanum finito, contumacia fuit accusata Petri de Luna non comparentis, neque diffinitiuam sententiam* audientis. & inde fiebat relatio executionis citationis in vltima sessione decretæ per dominum Henricum Feltrensem episcopum, vnum de commissariis deputatis pro executione citationis huiusmodi. Facta autem relatione, ac iterum contumacia ipsius dicti Petri de Luna accusata, reuerendissimi patres domini de Comitibus & de Fuxo cardinales, per sanctam Synodum ad hoc specialiter deputati, de eiusdem Synodi mandato vna cum protonotariis, & præsentis causæ notariis, & Ioanne Snepper sedis apostolicæ cursore, locum sessionis exeuntes, accesserunt ad valuas ecclesiæ, & ibidem per organum cursoris prædicti præfatum Petrum de Luna trina vice vocarunt, dicendo: Est hic Petrus de Luna, ab aliquibus Benedictus decimustertius nuncupatus, vel aliquis pro eo, qui compareat coram sancta Synodo ad audiendum in scriptis ferri sententiam definitiuam in causa schismatis & hæresis contra eum mota? Ipse autem nec aliquis pro eo comparuit ibidem, aut respondit: de quo fecerunt relationem. Facta autem relatione huiusmodi, iterato accusabatur contumacia ipsius Petri de Luna per magistrum Henricum promotorem Concilii, instantissime postulando, ipsum reputari contumacem. Et nunc dominus Stephanus episcopus Dolensis quoddam decretum, siue quamdam schedulam legit in hæc verba.

* ferri curantis:

Hæc sacrosancta Synodus Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium a nonnullis nuncupatum, legitime citatum, vocatum, non comparentem, declarat & reputat contumacem, decernitque in eius absentia Dei repleta præsentia, fore in præsenti causa inquisitionis contra eum coram eadem pendente, per eamdem Synodum ad definitiuam sententiam procedendum.

Ista schedula sic lecta, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidens, nomine ipsius Synodi per verbum, Placet, respondit. Et extunc reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci presbyter cardinalis quamdam definitiuæ sententiæ schedulam legit huiusmodi sub tenore.

Sententia contra Benedictum papam decimumtertium in ſua obedientia nuncupatum. ANNO CHRISTI 1417.

Pſalm. 16. De vultu eius hoc iudicium prodeat, qui ſedet in throno, & ex eius ore procedit gladius bis acutus, cuius ſtatera
Apoc. 21. iuſta eſt, & æqua ſunt pondera, qui venturus eſt iudicare
Ibidem 19. viuos & mortuos, Domini noſtri Ieſu Chriſti. Amen. *Iu-*
Leuit. 19. *ſtus eſt Dominus, & iuſtitias dilexit, æquitatem vidit vultus e-*
Pſalm. 10. *ius. Vultus quidem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de*
Ibid. 33. *terra memoriam eorum. Pereat*, inquit ſanctus Propheta, *me-*
Pſalm. 108. *moria illius, qui non eſt recordatus facere miſericordiam, & qui perſecutus eſt hominem inopem & mendicum:* quanto magis pereat illius, qui omnes homines & eccleſiam vniuerſalem perſecutus eſt & perturbauit, Petri de Luna, Benedicti decimitertii a nonnullis nuncupati, memoria? Qui quantum in eccleſiam Dei & vniuerſum populum Chriſtianum peccauerit, ſchiſma & diuiſionem eccleſiæ fouens, nutriens atque continuans: quantis, quamque frequentibus, deuotis & humilibus regum, principum & prælatorum precibus, exhortationibus & requiſitionibus caritatiue iuxta doctrinam euangelicam admonitus fuerit, vt pa-
Matth. 18. *Luc. 17.* cem daret eccleſiæ, & illius ſanaret vulnera, ac eius partes diuiſas in vnam compaginem & corpus vnum reficeret, quemadmodum ipſe iurauerat, & diu fuit in ſua poteſtate; quos tamen caritatiue corripientes nullatenus voluit exaudire: quot ſint poſtmodum teſtes adhibiti, quibus etiam minime exauditis, neceſſe fuit ſecundum prædictam Chri-
Matth. 18. ſti euangelicam doctrinam dicere eccleſiæ: quam quia etiam non audiuit, habendus ſit tamquam ethnicus & publicanus: capitula in cauſa inquiſitionis fidei & ſchiſmatis coram præſenti ſancta Synodo generali ſuper præmiſſis & aliis contra eum edita, ac eorum veritas & notorietas, declarant manifeſte. Super quibus rite ac canonice proceſſo, & omnibus rite actis & diligenter inſpectis, habitaque ſuper illis deliberatione matura, eadem ſancta Synodus generalis vniuerſalem eccleſiam repræſentans, in dicta inquiſitionis cauſa pro tribunali ſedens, pronuntiat, decernit & declarat per hanc definitiuam ſententiam in his ſcriptis, eumdem Petrum de Luna, Benedictum decimumtertium (vt præmittitur) nuncupatum, fuiſſe & eſſe periurum, vniuer-

ANNO CHRISTI 1417. salis ecclesiæ scandalizatorem, fautorem & nutritorem inueterati schismatis & inueteratæ scissuræ & diuisionis ecclesiæ sanctæ Dei, pacis & vnionis eiusdem ecclesiæ impeditorem & turbatorem, schismaticum & hæreticum, ac a fide deuium, & articuli fidei, Vnam sanctam catholicam ecclesiam, violatorem pertinacem, cum scandalo ecclesiæ Dei incorrigibilem, notorium & manifestum, ac omni titulo, gradu, honore & dignitate se reddidisse indignum, a Deo eiectum & præcisum, & omni iure eidem in papatu, & Romano pontifici, ac Romanæ ecclesiæ quomodolibet competente, ipso iure priuatum, & ab ecclesia catholica tamquam membrum aridum præcisum. Ipsumque Petrum, quatenus de facto papatum secundum se tenet, eadem sancta Synodus papatu & summo ecclesiæ Romanæ pontificio, omnique titulo, gradu, honore, dignitate, beneficiis & officiis quibuscumque ad omnem cautelam priuat, deponit & abiicit, eidemque inhibet, ne deinceps pro papa aut Romano & summo pontifice se gerat. Omnesque Christicolas ab eius obedientia & omni debito obedientiæ ipsius atque iuramentis & obligationibus eidem quomodolibet præstitis absoluit, & absolutos esse declarat, ac omnibus & singulis Christi fidelibus inhibet sub pœna fautoriæ schismatis & hæresis atque priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & honorum ecclesiasticorum & mundanorum, & aliis pœnis iuris, etiam si episcopalis & patriarchalis, cardinalatus, regalis sit dignitatis, aut imperialis; quibus, si contra hanc inhibitionem fecerint, sint auctoritate huius decreti ac sententiæ ipso facto priuati, & alias iuris incurrant pœnas, ne eidem Petro de Luna schismatico & hæretico incorrigibili, notorio declarato & deposito, tamquam papæ obediant, pareant, vel intendant, aut eum quouis modo contra præmissa sustineant, vel receptent, sibique præstent auxilium, consilium vel fauorem. Declarat insuper & decernit omnes & singulas inhibitiones, omnesque processus & sententias, constitutiones & censuras, & alia quæcumque, per ipsum factos, factas & facta, quæ possent præmissis obuiare, irritos, irritas, irrita, atque irritat, reuocat & annullat: ceterisque pœnis, quas in præmissis casibus iura statuunt, semper saluis.

Hac schedula siue sententia lecta, prædictus Stephanus episcopus Dolensis ex parte ipsius Synodi dixit in effectu: Quamuis in processu causæ huiusmodi nullus posset defectus allegari, tamen sancta Synodus prædicta ad superabundantem cautelam omnes supplet defectus, si qui interueniissent. Ad quæ omnia & singula dominus præsidens nomine totius Concilii respondit, Placet. ANNO CHRISTI 1417.

SESSIO XXXVIII.

DIE Mercurii vigesimaoctaua supradicti mensis Iulii, Constantiæ in ecclesia maiori fuit sessio publica solenniter celebrata. Et reuerendus pater dominus Nicolaus Assisinatensis Missam de beata virgine Maria celebrauit: reuerendus vero pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, huiusmodi sessioni præsedit. Et litaniis & aliis orationibus & solennitatibus solitis lectis atque peractis, venerabilis vir dominus Petrus de Lomburga legit quædam decreta tenoris subsequentis.

Decretum irritans pœnas latas contra ambasiatores infantis Henrici.

Sup. sess. 36. Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, ex certis & iustissimis causis eamdem sanctam Synodum mouentibus, nuper omnes processus tam super proprietate, quam possessione, priuationes etiam beneficiorum quæ possidebant, & collationes alias de eisdem factas, aut excommunicationis, vel suspensionis, vel quascumque alias sententias, in, seu contra venerabiles fratres & dilectos ecclesiæ filios ambasiatores & procuratores carissimi ecclesiæ filii Ioannis regis Castellæ, consanguineos & familiares eorum, a die primo mensis Aprilis anni Domini millesimi quadringentesimi decimisexti citra factas aut promulgatas, irritauit & cassauit, irritaque & cassa denuntiauit: statuitque & decreuit ambasiatores prædictos, consanguineos, vel familiares ipsorum, perinde ad statum pristinũ reducendos, ac si priuationes, collationes, processus & aliæ sententiæ prædictæ latæ aut promulgatæ minime fuissent, etiam si super processibus, prouisionibus, ac collationibus & sententiis prædictis

ANNO CHRISTI 1417. aliquæ bullæ, siue literæ appareant sub anteriori data, quæ tamen ante diem prædictam non fuerant in partibus præsentatæ, & plenariæ executioni demandatæ. Volens itaque eadem sancta Synodus ex similibus causis mota, dilectos ecclesiæ filios Vitalem de * Scoto commendatorem de Caranaqua, & fratrem Ioannem de sancto Iacobo ordinis fratrum Minorum, in theologia magistrum, & * Barsiam de Vergara militem ordinis sancti Iacobi de Spata, ac Ioannem Alphonsi baccalaureum in decretis, ambasiatores & procuratores dilecti ecclesiæ filii illustris Henrici Infantis Aragoniæ, Siciliæ, &c. ac dicti ordinis sancti Iacobi de Spata magistri, simili fauore prosequi, ac eadem, quo ad præmissa, prærogatiua gaudere, statutum & decretum, irritationes & cassationes prædictas ad præfatos ambasiatores prædictorum Infantis Henrici & magistri, & ad consanguineos & familiares ipsorum decernit perinde extendi, ac si in supradicto decreto aut statuto fuissent vna cum prædictis ambasiatoribus regis Castellæ ac speciali-

* Soto

*Garsiam

ter deputati.

Quo facto idem magister Petrus de Lomburga adhuc in loco, seu ambone publicationis prædicto existens, de simili mandato dictæ sanctæ Synodi super hoc facto quoddam aliud decretum alta & intelligibili voce de verbo ad verbum perlegit sub huiusmodi tenore.

Decretum reuocationis vocum ambasiatoribus regis Aragonum concessarum.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis.

Cum nuper in capitulis Narbonæ concordatis inter cetera cautum fuerit, quod non ordinarentur, statuerentur, vel fierent aliqua directe vel indirecte concernentia aut tangentia dominos reges, principes, prælatos, & alios de obedientia Petri de Luna, olim Benedicti decimitertii nuncupati, vel aliquem ipsorum; & post per hanc Synodum concessum fuerit ambasiatoribus & oratoribus carissimi ecclesiæ filii regis Aragonum præsentibus tunc & aliis venturis, etiam per modum conuentionis & pacti, quod dicti oratores in natione Hispanica hoc durante Concilio haberent vocem tantæ virtutis & auctoritatis, quantæ essent voces omnium prælatorum & ecclesiasticarum per-

sonarum, regnorum & terrarum dicti regis, quæ possidet citra & vltra mare, quæ ad generale Concilium sunt assuetæ vocari, cum protestatione tamen hinc inde facta, quod præmissa intelligerentur concessa sine præiudicio dictorum capitulorum, prout in decreto desuper confecto latius continetur. Verum cum ambasiatores carissimi ecclesiæ filii regis Portugalliæ illustris publice concessioni huiusmodi se opposuerint, & cum de huiusmodi concessione tractaretur, & timeretur, quod aduenientibus ambasiatoribus carissimi ecclesiæ filii regis Castellæ illustris, ipsi verisimiliter de huiusmodi concessione siue decreto turbarentur & conquererentur, prout iam super hoc grauem exposuere querelam, asserentes huiusmodi concessionis obseruantiam in eorum tendere læsionem, ac sui honoris non modicum præiudicium, & fore contra capitula prædicta concordata: pendenteque huiusmodi tractatu, præfati ambasiatores regis Aragonum sæpius in effectu dixerunt & asseruerunt, quod dictos ambasiatores regis Castellæ redderent contentos, & cum eisdem super hoc bene concordarent, & contra eorum voluntates dictis vocibus vti nollent: propter hoc & rationabiles alias causas, attento etiam quod ex hac quæstione agenda in hac Synodo differri & impediri possent, prout hactenus nonnulla bonum vnionis ecclesiæ concernentia retardata & dilata fuerunt: eademque sancta Synodus volens * omnibus & per omnia eisdem capitulis inhærere, & vnumquemque in sua iustitia confouere, pro bono pacis & concordiæ partium prædictarum ac nationis Hispanicæ & suppositorum eiusdem, ex certa scientia decernit & declarat, quod ambasiatores regis Aragonum prædictis vocibus prælatorum & aliorum absentium, qui ad Concilium consueuerunt euocari, quæ eisdem concessæ fuerunt, extra Hispaniam (vt præfertur) vti nullo modo possint, nec debeant in natione Hispanica supradicta, sed quod singulæ ambasiatæ regum Castellæ, Aragoniæ, Portugalliæ & Nauarræ, habeant & repræsentent in natione prædicta voces omnium prælatorum & aliorum absentium, qui consueuerant ad Concilium euocari solum, & regnorum dumtaxat & dominiorum suorum quæ habent in Hispanica natione.

Anno Christi 1417.

* f. in omnibus

Quo lecto decreto, Sperans-in-Deo, vnus de ambasiatoribus

ANNO CHRISTI 1417. toribus regis Aragonum, in medio surgens, dictumque decretum in nationibus non fuisse positum allegans, de nullitate ipsius decreti fuit protestatus : & expost nationum quatuor præsidentes expresse dixerunt & retulerunt, huiusmodi decretum in nationibus fore lectum, & ipsis nationibus placuisse vt legeretur. Et tunc reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis huiusmodi sessionis præsidens, nomine totius Synodi super omnibus præmissis, Placet, respondit.

SESSIO XXXIX.

ANNO a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoseptimo, indictione decima, die vero Sabbati nona mensis Octobris, Constantiæ in ecclesia maiori in loco solito fuit tenta & celebrata sessio publica, in qua reuerendissimus pater dominus archiepiscopus Viennensis Missam de Spiritu sancto celebrauit, reuerendissimus vero pater & dominus, dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, huiusmodi sessioni præsedit. Lectisque litaniis & aliis deuotis orationibus legi solitis, cum euangelio secundum Lucam: *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericors est:* reuerendissimus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis ambonem ascendit, legit & publicauit decreta quæ sequuntur. Luc. 6.

De Conciliis generalibus, & prouisione erga futura schismata.

Frequens generalium Conciliorum celebratio, agri dominici cultura est præcipua, quæ vepres, spinas & tribulos hæresum & errorum & schismatum extirpat, excessus corrigit, deformata reformat, & vineam Domini ad frugem vberrimæ fertilitatis adducit. Illorum vero neglectus præmissa disseminat atque fouet : hæc præteritorum temporum recordatio & præsentium consideratio ante oculos nostros ponunt. Eapropter hoc edicto perpetuo sancimus, decernimus & ordinamus, vt amodo Concilia generalia celebrentur, ita quod primum a fine huius Concilii in quinquennium immediate sequens, secundum vero a fine illius immediate sequentis Concilii in septennium, & deinceps de decennio in decennium perpetuo celebren-

tur in locis quæ ſummus pontifex per menſem ante finem cuiuſlibet Concilii, approbante & conſentiente Concilio, vel in eius defectum, ipſum Concilium deputare & aſſignare teneatur, vt ſic per quamdam continuationem ſemper aut Concilum vigeat, aut per termini pendentiã expectetur: quem terminum liceat ſummo pontifici de fratrum ſuorum ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium conſilio ob emergentes forte caſus abbreuiare: ſed nullatenus prorogetur. Locum autem pro futuro celebrando Concilio deputatum abſque euidenti neceſſitate non mutet. Sed ſi forte caſus aliquis occurreret, quo neceſſarium videretur, ipſum locum mutari, puta obſidionis, guerrarum, peſtis, aut ſimilis, tunc liceat ſummo pontifici de prædictorum fratrum ſuorum, aut duarum partium ipſorum conſenſu atque ſubſcriptione, alium locum prius deputato loco viciniorem & aptum, ſub eadem tamen natione, ſubrogare, niſi idem vel ſimile impedimentum per totam iſtam nationem vigeret, tunc ad aliquem alium viciniorem locum alterius nationis aptum huiuſmodi Concilium poterit conuocari: ad quem prælati, & alii qui ad Concilium ſolent conuocari, accedere teneantur, ac ſi a principio locus ille fuiſſet deputatus. Quam tamen loci mutationem, vel termini abbreuiationem per annum ante præfixum terminum teneatur ſummus pontifex legitime & ſolenniter publicare & intimare, vt ad ipſum Concilium celebrandum prædicti poſſint ſtatuto termino conuenire. ANNO CHRISTI 1417.

Prouiſio aduerſus ſchiſmata futura.

Si vero (quod abſit) in futurum ſchiſma oriri contingeret, ita quod duo vel plures pro ſummis pontificibus ſe gererent, a die qua ipſi duo vel plures inſignia pontificatus publice aſſumpſerint, ſeu miniſtrare cœperint, intelligatur ipſo iure terminus Concilii tunc forte vltra annũ pendens, ad annum proximum abbreuiatus. Ad quod omnes prælati & ceteri qui ad Concilium ire tenentur, ſub pœnis iuris & aliis per Concilium imponendis, abſque alia vocatione conueniant, nec non imperator, ceterique reges & principes vel perſonaliter, vel per ſolennes nuntios, tamquam ad commune incendium extinguendum per viſcera miſericordiæ Domini noſtri Ieſu Chriſti exnunc exhortati, concurrant, & quilibet ipſorum pro Romano pontifice ſe

ANNO CHRISTI 1417. gerentium, infra menſem a die qua ſcientiam habere potuit, alium vel alios aſſumpſiſſe papatus inſignia, vel in papatu adminiſtraſſe, teneatur ſub interminatione maledictionis æternæ & amiſſione iuris, ſi quod forte ſibi quæſitum eſſet in papatu, quam ipſo facto incurrat, & vltra hoc ad quaſlibet dignitates actiue & paſſiue ſit inhabilis, Concilium ipſum ad terminum anni prædictum in loco deputato prius indicere & publicare ad celebrandum, & per ſuas literas competitori vel competitoribus, ipſum vel ipſos prouocando ad cauſam, & ceteris prælatis ac principibus, quantum in eo fuerit, intimare, nec non termino præfixo ſub pœnis prædictis ad Concilii locū perſonaliter ſe tranſferre, nec inde diſcedere, donec per Concilium cauſa ſchiſmatis plenarie ſit finita: hoc adiuncto, quod nullus ipſorum contendentium de papatu in ipſo Concilio vt papa præſideat: quinimo vt tanto liberius & citius eccleſia vnico & indubitato paſtore gaudeat, ſint ipſi omnes de papatu contendentes, poſtquam ipſum Concilium inceptum fuerit, auctoritate huius Synodi ipſo iure ab adminiſtratione ſuſpenſi, nec eis, aut eorum alteri, donec cauſa ipſa per Concilium terminata fuerit, quomodolibet a quoquam ſub pœna fautoriæ ſchiſmatis obediatur. Quod ſi forte electionem Romani pontificis per metum (qui caderet in conſtantem virum) ſeu impreſſionem de cetero fieri contingat, ipſum decernimus nullius efficaciæ vel momenti, nec poſſe per ſequentem conſenſum, etiam metu prædicto ceſſante, ratificari, vel approbari: non tamen liceat cardinalibus ad aliam electionē procedere, niſi ille ſic electus forte renuntiet, vel decedat, donec per generale Concilium de electione illa fuerit iudicatū. Et ſi procedant, nulla ſit electio ipſo iure: ſintque ſecundo eligentes & electus (ſi ipſe papatui ſe ingeſſerit) omni dignitate & ſtatu etiam cardinalatus & pontificali ipſo iure priuati, & inhabiles de cetero ad eoſdem, ac etiam ad papalem. Nec etiam in aliquo eidem ſecundo electo, vt papæ, ſub pœna fautoriæ ſchiſmatis obediatur quoquo modo: & eo caſu Concilium de electione papæ prouideat illa vice: ſed liceat, imo teneantur electores omnes, aut maior pars ipſorum, quam cito ſine perſonarum periculo poterunt, (etiam ſi periculū omnium bonorū immineat) transferre ſe ad locum tutum,

& metum prædictum allegare coram notariis publicis & notabilibus personis ac multitudine in loco insigni : ita tamen, quod allegantes metum huiusmodi habeant in ipsius metus allegatione exprimere speciem & qualitatem dicti metus, & iurare solenniter, quod metus taliter allegatus sit verus, & credunt se ipsum posse probare, & quod per malitiam seu calumniam, huiusmodi metum non proponunt, nec vltra proximum futurum Concilium vllo modo possit differri allegatio dicti metus. Teneantur insuper postquam se transtulerint, & metum allegauerint, modo prædicto prouocare sic electum ad Concilium: quod Concilium si vltra annum pendeat a die prouocationis huiusmodi, intelligatur ad annum, vt supra, ipso iure terminus breuiatus. Et nihilo minus electus ipse sub pœnis prædictis, & cardinales prouocantes sub pœna amissionis cardinalatus & omnium beneficiorum suorum, quam ipso facto incurrant, infra mensem a die prouocationis Concilium ipsum (vt supra dicitur) indicere & publicare, & quam citius poterunt intimare, ac cardinales ipsi, ceterique electores ad locum Concilii tempore conuenienti personaliter se transferre, & vsque ad finem causæ expectare. Teneantur quoque prælati, ceterique vt supra, ad conuocationem cardinalium tantum, si forte sic electus conuocare cessaret, accedere: qui sic electus in Concilio ipso non præsideat, quinimo sit a termino initiandi Concilii ipso iure ab omni administratione papatus suspensus, nec sibi a quoquam sub pœna fautoriæ schismatis quomodolibet obediatur. Quod si infra annum ante diem indicti Concilii contingant supradicti casus, videlicet quod plures gerant se pro papa, vel quod vnus per metum vel impressionem eligatur, censeantur ipso iure tam se gerentes pro papa, quam electus per metum seu impressionem, & cardinales ad dictum Concilium prouocati, teneanturque in ipso Concilio comparere personaliter, causam exponere, & iudicium Concilii expectare. Sed si dictis casibus occurrentibus, contingat forte casus aliquis, quo necessarium sit locum Concilii mutare, vt obsidionis, guerræ aut pestis, vel similis, teneantur nihilo minus tam omnes supradicti, quam omnes prælati, ceterique qui ad Concilium ire tenentur, ad locum proximiorem (vt præ-

Anno Christi 1417.

ANNO CHRISTI 1417. mittitur) qui sit habilis ad Concilium, conuenire. Possitque maior pars prælatorum, qui infra mensem ad locum certum declinauerint, illum sibi & aliis pro loco Concilii deputare. Concilium autem (vt præfertur) conuocatum & congregatum, de huiusmodi schismatis causa cognoscens, & in contumacia electorum seu gerentium se pro papa, vel cardinalium (si forte venire neglexerint) litem dirimat, atque causam definiat, ac culpabiles in schismate procurando seu nutriendo, vel in administrando seu obediendo, & administrantibus fauendo, seu contra interdictum superius eligendo, vel calumnioſe allegando metum, etiam vltra prædictas pœnas, cuiuscumque status, gradus aut præeminentiæ existant, ecclesiasticæ, vel mundanæ, sic puniat, vt vindictæ rigor luceat ceteris in exemplum. Vt autem metus seu impressionis molestia in electione papæ eo formidolosius euitetur, quo toti Christianitati lamentabilius eorum incussio seu factio perpetratur: vltra prædicta duximus specialiter statuendum, quod si quis huiusmodi metum vel impressionem aut violentiam electoribus ipsis aut alicui ipsorum in electione papæ intulerit, seu fecerit, aut fieri procurauerit, vel factum ratum habuerit, aut in hoc consilium dederit vel fauorem, facientes scienter receptauerit, vel defensauerit, aut negligens in executione pœnarum inferius comminatarum extiterit, cuiuscumque status, gradus aut præeminentiæ fuerit, etiam si imperiali, regali, pontificali, vel alia quauis ecclesiastica aut sæculari præfulgeat dignitate, illas pœnas ipso facto incurrat, quæ in constitutione felicis recordationis Bonifacii papæ octaui, quæ incipit, Felicis, continentur, illisque effectualiter puniatur. Ciuitas vero (quod absit) etiam si vrbs Romana fuerit, seu alia quæuis vniuersitas, quæ talia facienti auxilium vel consilium dederit, aut fauorem, vel infra mensem saltem taliter delinquentem (prout tanti facinoris enormitas exegerit & facultas ei adfuerit) non duxerit puniendum, eo ipso ecclesiastico subiaceat interdicto. Et nihilo minus præter dictam vrbem pontificali (vt supra) sit dignitate priuatus, non obstantibus priuilegiis quibuscumque. Volumus insuper, quod in fine cuiuslibet generalis Concilii hoc decretum solenniter publicetur, nec non quandocumque &

vbicumque Romani pontificis electio imminebit facienda, ante ingressum conclauis legatur, & publice intimetur. ANNO CHRISTI 1417.

Forma de professione papæ facienda.

Quanto Romanus pontifex eminentiori inter mortales fungitur potestate, tanto clarioribus ipsum decet fulciri fidei vinculis, & sacramentorum ecclesiasticorum obseruandis ritibus alligari. Eapropter, vt in futurum Romanis pontificibus in suæ creationis primordiis & singulari splendore luceat plena fides, statuimus & ordinamus, quod deinceps quilibet in Romanum pontificem eligendus, antequam sua electio publicetur, coram suis electoribus publice confessionem & professionem faciat infra scriptas.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Anno a natiuitate Domini millesimo, &c. ego N. electus in papam, omnipotenti Deo, cuius ecclesiam suo præsidio regendam suscipio, & beato Petro apostolorum principi corde & ore profiteor, quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero, me firmiter credere & tenere sanctam fidem catholicam, secundum traditiones apostolorum, generalium Conciliorum & aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum octo Conciliorum vniuersalium, videlicet primi Nicæni, secundi Constantinopolitani, tertii Ephesini, quarti Calchedonensis, quinti & sexti Constantinopolitanorum, septimi item Nicæni, octaui quoque Constantinopolitani, nec non Lateranensis, Lugdunensis & Viennensis generalium etiam Conciliorum. Et illam fidem vsque ad vnum apicem immutilatam seruare, & vsque ad animam & sanguinem confirmare, defensare & prædicare, ritum quoque pariter sacramentorum ecclesiasticorum catholicæ ecclesiæ traditum, omnimode prosequi & obseruare. Hanc autem professionem & confessionem meam per notarium scriniarium sanctæ Romanæ ecclesiæ me iubente scriptam, propria manu subscripsi, & tibi omnipotenti Deo pura mente & deuota conscientia super tali altari, &c. sinceriter offero in præsentia talium, &c. Datum, &c.

ANNO CHRISTI 1417.

Ne prælati transferantur inuiti.

Cum ex prælatorum translationibus ecclesiæ ipsæ de quibus transferuntur, plerumque grauibus in spiritualibus & temporalibus subiaceant dispendiis & iacturis, prælati quoque nonnunquam iura & libertates ecclesiarum suarum translationis formidine non adeo solerter vt alias prosequantur, ne ad importunitatem quorumdam, quæ sua & non quæ Iesu Christi quærentium, Romanus pontifex forsan vt homo facti nescius, in huiusmodi circumueniatur, aut alias leuiter inclinetur, præsentibus statuimus & ordinamus, inuitorum episcoporum & superiorum translationes absque magna & rationabili causa, quæ vocata parte cognita fuerit & decisa de consilio sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, vel maioris partis eorumdem, & cum subscriptione, de cetero fieri non debere. Inferiores vero, vt abbates, aliique perpetuo beneficiati, inuiti absque iusta & rationabili causa cognita amoueri seu priuari non debeant. Adiicientes, quod in mutationibus abbatum subscriptio cardinalium interueniat, sicut in episcopis est præmissum, saluis constitutionibus, consuetudinibus & priuilegiis ecclesiarum, monasteriorum & ordinum quorumcumque. *Philip. 2.*

De spoliis & procurationibus.

Cum per papam facta reseruatio & executio & perceptio procurationum, ordinariis & aliis inferioribus prælatis debitarum ratione visitationis, nec non & spoliorum decedentium prælatorum, aliorumque clericorum, grauia ecclesiis, monasteriis & aliis beneficiis, ecclesiasticisque personis afferant detrimenta, præsenti declaramus edicto, rationi fore consentaneum, & reipublicæ accommodum, tales per papam reseruationes, ac per collectores & alios auctoritate apostolica deputatos siue deputandos, exactiones seu perceptiones de cetero nullo modo fieri seu attentari, quinimo procurationes huiusmodi quorumcumque prælatorum, cardinalium etiam, vel ipsius papæ familiarium, officialium & aliorum quorumuis clericorum, in curia Romana vel extra, vbicumque & quandocumque decedentium, spolia seu bona eorum mortis

tempore reperta, plene & libere pertineant illis, & per illos recipiantur, quibus alias, præfatis reseruationibus, mandatis & exactionibus cessantibus, competerent & pertinere deberent, prælatis etiam inferioribus & aliis huiusmodi spoliorum exactiones præter & contra iuris communis formam fieri interdicimus, constitutione felicis recordationis Bonifacii papæ octaui, quæ incipit, Præsenti, super hoc edita specialiter, in suo robore duratura. Post hæc autem venerabilis vir magister Petrus de Lomburga legit decretum tenoris subsequentis. ANNO CHRISTI 1417.

Potestas definiendi possessorium causæ episcopatus Cumanensis.

Sacrosancta & generalis Synodus Constantiensis vniuersalem Dei ecclesiam repræsentans, venerabilibus fratribus* Placensi, Pistoriensi & Vaurensi episcopis, quos alias ad audiendum causam & causas ac querelas ad nos deuolutas seu deductas, & deuoluendas seu deducendas, deputauimus etiam ecclesiarum cathedralium, vsque ad definitiuam sententiam exclusiue, quam in causis ipsarum ecclesiarum cathedralium nobis reseruauimus, vt causam super possessorio iudicio ecclesiæ Cumanensis, & pertinentibus ad eamdem, inter venerabilem fratrem Antonium episcopum Cumanensem agentem ex vna, & dilectos ecclesiæ filios canonicos & capitulum, & fratrem Franciscum de * Crinellis ordinis Minorum, pro electo dictæ ecclesiæ se gerentem, defendentes partibus ex altera, quæ coram ipsis pendet indecisa, habentes statum causæ huiusmodi pro sufficienter expresso, ac non valentes diuersis occupati negotiis finali decisioni eiusdem intendere finali sententia, vocatis secum aliquibus terminare valeant, plenariam concedimus facultatem. Quibus sic lectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis præsidens nomine totius Concilii respondit per verbum, Placet.

*f. Pacēsi

* Cunellis

Super quibus omnibus & singulis præmissis & eorum quolibet magister Ioannes de Scribanis promotor & procurator prædictus nomine quo supra, & Xanthes aduocatus nomine præfati domini fratris Antonii petiit a protonotariis & notariis huius sacri Concilii vnum vel plura, publicum aut publica, instrumentum seu instrumenta

Anno Christi 1417. menta, præsentibus reuerendissimis dominis in Christo patribus sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, Ostiensi, Laudensi, de Vrsinis, Bononiensi, Hispano, episcopis; Venetiarum, Aquileiensi, Senensi, Placentino, Veronensi, Tricaricensi, Pisano, sancti Marci, de Chalanco, Rhemensi, de Fuxo, presbyteris; de Fliſco, de Brancxasiis, de Columna & de Comitibus, diaconis cardinalibus; nec non egregiis viris dominis Augustino de Pisis, Dominico de Ponte, Ardecino de Nouaria sacri consistorii aduocato, & Luca de Fliſco milite Ianuensi, aliisque dominorum regum, principum ac prælatorum ambasiatoribus, & aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XL.

Die Sabbati trigesima supradicti mensis Octobris fuit celebrata generalis sessio in maiori ecclesia Constantiensi. Pro cuius quidem sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Iordanus episcopus Albanensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis, de Vrsinis vulgariter nuncupatus, Missam de Spiritu sancto celebrauit: reuerendissimus vero dominus Ioannes episcopus Ostiensis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, pontificalibus indutus, huiusmodi sessioni præsedit. Lectisque litaniis & aliis orationibus in sessionibus legi solitis, reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci presbyter cardinalis quædam decreta publice legit sub his verbis.

Reformationes fiendæ per papam vna cum Concilio, antequam Concilium dissoluatur.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis in Spiritu sancto legitime congregata, vniuersalem ecclesiam repræsentans, statuit & decernit, quod futurus Romanus pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus, cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes debeat reformare ecclesiam in capite & in membris, & curiam Romanam, secundum æquitatem & bonum regimen ecclesiæ, antequam hoc Concilium dissoluatur, super materiis articulorum alias per nationes in reformatorio oblatorum, quæ sequuntur.

ANNO CHRISTI 1417.

1. Primo, de numero, qualitate & natione dominorum cardinalium.
2. Item de reseruationibus sedis apostolicæ.
3. Item de annatis, communibus seruitiis & minutis.
4. Item de collationibus beneficiorum & gratiis expectatiuis.
5. Item de confirmationibus electionum.
6. Item de causis in Romana curia tractandis, vel non.
7. Item de appellationibus ad Romanam curiam.
8. Item de officiis cancellariæ & pœnitentiariæ.
9. Item de exemptionibus & incorporationibus tempore schismatis factis.
10. Item de commendis.
11. Item de fructibus medii temporis.
12. Item de non alienandis bonis Romanæ ecclesiæ.
13. Item propter quæ & quomodo papa possit corrigi & deponi.
14. Item de extirpatione simoniæ.
15. Item de dispensationibus.
16. Item de prouisione papæ & cardinalium.
17. Item de indulgentiis.
18. Item de decimis.

Hoc adiecto, quod facta per nationes deputatione prædicta, liceat aliis de licentia papæ libere ad propria remeare.

Quod procedatur ad electionem Romani pontificis, absentia cardinalium Petri de Luna non obstante.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, attendens ea quæ iamdudum Narbonæ pro vnione ecclesiæ de admittendis in eadem Synodo cardinalibus obedientiæ Petri de Luna, olim Benedicti decimitertii in sua obedientia nuncupati, concordata fuerunt, quodque post notoriam eiectionem dicti Petri de Luna, præfati cardinales dudum secundum eadem concordata ante eiectionem huiusmodi vocati, infra tres menses & amplius a die eiectionis prædictæ expectati non venerunt, statuit & decernit fore ad electionem Romani pontificis iuxta decernenda per eamdem Synodum, eiusdem Synodi auctoritate procedendum, ipsorum absentia non obstante: quos,

Anno Christi 1417. si ante consummatam electionem futuri summi pontificis venerint, & eidem Concilio adhæserint iuxta dispositionem iuris & decernenda per Concilium, vna cum aliis ad electionem prædictam admittendos esse declarat.

De modo & forma eligendi papam.

Ad laudem, gloriam & honorem omnipotentis Dei, & ad pacem & vnitatem vniuersalis ecclesiæ ac totius populi Christiani, vt electio futuri Romani & summi pontificis proxime celebranda, firmiori auctoritate & plurium roboretur assensu, & ne, attento statu ecclesiæ super dicta electione, in posterum vlla retractio, vllusve scrupulus in mentibus hominum resideat, sed ex illa sequatur vnio certa, vera, plenissima & perfecta fidelium: sacrosancta Synodus Constantiensis, communi vtilitate pensata, de speciali & expresso consensu & voluntate concordi sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium in eadem Synodo personaliter existentium, & collegii eorumdem ac omnium nationum præsentis Concilii, ordinat, statuit & decernit, quod hac vice dumtaxat ad eligendum Romanum & summum pontificem, vna cum cardinalibus sex prælati, vel aliæ honorabiles personæ ecclesiasticæ in sacris ordinibus constitutæ, de qualibet natione in eadem Synodo pro tunc existentes, quos seu quas quælibet ipsarum nationum pro se ad hoc infra decem dies duxerit eligendas, ipsis cardinalibus adiungantur. Quibus omnibus eadem Synodus eligendi Romanum pontificem secundum formam hic expressam (quatenus opus est) tribuit potestatem, videlicet, quod ille absque vlla exceptione ab vniuersali ecclesia Romanus pontifex habeatur, qui a duabus partibus cardinalium in conclaui existentium, & a cuiuslibet nationis duabus partibus eisdem cardinalibus adiungendorum, & tunc adiunctorum, electus fuerit & receptus, quodque non valeat electio, nec electus pro summo pontifice habeatur, nisi duæ partes cum cardinalibus ad eligendum adiungendorum & tunc adiunctorum, consentiant & consenserint in Romanum pontificem eligendum. Statuit insuper, ordinat & decernit, quod vota quorumcumque in electione huiusmodi emittenda sint nulla, nisi (vt præmittitur) duæ partes cardinalium, & duæ

partes cuiuslibet nationis adiungendorum, & tunc adiunctorum prædictorum, præsentialiter seu per accessionem in vnum concurrant. Hoc etiam adiecto, quod prælati & alii cum cardinalibus ipsis ad electionem huiusmodi adiungendi, & tunc adiuncti, omnes & singulas constitutiones apostolicas etiam pœnales circa electionem Romani pontificis editas, atque consuetudines obseruari consuetas, quemadmodum ipsi cardinales obseruare teneantur, & ad illorum obseruantiam astringantur. Teneantur insuper iurare, & iurent dicti electores & cardinales & alii, antequam ad electionem procedant, quod in huiusmodi electionis negotio attendant, quod eis imminebit (cum de creatione agitur vicarii Iesu Christi, successoris beati Petri, vniuersalis rectoris ecclesiæ, gregis dominici directoris) puris & sinceris mentibus (& quantum credant publicæ vtilitati vniuersalis ecclesiæ proficere, omni cuiuscumque nationis personæ vel alio inordinato affectu, odio, gratia vel fauore abiectis) procedere, vt eorum ministerio de vtili & idoneo vniuersali ecclesiæ pastore prouideatur. Ordinat insuper, statuit & decernit eadem sancta Synodus, quod infra decem dies exnunc continue numerandos, quos decem dies omnibus & singulis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus præsentibus & absentibus, & ceteris electoribus supradictis, attenta Romanæ ecclesiæ notoria vacatione, ad intrandum conclaue in hac ciuitate Constantiensi in maiori domo communitatis eiusdem ciuitatis ad hoc iam ordinata, præfigit & assignat, præfati electores, cardinales & alii supradicti intrent ipsum conclaue ad electionem huiusmodi celebrandam, ceteraque faciendum, obseruandum & prosequendum, quemadmodum in ceteris præter præmissa de cardinalibus & aliis in electione Romani pontificis iura statuunt & decernunt, quæ omnia, præmissis obseruatis, vult eadem sancta Synodus in suo robore permanere. Hanc autem formam & hunc modum electionis approbat, ordinat, statuit ac decernit pro hac vice, & ad omnem scrupulum submouendum eadem sancta Synodus omnes & singulos in eadem Synodo præsentes & venturos, qui eidem Synodo adhærebunt, ad omnes actus legitimos in eadem Synodo agendos actiue & passiue (quatenus opus est) habilitat & Anno Christi 1417.

ANNO CHRISTI 1417. habiles esse declarat, ceteris eiusdem Concilii decretis semper saluis, supplens omnes defectus (si qui forsan interuenerint) in præmissis, apostolicis etiam & generalibus Conciliis editis, & aliis constitutionibus non obstantibus quibuscumque. Quibus decretis sic lectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis huiusmodi sessionis præsidens, ipsius Synodi nomine respondit, Placet.

Super quibus omnibus & singulis præmissis & eorum quolibet magister Henricus de Piro promotor & procurator prædictus, nomine quo supra, sibi a protonotariis, notariis & scribis ipsius sanctæ Synodi ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, ac tot quot fuerint necessaria fieri petiit, publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Præsentibus reuerendissimis in Christo patribus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, Ostiensi, Laudensi, de Vrsinis, Bononiensi, Hispano, episcopis; Venetiarum, Aquileiensi, Senensi, Placentino, Veronensi, Tricaricensi, Pisano, sancti Marci, de Chalanco, Rhemensi, de Fuxo, presbyteris; de Flisco, de Branckasiis, de Columna & de Comitibus diaconis cardinalibus; ac illustri principe domino Friderico marchione Brandeburgensi, sancti Romani imperii archicamerario, ac magnificis & generosis dominis Bertholdo de Vrsinis, Ludouico de Otingen, & Euthero de Rauaretzburg, comitibus, aliisque regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuersitatum, studiorum & collegiorum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XLI.

DIE Lunæ octaua mensis Nouembris, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo decimoseptimo, indictione decima, fuit tenta sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi. Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, Missam de Spiritu sancto, sereniissimo principe domino Sigismundo Romanorum rege cum insigniis regalibus interueniente, deuote celebrauit. Et Missa finita, dominus Iacobus episcopus Laudensis solennem fecit sermonem ad Synodum, assumens pro themate, *Eligite meliorem.* Reue- 4. Reg. 10.

rendiſſimus vero pater dominus Ioannes epiſcopus Oſtienſis, ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalis, huic ſeſſioni præſedit. Litaniis igitur lectis, aliiſque in ſeſſionibus legi ſolitis, cum euangelio ſecundum Ioannem, *Si diligitis me, mandata mea ſeruate:* dominus Petrus de Lomburga licentiatus in decretis, ſtans in ambone ſolito, quamdam conſtitutionem felicis recordationis Clementis papæ ſexti, & alia quæ ſequuntur, legit huiuſmodi ſub tenore. ANNO CHRISTI 1417.

Conſtitutio Clementis papæ ſexti ſuper modo & forma tenendis ſuper victualibus cardinalium in conclaui exiſtentium.

Clemens epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Licet in conſtitutione a felicis recordationis Gregorio papa decimo prædeceſſore noſtro ſuper electione Romani pontificis edita in Concilio Lugdunenſi, inter cetera caueatur expreſſe, quod ſi eumdem pontificem in ciuitate, in qua cum ſua curia reſidebit, diem claudere contingat extremum, cardinales in palatio, in quo idem pontifex habitabat, omnes conueniant, & in eo ſinguli ſingulis tantummodo, niſi illi quibus ex patenti neceſſitate duo permittuntur haberi, contenti ſeruientibus clericis vel laicis (prout elegerint) vnum conclaue, nullo intermedio pariete vel alio velamine, inhabitent in communi: & quod diebus certis, non facta prouiſione de paſtore, decurſis, panis, vinum & aqua tantum eiſdem cardinalibus, donec ſubſequetur prouiſio, miniſtretur: quia tamen, ſicut frequenti multorum aſſertione & in cardinalatu conſtitutorum percepimus, nonnulli ex cardinalibus in obſeruatione conſtitutionis ipſius grauati alias nimirum extiterunt, multi quoque ex ipſis duos in conclaui prædicto habuerunt ſeruientes, non abſque ſcrupulo conſcientiæ propter ambiguitatem dictorum verborum, videlicet, Quibus ex patenti neceſſitate duo permittuntur haberi, in dicta conſtitutione (vt præmittitur) contentorum, nos prouidere ſuper his cupientes, ex his & certis aliis cauſis rationabilibus, quæ noſtrum ad id animum induxerunt, rigorem conſtitutionis ipſius, & etiam ad fratrum noſtrorum ſupplicationem, in his prouidimus temperandum, auctoritate apoſtolica ſtatuentes, quod cardinales poſtquam con-

ANNO CHRISTI 1417. claue huiuſmodi, ſeu clauſuram pro dicta celebranda electione intrauerint, ſinguli duos ſeruientes tantum clericos vel laicos, prout duxerint eligendos, ac etiam ſingulis præter panem, vinum & aquam in prandio & in cœna dumtaxat vnum ferculum ſeu miſſum carnium vnius ſpeciei tantummodo, aut piſcium ſeu ouorum, cum vno potagio de piſcibus vel carnibus principaliter non confectis & decentibus ſalſamentis habere valeant vltra carnes ſalitas, & herbas crudas, ac caſeum, fructus ſiue electuaria, ex quibus tamen nullum ſpecialiter ferculum conficiatur, niſi ad condimentum fieret, vel ſaporem. Nullus vero eorum de alterius ferculo veſci poſſit. Liceat etiam eis ex decentia honeſtatis habere in clauſura huiuſmodi, cum in lectis cauſa quieſcendi vel dormiendi eſſe voluerint dumtaxat, intermedia ſeu velamina ſimplicium tantummodo cortinarum, prædictis & felicis recordationis Clementis papæ V. prædeceſſoris noſtri & aliis conſtitutionibus apoſtolicis contrariis, quibus per hoc in aliis derogare nolumus, non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Auenione octauo Idus Decembris, pontificatus noſtri anno decimo.

Deinde idem dominus Petrus in eodem loco exiſtens de ſimili mandato capitula, quæ cardinales & alii electores Romani pontificis infra ſcripta obſeruare, & cuſtodes conclauis iurare facere obſeruari tenentur, alta & intelligibili voce perlegit.

CAPITVLA IVRANDA PER ELECTORES Romani pontificis, & cuſtodes conclauis.

ISTA ſunt, quæ cardinales & alii electores Romani pontificis in Concilio generali Conſtantienſi obſeruare, & cuſtodes iurare & facere obſeruari tenentur, & ad quæ non vltra compelli poſſint per cuſtodes conclauis.

Primo, quod infra decem dies a die iam lati per Concilium decreti intrent conclaue, videlicet hodie Lunæ octaua menſis Nouembris infra occaſum ſolis.

Secundo, quod quilibet non habeat vltra duos seruientes clericos vel laicos, quos duxerit eligendos, & simpliciter permittantur duos habere per constitutionem Clementis sexti, licet in constitutione, Vbi maius, non liceret habere duos, nisi ex patenti necessitate. ANNO CHRISTI 1417.

Tertio, quod in conclaui simul inhabitent, nullo medio pariete vel alio velamine, nisi quando dormient vel quiescent: & tunc licet habere intermedia seu velamina dumtaxat simplicium cortinarum, quæ cortinæ conceduntur per dictam constitutionem Clementis sexti.

Quarto ita claudatur conclaue, reseruato aditu ad secretam cameram, quod nullus, postquam inclusi fuerint, intrare valeat vel exire. Nullus ad eosdem electores aditus pateat, vel facultas secrete loquendi aliquid cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittãt, nisi de consensu omnium aliqui pro his quæ ad electionem pertinent, vocarentur.

Quinto, quod nulli liceat ad ipsos electores nuntium vel scripturam mittere.

Sexto, quod in ipso conclaui competens sit fenestra, per quam electoribus & seruitoribus vitæ necessaria ministrentur, per quam tamen nulli patere possit accessus.

Septimo, quod in singulis diebus postquam conclaue intrauerint, præter panem, vinum & aquam, in prandio vnum dumtaxat ferculum carnium vnius speciei tantum, aut piscium seu ouorum, cum vno potagio de piscibus seu carnibus principaliter non confectis & decentibus salsamentis habere valeant vltra carnes salitas, & herbas crudas ac caseum, fructus seu electuaria, ex quibus tamen nullum specialiter ferculum conficiatur, nisi ad condimentum fieret, vel ad saporem. Et in istis cibis restringitur per Clementem sextum constitutio, Vbi maius, pro tribus primis diebus, quibus nulla ciborum erat limitatio, & pro sequentibus moderatur.

Octauo, quod est de mente constitutionis, Vbi maius, per Clementinam, Ne Roman. quod nullus intrare compellitur conclaue, nisi omnes recusarent, quia tunc cogendi sunt.

Nono, quod volentibus exire permittitur. Sed si omnes exirent, papa non electo, reintrare compellantur, nisi quos excusat infirmitas. Sed qui sine causa infirmitatis exiuerit,

amplius

ANNO CHRISTI 1417. amplius non admittitur, nisi omnes (vt præmittitur) exirẽt.

Decimo, quod exiens pro causa infirmitatis, ac etiam absentes, si superuenerint re integra, videlicet antequam de papa sit prouisum, admittantur in conclaui, in statu in quo erit electionis negotium.

Custodes conclauis iurent, quod præmissa omnia sine fraude & dolo inuiolabiliter faciant obseruati, neque cardinales & alios electores vltra præmissa coarctabunt, nec permittent, aut aliquatenus sinent per alios coarctari. Item quod eadem die omnes custodes, & maxime qui addentur vltra illos, quibus de iure competit, nominatim deputentur per Concilium, & iurent præmissa. Item videtur, quod si dominus rex est præsens, debeat pro suæ maiestatis reuerentia, ab eo sedente in sede sua per duos cardinales recipi iuramentum.

Nomina iurandorum.

Fridericus marchio Brandeburgensis, Guillermus comes de Hennenberg, Philippus magister Rhodi, Bronorus de la Scala dominus Veronensis miles, Ioannes Raimundi Floch comes de Cardona, Ferdinandus Petri de Ayala miles de Castella, Martinus Ferdinandi miles, Raimundus * Ayirmar miles, Bertholdus comes de Vrsinis, Guntherus comes de Schuuartzburg, Ludouicus comes Oettingen, Humbertus de Sabaudia bastardus miles, Hugo comes de Hauugheberg, Saucius miles, Stanislaus miles, ambasiatores regis Poloniæ. Quibus omnibus sic lectis, venerabilis & egregius vir dominus Petrus * Clantiger decretorum doctor, omnibus & singulis personis supradictis præsentibus & intelligentibus, alta voce capitula supradicta per eos iuranda de verbo ad verbum in Teutonico sermone ad intellectum exposuit. Quibus capitulis sic ad intellectum expositis, duo ex reuerendissimis dominis cardinalibus (prout ordinatum fuerat) ad sereniss imum principem dominum Sigismundum Romanorum regem, in sede sua regia existentem, vna cum libro euangeliorum & cruce sancta accesserunt. Ipseque dominus Sigismundus Romanorum rex, tactis cruce & euangelio prædictis, in manibus dictorum dominorum cardinalium prædicta capitula obseruare iurauit. Quo iuramento præstito, omnes & singuli prædicti singulatim ad pedes

* Aymar

* Clactiger

dicti domini præsidentis accesserunt, ibique tactis corporaliter & cruce & euangeliis, in manibus eiusdem præsidentis (vt præmittitur) dicta capitula firmiter obseruare iurauerunt. Deinde reuerendus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis, & Ludouicus de Palude abbas Treuorchiensis pro collegio cardinalium, Pandulfus protonotarius de Albiano pro Italica, Theobaldus archiepiscopus Bisuntinensis pro Gallicana, Nicolaus episcopus Mersburgensis pro Germanica, Petrus episcopus Olerensis pro Anglicana, decanus Segobiensis pro Hispanica, nationibus, pro custodia conclauis deputati, in manibus dicti præsidentis tactis cruce & euangeliis prædictis (vt præmittitur) iurauerunt. Quibus iuramentis sic (vt præmittitur) præstitis & receptis, reuerendus pater dominus Bartholomæus archiepiscopus Mediolanensis legit sequens decretum sub his verbis. ANNO CHRISTI 1417.

Decretum de electoribus Romani pontificis pro hac vice.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, exequendo eiusdem Synodi ordinationem, decretum & statutum nuper edita super modo & forma electionis hac vice Romani pontificis, ad eligendum eadem vice Romanum pontificem, adiungit reuerendissimis in Christo patribus sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, ex eorum voluntate & consensu expressis, venerabiles Ioannem patriarcham Constantinopolitanũ, Ioannem Rigensem Germanicæ, Guillermum Bituricensem Gallicanæ, Nicolaum Gneznensem Germanicæ, Bartholomæum Mediolanensem Italicæ, Iacobum Turonensem Gallicanæ, archiepiscopos; Ricardum Londonensem, Nicolaum Bathonensem Anglicanæ, Didacum Conchensem, Ioannem Pacensem Hispanicæ, Ioannem Gebennensem Gallicanæ, Franciscum * Melfitensem, Henricum Feltrensem Italicæ, Nicolaum Aquensem Hispanicæ, Simonẽ Tragurienſem Germanicæ, Ioannem Lichfeldensem, Ioannem Noruicensem Anglicanæ, episcopos, ac dilectos ecclesiæ filios Iacobum Pennensem electum Italicæ, Robertũ Cluniacensem Gallicanæ, Thomam sanctæ Mariæ Eboracensem Anglicanæ, monasteriorum abbates; Leonardum generalem ordinis prædicatorum sacræ paginæ, Italicæ; Thomam decanum

*Melficn.

ANNO CHRISTI 1417. Eboracensem sedis apostolicæ notarium, Anglicanæ, Pandulphum de Malatestis archidiaconum Bononiensem Italicæ, Vualterum Grassi priorem Rhodi decretorum, Gallicanæ; Philippum de Madalia archidiaconum, pœnitentiarium in ecclesia Barcinonensi, sacræ paginæ, Hispanicæ; Lambertum de Stipite priorem de Berckenyo, Gundisaluum Garsiæ archidiaconum de Brunesta decretorum, Vualaschum Petri vtriusque iuris, Hispanicæ; Nicolaum de Dinckelspuel, Conradum de Susato sacræ paginæ doctores, Germanicæ, nationum prædictarum in eadem Synodo existentium & nominatorum, & per easdem nationes quemlibet per se ad hoc electorum: præfatisque sic (vt præmittitur) electis & adiunctis, eligendi cum ipsis cardinalibus, de eorum voluntate & consensu expressis, Romanum & summum pontificem secundum formam ordinationis & decreti præmissorum, tribuit potestatem, supplens omnem defectum, si quis forsan in electione prædictorum adiunctorum interuenerit. Quo decreto lecto, idem dominus Bartholomæus archiepiscopns Mediolanensis continuauit sub his verbis.

Decretum de non spoliando eligendum in papatu.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, ad perpetuam rei memoriam.

Omnis ætas ab adolescentia sua prona est ad malum, ad id præsertim, ad quod cupiditatis & auaritiæ stimulis incitatur. Fiunt autem & factæ sunt leges, vt earum metu humana refrenetur audacia, tutaque sit inter improbos innocentia, & refrenetur nocendi facultas. Cum itaque nonnunquam eueniſſe comperimus, quod electo Romano pontifice, nonnulli sub prætextu cuiusdam abusiuæ licentiæ, res & bona sic electi, quasi culmine diuitiarum adepto, falso prætendentes occupanti concedi, nedum illius sic electi, imo aliquando nonnullorum, quos electos esse mendaciter confingunt, domos, res & bona illorum, nec non & aliquando bona cardinalium aut electorum Romani pontificis, & aliorum in loco conclauis existentium, etiam violenter inuadunt, recipiunt, occupant & transportant, lucrifacta existimantes, ex quibus (si permitterentur) plura pericula, scandala, rapinæ, furta, *Genes. 6.*

& nonnunquam homicidia sequerentur. Nos igitur tam sceleratæ temeritatis & audaciæ viam præcludere, & huiusmodi periculis & scandalis obuiare volentes, præfatum damnantes sceleratum abusum, talia fieri hoc edicto prohibemus; statuentes, quod quicumque, cuiuscumque status aut conditionis existat, contra hoc præsumpserit attentare, aut ad hoc auxilium, consilium vel fauorem præbere, præter pœnas quas in violētos raptores & occupatores huiusmodi, iura atque apostolicæ & imperiales constitutiones statuunt, eo ipso excommunicationis sententiam incurrat, a qua nisi per istam sanctam Synodum aut futurum Romanum pontificem, præterquam in mortis articulo & satisfactione, absolui nequeat, & omni officio, beneficio, priuilegiis, ac dignitate ecclesiastica & mundana, feudisque & rebus aliis, si quæ, aut quas in Romana vel aliis ecclesiis obtinebit, sit priuatus, & intestabilis actiue & passiue existat: ciuitas vero quæ in præmissis culpabilis fuerit, ecclesiastico subiaceat interdicto: huic adiicientes sanctioni, vt domini temporales, rectoresque & officiales ciuitatis vel loci, vbi electionem Romani pontificis contigerit celebrari, illa imminente, præmissa fieri sub grauioribus pœnis publice & realiter prohibeant, & prohibitionem diligenter faciant obseruari, ceteris constitutionibus * citra talia editis, in suo robore duraturis.

ANNO CHRISTI 1417.

* circa

Decretum annullationis protestationum, conuentionum, nec non suspensionum causarum, & audientiæ litium.

Sacrosancta generalis Synodus Constantiensis, vt purius, sincerius & liberius ad electionem Romani pontificis proxime celebrandam procedatur, omnes & singulas protestationes, quæ possunt puritati, sinceritati, libertati & efficaciæ electionis huiusmodi obuiare, nec non conuentiones, pactiones, promissiones, obligationes, iuramenta, condicta & intendimenta circa materiam electionis huiusmodi factas & facta, fiendas & fienda, ex abundanti damnat, reprobat, annullat & execratur, prout etiam de iure sunt nulla; mandans sub obtestatione diuini iudicii, & sub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes vult & statuit eo ipso incurrere, & præcipiens, ne quis (si quis forsitan talia fecerit) illis vtatur, aut illas vel illa obser-

ANNO CHRISTI 1417. uet, cum plus Deo placeant talium transgressores, quam obseruatores: illosque ab illorum, vel illarum obseruatione absoluit & liberat, ac liberos & absolutos esse declarat. Præterea vt ad tam necessarium & salubre electionis negotium attentius procedatur, audientiam & omne causarum & litium exercitium in eadem sancta Synodo & illius auctoritate constitutam & constitutum, præter audientiam curiæ cameræ apostolicæ, vsque ad assumptionem Romani pontificis inclusiue suspendit & prohibet, irritum decernens & inane, quidquid in contrarium fuerit attentatum. Quibus decretis, ac omnibus & singulis (vt præmittitur) lectis & peractis, dominus præsidens totius Concilii nomine, per verbum Placet, respondit. Deinde vero de mandato sacræ Synodi idem reuerendissimus dominus præsidens voluit habere decretum de securitate præsentis ciuitatis Constantiæ, alias statutum & ordinatum, pro lecto & repetito in eadem sessione.

Super quibus omnibus & singulis præmissis magister Henricus de Piro procurator & promotor prædictus, nomine quo supra, sibi a protonotariis, notariis atque scribis ipsius sanctæ Synodi, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, ac tot quot fuerint necessaria, fieri petiit publicum seu publica, instrumentum seu instrumenta. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Ioanne Ostiensi, Laudensi, Hispano, de Vrsinis, Bononiensi, episcopis; Venetiarum, Aquileiensi, Senensi, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, de Chalanco, Rhemensi, de Fuxo, presbyteris; de Branckasiis, de Fliſco, de Comitibus, diaconis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, & ceteris prædictis, aliisque regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuersitatum, studiorum & collegiorum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

Introitus conclauis.

Eadem die hora tertia vel quasi post meridiem, reuerendissimi, reuerendique patres & domini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarcha Constantinopolitanus, archiepiscopi, episcopi, abbates, venerabilesque domini

priores, decani, archidiaconi, doctores, ceterique electores prædicti domini communitatis ciuitatis Constantiensis domum pro conclaui paratam, pro electione Romani pontificis celebranda, more solito intrauerunt. ANNO CHRISTI 1417.

Electio papæ.

Die Iouis in festo sancti Martini episcopi, vndecima supradicti mensis Nouembris, reuerendissimi, reuerendique patres & domini sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarcha, archiepiscopi, episcopi, abbates, aliique electores prædicti in conclaui prædicto existentes, reuerendissimum in Christo patrem & dominum, dominum Odonem de Columna, sancti Georgii ad * velum aureum diaconum cardinalem, de Columna vulgariter nuncupatum, natione Romanum, concorditer in Romanum pontificem elegerunt, qui Martinus papa quintus nominari voluit. Et sic per sereniſſimum & inuictissimum principem dominum Sigismundum Romanorum regem, vna cum sancta Synodo, apud prædictam ecclesiam maiorem huius ciuitatis Constantiensis maximis cum solennitatibus & lætitia fuit inthronizatus. * velabrũ

Coronatio papæ.

Pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri, domini Martini diuina prouidentia papæ quinti anno primo, die Dominica vigesimaprima supradicti mensis Nouembris, idem sanctissimus dominus noster more solito & in coronationibus Romanorum pontificum hactenus obseruari consueto, fuit apud ecclesiam Constantiensem honorifice coronatus, & demum per dominos sacrosanctæ Romanæ ecclesiæ cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, alioſque prælatos, ambasiatores, & Romanæ curiæ officiales in sacrosancta Synodo prædicta præsentes, nec non illustrissimum principem dominum Sigismundum Romanorum regem, &c. a dextero, & illustrissimum principem dominum Fridericum marchionem Brandeburgensem, sacri Romani imperii archicamerarium & electorem, a sinistro, lateribus eiusdem domini nostri papæ per equi frenum in quo sedebat, vna cum populosa multitudine processionaliter ab eccle-

ANNO CHRISTI 1417. sia Constantiensi prædicta vsque ad monasterium sancti Augustini conductus, & per circuitum ad Constantiensem ecclesiam prædictam fuit solennissime reductus.

SESSIO XLII.

ANNO Domini millesimo quadringentesimo decimoseptimo, indictione vndecima, die vero Martis vigesimaoctaua mensis Decembris, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini, domini Martini diuina prouidentia papæ quinti anno primo, fuit sessio generalis in ecclesia maiori Constantiæ, sanctissimo domino nostro papa prædicto personaliter præsente ibidem & præsidente. In qua reuerendissimus pater dominus Antonius episcopus Concordiensis Missam de sanctis Innocentibus deuote celebrauit. Qua celebrata, reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, de mandato sanctissimi domini nostri ac sanctæ Synodi prædictorum, in ambone solito stans, quamdam bullam infra scripti tenoris publice legit.

Bulla liberationis factæ domino imperatori de custodia olim Joannis vigesimitertii papæ, & traditione domino nostro papæ factis.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei, carissimo in Christo filio Sigismundo regi Romanorum illustri, salutem & apostolicam benedictionem.

Dudum præsens sacrum generale Concilium Constantiense personam Baltassaris Cossa, olim Ioannis papæ vigesimitertii in sua obedientia nuncupati, post illius a papatu per definitiuam sententiam eiusdem Concilii canonicam depositionem, per eamdem sententiam ad standum & morandum in aliquo bono & honesto loco sub custodia tuta nomine dicti sacri Concilii, quamdiu eidem sacro Concilio pro bono vnionis ecclesiæ Dei videretur, condemnauit: quem hucusque fideliter & diligenter tam per te, quam per dilectum filium nobilem virum Ludouicum ducem Bauariæ & comitem Palatinum Rheni, tuo nomine sub fide & tuta custodia, honeste & debite, tamquam vnionis & pacis zelator deuotus conseruasti.

Cum autem nuper nos & nonnullos nationum in eo-

dem Concilio existentium deputatos, instanter & sæpe requisiueris, quatenus personam dicti Baltassaris prædictam de tua custodia recipere, teque & eumdem ducem de eiusdem Baltassaris prædicta custodia liberare & exonerare vellemus. Nos attendentes, quantis laboribus & studiis pacem & vnionem ecclesiæ omnipotentis Dei nostri fueris prosecutus, satisque esse, quod tu onus dictæ custodiæ iam per biennium & pene per sex menses laboriose (quod pro magno habemus beneficio) subiisti, volentes te ac eumdem ducem (vt iustum est) ab omni onere liberare, (eodem sacro approbante Concilio) decernimus & ordinamus, personam eamdem dicti Baltassaris nobis, aut deputandis a nobis fore tradendam & assignandam, decernentes & declarantes, ac volentes (eodem sacro approbante Concilio) per traditionem & assignationem huiusmodi deputandis a nobis, per te aut dictum ducem, vel alium seu alios tuo nomine faciendam, eo ipso quod illas fieri continget, te & ducem eumdem ab omni onere, debito & obligatione dictæ custodiæ, & alias occasione illius contractis apud nos & idem sacrum Concilium ac ecclesiam vniuersalem, esse ac perpetuo remanere liberos, solutos penitus & immunes. Si quis autem hanc paginam decreti, ordinationis, declarationis & voluntatis nostræ infringere præsumpserit, aut ei ausu temerario contraire, indignationem omnipotentis Dei & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius se nouerit incursurum. ANNO CHRISTI 1417.

Datum Constantiæ in Concilio generali, * sexto Kalendas Ianuarii, pontificatus nostri anno primo. * quinto

Quo decreto lecto, dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, totius Synodi nomine per verbum Placet, respondit.

Super quibus omnibus & singulis egregius legum doctor dominus Augustinus de Pisis, sacri consistorii & fisci domini domini nostri papæ aduocatus; nec non magister Ioannes de Scribanis & Henricus de Piro promotores & procuratores dicti sacri Concilii, nominibus quibus supra, sibi a protonotariis, notariis atque scribis dicti domini nostri papæ & sacri Concilii, ad futuram rei memoriam, vnum vel plura, seu tot quot essent necessaria, fieri petierunt,

ANNO CHRISTI 1418. tierunt, & quilibet ipsorum petiit instrumentum publicum, seu publica instrumenta. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis dominis Ioanne Ostiensi, Laudensi, de Vrsinis, Venetiarum, Pisano, Veronensi, Cameracensi, Tricaricensi, Placentino, de Chalanco, de Fuxo, de Comitibus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus; nec non regum, principum, prælatorum, nobilium, vniuersitatum, studiorum, communitatum & collegiorum ambasiatoribus & nuntiis, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XLIII.

ANNO Domini millesimo quadringentesimo decimooctauo, indictione duodecima, die vero Lunæ vigesimaprima mensis Martii, pontificatus sanctissimi in Christo patris & domini nostri Martini diuina prouidentia papæ quinti anno primo, Constantiæ in ecclesia maiori fuit tenta & celebrata ipsius sacrosanctæ & vniuersalis Synodi Constantiensis sessio publica, sanctissimo domino nostro papa prædicto præsidente. Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Guillermus tituli sancti Marci sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis Missam de Spiritu sancto celebrauit. Et iuxta ritum solitum litaniis & aliis deuotis orationibus lectis, idem reuerendissimus pater dominus Guillermus cardinalis nonnulla decreta, siue statuta per dominum nostrum papam ac Synodum eosdem facta, publice perlegit sub his verbis.

De exemptionibus.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei.

Attendentes, quod a tempore obitus felicis recordationis Gregorii papæ vndecimi prædecessoris nostri, nonnulli Romani pontifices, aut pro Romanis pontificibus se gerentes, & in suis diuersis obedientiis reputati, pro sua voluntate, aut per importunitatem petentium nonnullas ecclesias, monasteria, capitula, conuentus, prioratus, beneficia, loca & personas a iurisdictionibus ordinariorum tempore dicti Gregorii nullatenus exemptos, vel exempta, de nouo a dictorum ordinariorum iurisdi-

ctionibus exemerunt, in graue ipsorum ordinariorum præ- ANNO CHRISTI 1418.
iudicium : nos volentes huiusmodi præiudicio obuiare, omnes exemptiones ecclesiarum cathedralium, monasteriorum, capitulorum, conuentuum, prioratuum, beneficiorum, locorum, personarum quarumcumque, etiam si ex prædictis aliquod monasterium fuerit exemptum, & postea subiectum monasterio diuersi habitus vel coloris, a tempore obitus dicti Gregorii vndecimi per quoscumque pro Romanis pontificibus se gerentes, etiam si per nos forsan approbatæ fuerint ex certa scientia, vel innouata parte non vocata de nouo factas, quæ tamen ante exemptionem huiusmodi nulla exemptione gaudebant, sed simpliciter subiiciebantur ordinariæ iurisdictioni, nullumque ante illud tempus habuerunt initium, exceptis etiam exemptionibus, quæ vni toti ordini & quæ ecclesiis, monasteriis, capitulis, conuentibus, beneficiis siue locis, a prædicto tempore sub modo exemptionis aut conditione fundatis, aut contemplatione nouæ fundationis, seu vniuersitatibus studiorum generalium, aut collegiis scholarium, aut per modum confirmationis, augmenti aut additionis factæ fuerint, aut concessæ, aut super quibus præsentibus & auditis (quorum intererat) auctoritate competente ordinatum fuerit, seu in quibus ordinarii consenserint, & omnes exemptiones perpetuas per inferiores a papa factas, sacro approbante Concilio reuocamus, etiam si super ipsis lis pendeat indecisa, ipsam penitus extinguentes, ecclesias, monasteria, & alia loca prædicta in pristinam ordinariorum iurisdictionem reducimus. Ceteris autem exemptionibus ante obitum dicti Gregorii habitis vel concessis, nullum volumus per hoc præiudicium generari. Insuper non intendimus exemptiones de cetero facere, nisi causa cognita, & vocatis quorum interest.

De vnionibus.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei.

Vniones & incorporationes a tempore obitus Gregorii vndecimi factas seu concessas, cum certa regula dari non possit ad querelas eorum, quorum interest, nisi fuerint impetrantes beneficia sic vnita, si non ex rationabilibus causis & veris factæ fuerint, licet apostolicæ

ANNO CHRISTI 1418. sedis auctoritas interuenerit, reuocabimus iustitia mediante.

De fructibus percipiendis.

Martinus, &c.

Fructus & prouentus ecclesiarum, monasteriorum, beneficiorum, vacationis tempore obuenientes, iuris & consuetudinis vel priuilegii dispositioni relinquimus, illosque nobis vel apostolicæ cameræ prohibemus applicari.

De simonia.

Martinus, &c.

Multæ contra simoniacam prauitatem abolim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter extirpari. Nos volentes de cetero (vt possumus) attentius prouidere, sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati simoniace ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi. Electiones autem, postulationes, confirmationes, & quæuis prouisiones simoniacæ ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personarum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ sint ipso iure, nullumque per illas ius cuiquam acquiratur, nec promoti, confirmati, aut prouisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tamquam inique ablata percipientes, teneantur. Statuentes insuper, quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiam si pontificali aut cardinalatus præfulgeant dignitate.

De dispensationibus.

Martinus, &c.

Quoniam beneficia propter officia conceduntur, reputamus absurdum, vt qui beneficia obtinent, recusent aut negligant officium exercere. Nos igitur, sacro approbante Concilio, omnes dispensationes a quibuscumque pro Romanis pontificibus se gerentibus concessas quibuscumque electis, confirmatis, seu prouisis ad ecclesias, monasteria, prioratus conuentuales, decanatus, archidiaconatus, & alia quæcumque beneficia, quibus certus ordo debitus est vel annexus, ne munus consecra-

tionis episcopi, siue benedictionem abbatis, aut ceteros debitos aut annexos ordines suscipiant, præter illas quæ secundum formam constitutionis Bonifacii octaui, quæ incipit, Cum ex eo factæ sunt, reuocamus: statuentes, vt qui de præsenti illos vel illa obtinent, infra sex menses a die publicationis huiusmodi constitutionis nostræ, & qui in posterum obtinebunt, infra terminum iuris se faciant consecrari, aut benedici, seu ad alium debitum ordinem promoueri. Alioquin sint ipsis monasteriis, ecclesiis, dignitatibus, personatibus, officiis & beneficiis pro ipso iure priuati, & aliis libere conferantur, aut prouideatur de illis, ceteris constitutionibus circa hoc editis in suo robore duraturis. ANNO CHRISTI 1418.

De decimis & aliis oneribus ecclesiasticis.

Martinus, &c.

Præcipimus & mandamus, iura quæ prohibent inferioribus a papa decimas & alia onera ecclesiis & personis ecclesiasticis imponi, districtius obseruari. Per nos autem nullatenus imponantur generaliter super totum clerum, nisi ex magna & ardua causa & vtilitate, vniuersalem ecclesiam concernente, & de consilio & consensu & subscriptione fratrum nostrorum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium & prælatorum, quorum consilium commode haberi poterit. Nec specialiter in aliquo regno vel prouincia, inconsultis prælatis ipsius regni vel prouinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum maiori parte, & eo casu per personas ecclesiasticas & auctoritate apostolica dumtaxat leuentur.

De vita & honestate clericorum.

Martinus, &c.

Inter ceteros prælatorum & clericorum excessus hoc maxime inoleuit, quod spreta in vestibus forma ecclesiasticæ honestatis, plurimi delectantur esse deformes, & cupiunt laicis conformari, quodque mente gerunt, habitu confitentur. Vnde præter cetera quæ circa vestes, tonsuram & habitus clericorum, tam in formis quam in coloribus, atque comam seu capillos, vitamque & honestatem clericorum iura statuunt, & quæ nimium collapsa

ANNO CHRISTI 1418. sunt tam in sæcularibus quam in regularibus, sacro approbante Concilio innouamus, & præcipimus diligentius obseruari. Illum specialiter abusum (eodem approbante Concilio) decernimus penitus abolendum, quod in quibusdam partibus nonnulli clerici & personæ ecclesiasticæ sæculares & regulares, etiam (quod magis execramur) prælati ecclesiarum, manicas ad cubitum pendentes, & longas cum magna sumptuosa superfluitate vestes, etiam fissas retro & in lateribus cum fodraturis vltra oram excedentibus etiam in fissuris deferunt, & cum talibus in ecclesiis cum superpelliciis ac aliis vestibus ad cultum & officium ecclesiasticum ordinatis, etiam intra ecclesias ipsas, in quibus beneficiati existunt, non verentur diuinis officiis interesse. Hanc vestium deformitatem in quibuscumque personis ecclesiasticis reprobamus, ac vsum talium inhibemus: contrarium autem facientes, vt transgressores Canonum puniantur: specialiter statuentes, vt quicumque beneficiatus, aut officium in ecclesia gerens, in habitu huiusmodi diuinis officiis præsumpserit interesse, pro qualibet vice a participatione prouentuum ecclesiasticorum per mensem nouerit se suspensum, fructusque illi fabricæ illius ecclesiæ applicentur.

Martinus, &c.

Decernimus & declaramus, sacro approbante Concilio, per decreta, statuta & ordinata, tam lecta in præsenti sessione, quam concordata cum singulis nationibus eiusdem Concilii, & quæ in nostra cancellaria poni volumus, & literas in forma publica sub sigillo vicecancellarii volentibus literas confici, atque tradi huic sacro Concilio, super articulis contentis in decreto super reformatione fienda, die Sabbati trigesima mensis Octobris proxime præteriti promulgata, fuisse & esse iam satisfactum. Quibus decretis ac statutis sic (vt præmittitur) lectis, reuerendissimus pater dominus Ioannes episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, de voluntate nationum ac ipsius Synodi, & eorum nominibus (vt asseruit) respondit in hunc modum: De mandato nationum respondeo, quod placent nationibus decreta recitata, & cuilibet nationi placet concordia cum ipsa per dominum nostrum facta, & per præmissa fatentur dicto de-

creto iam esse satisfactum, non intendentes propterea, quod concordata cum vna natione, in aliquo alteri nationi afferant præiudicium. ANNO CHRISTI 1418.

Super quibus omnibus & singulis præmissis, & eorum quolibet, magister Ioannes de Scribanis promotor & procurator sacræ Synodi prædictæ, & fiscalis cameræ apostolicæ, petiit sibi tam domini nostri papæ quam Synodi prædictorum nominibus a protonotariis, notariis, atque scribis eiusdem Synodi fieri vnum vel plura, publicum seu publica instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem reuerendissimis in Christo patribus & dominis, dominis Angelo Laudensi, Petro Hispano, episcopis, Antonio Bononiensi, Francisco Venetiarum, Antonio Aquileiensi, Branda Placentino, Antonio de Chalanco, Thoma Tricaricensi, Petro de Fuxo, presbyteris, Ludouico de Flisco, Raynaldo de Branckasiis, & Lucido de Comitibus, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus, nec non dominorum regum, principum & vniuersitatum ambasiatoribus, aliisque Christi fidelibus in multitudine copiosa.

SESSIO XLIV.

ANNO, indictione & pontificatu quibus supra, die tertio Martis decimanona mensis Aprilis, Constantiæ in ipsius ecclesia maiori, sanctissimo domino nostro papa Martino præsidente, more solito publica sessio solenniter celebrata fuit, serenissimo principe domino Sigismundo Romanorum, &c. rege, insigniis regalibus induto interessente: pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Nicolaus Assisinatensis Missam de Spiritu sancto celebrauit. Et huiusmodi Missa finita, lectisque litaniis, & aliis orationibus legi consuetis, debite peractis, reuerendissimus pater dominus Antonius sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, de Chalanco vulgariter nuncupatus, quoddam decretum siue statutum alta voce legit in hæc verba.

Decretum de loco futuri Concilii proxime celebrandi.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei, ad futuram rei memoriam.

Cupientes ac volentes decreto huius generalis Concilii

ANNO CHRISTI 1418. satisfacere, inter alia disponenti, quod omnimodo generalia Concilia celebrentur in loco quem summus pontifex per mensem ante finem huius Concilii, approbante & consentiente Concilio, deputare & designare teneatur pro loco dicti proxime futuri Concilii celebrandi supradicti, eodem consentiente & approbante Concilio, ciuitatem Papiensem tenore præsentium deputamus & etiam assignamus, statuentes & etiam decernentes, quod prælati, & etiam alii qui ad generalia Concilia debent conuocari, tempore prædicto ciuitatem ipsam Papiensem accedere teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ deputationis & etiam assignationis statuti, decreti & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ decimotertio Kalendas Maii, pontificatus nostri anno primo. Quo decreto lecto, dominus episcopus Ostiensis cardinalis Viuariensis, nomine totius Synodi respondit, Placet. Et subsequenter dominus Ardecinus de Nouaria, ex parte sereniſſimi principis Sigismundi Romanorum regis ibidem præsentis, & eius nomine, idem decretum approbauit & laudauit. Et subsequenter dominus Augustinus de Lante de Pisis legum doctor, sacri consistorii aduocatus, nomine domini nostri papæ dictum locum siue ciuitatem Papiensem approbauit, laudauit, & ad Concilium huiusmodi celebrandum habilem esse dixit.

Super quibus omnibus & singulis præmissis, domini Ardecinus & Augustinus præfati nominibus quibus supra, nec non magister Ioannes de Scribanis promotor & procurator sacri Concilii prædicti, & eius nomine a protonotariis, notariis atque scribis domini domini nostri papæ, & ipsius sanctæ Synodi, vnum vel plura fieri & confici petierunt, & quilibet eorum petiit publica instrumenta, ad perpetuam rei memoriam. Præsentibus ibidem reuerendissimis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus Ioanne Ostiensi, Laudensi, Hispano, Bononiensi, Aquileiensi, Senensi, Veronensi, Tricaricensi, de Fuxo, de Comitibus, & Venetiarum, iuniore Ioanne Constantinopolitano, Io-

anne Antiocheno patriarcha, ac regum, principum, prælatorum, nobilium, communitatum, vniuersitatum, studiorum & collegiorum ambasiatoribus, ac aliis Christi fidelibus in multitudine copiosa. ANNO CHRISTI 1418.

SESSIO XLV. ET VLTIMA.

De dissolutione Concilii.

VENERIS die vigesimasecunda mensis supradicti Aprilis fuit celebrata sessio generalis in maiori ecclesia Constantiensi, sanctissimo in Christo patre & domino, domino nostro Martino diuina prouidentia papa quinto in eadem præsidente, sereniſſimo principe domino Sigismundo Romanorum, &c. rege, insigniis imperialibus induto interessente. Pro cuius sessionis introductione reuerendissimus pater dominus Antonius tituli sanctæ Susannæ sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis Aquileiensis vulgariter nuncupatus, Missam de Spiritu sancto deuotissime celebrauit. Qua finita, & litaniis cum solitis orationibus finitis & peractis, reuerendissimus pater dominus Vmbaldus miseratione diuina tituli sancti Viti in macello diaconus cardinalis, de mandato ipsius domini nostri totiusque sacri Concilii, prout asseruit, alta & intelligibili voce pronuntiauit hæc verba, videlicet.

Absolutio Concilii.

Domini, ite in pace. Et responsum fuit per adstantes: Amen. Quo facto, reuerendus pater Ioannes de * Podimitis episcopus Catanensis, frater ordinis Prædicatorum, sacræ theologiæ professor, de mandato domini nostri papæ, & consensu sacri Concilii (vt asseruit) ambonem ascendit. Antequam autem ad talia se diuerteret, seu procederet, ambasiatores sereniſſimi principis Vladislai Poloniæ regis, & illustrissimi principis domini Alexandri, alias Vuitoldi magni ducis Lituaniæ, petierunt nomine dictorum dominorum quemdam libellum, & in eo contenta cuiusdam fratris Ioannis Falkemberg, notorie crudeliſſimos errores & hæreses (vt dixerunt) continentem, rite damnatum tamquam hæreticum per deputatos in causa fidei, ac etiam per omnes nationes Concilii, ac per collegium cardinalium concluſum (prout dixerunt) constare publicis instrumentis, in sessione publica per sacrum Conci- *Podyomitis

ANNO CHRISTI 1418. Concilium damnari, seu publice damnatum pronuntiari, antequam præsens Concilium dissolueretur, sanctissimo domino nostro papæ præfato humiliter supplicarunt: alioquin nomine quo supra protestabantur de grauamine & de appellando ad futurum Concilium. Quibus sic factis, sanctissimus dominus noster papa dixit respondendo ad prædicta, quod omnia & singula determinata, conclusa & decreta in materiis fidei per præsens Concilium, conciliariter tenere & inuiolabiliter obseruare volebat, & nunquam contraire quoquo modo. Ipsaque sic conciliariter facta approbat & ratificat, & non aliter, nec alio modo. Et illud idem iterato fecit dici per organum domini Augustini de Pisis fiscalis & sacri consistorii aduocati prædicti, qui nomine papæ a protonotariis & notariis ad scribendum acta Concilii ordinatis & deputatis petiit instrumenta publica fieri. Et extunc prælibatus dominus episcopus Catanensis fecit collationem solennem, assumendo pro themate hæc verba, videlicet: *Vos nunc tristitiam habetis: iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum.* Qua quidem facta collatione, reuerendissimus pater dominus Antonius tituli sanctæ Cæciliæ, sanctæ Romanæ ecclesiæ presbyter cardinalis, de Chalanco vulgariter nuncupatus, de mandato ipsius domini nostri papæ & voluntate Concilii (vt asseruit) quædam decreta publice legit huius tenoris. Ioan. 16.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Hoc etiam requirente præsente sacro Concilio, ex certis & rationabilibus ac iustis causis ipsum Concilium absoluimus, omnibusque & singulis in eo existentibus ad propria remeandi, ipso approbante Concilio, licentiam impartimur. Item auctoritate Dei omnipotentis & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, & nostra, concedimus omnibus & singulis, qui in hoc sacro Concilio & causa ipsius interfuerunt, absolutionem plenariam semel in vita, ita quod quilibet de prædictis infra duos menses postquam ad eius notitiam concessio huiusmodi peruenerit, possit dictum beneficium absolutionis assequi in forma: similem concessionem facimus in mortis articulo. Et intelligimus

tam de dominis, quam de familiaribus eorumdem: sic tamen, quod a die notitiæ præsentium pro absolutione in vita ieiunent per annum sexta feria, & pro absolutione in mortis articulo per alium annum, nisi legitime fuerint impediti, quo casu habeant alia pietatis opera peragere. Post secundum vero annum debeant etiam vsque ad finem vitæ feria sexta ieiunare, vel aliqua opera pietatis peragere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli apostolorum eius, se nouerit incursurum. ANNO CHRISTI 1418.

Datum & actum Constantiæ in loco sessionis publicæ dicti Concilii, decimo Kalendas Iunii, pontificatus nostri anno primo. Quibus decretis & statutis, & aliis (vt præmittitur) lectis & peractis, reuerendissimus in Christo pater & dominus, dominus Ioannes miseratione diuina episcopus Ostiensis, sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalis & vicecancellarius, Viuariensis vulgariter nuncupatus, nomine sacri Concilii prædicti (sicut asseruit) respondit, Placet. Et per dominum Augustinum de Lante de Pisis, aduocatum sacri consistorii, fiscique, & prædicti nomine papæ & Concilii (vt asseruit) petitum est instrumenta publica fieri ad perpetuam rei memoriam a protonotariis sedis apostolicæ, notariis ac scribis dicti sacri generalis Concilii.

ERRORES IOANNIS VVICLEFF de Anglia, & Ioannis Hus de Bohemia, damnati in hoc sacro generali Constantiensi Concilio.

Martinus episcopus seruus seruorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis & episcopis, ac inquisitoribus hæreticæ prauitatis vbilibet constitutis, ad quos literæ præsentes peruenerint, salutem & apostolicam benedictionem.

Inter cunctas pastoralis curæ solicitudines, quibus premimur incessanter, illa potissime fortius nos angit, vt hæreticis de finibus Christicolarum expulsis, suisque falsis doctrinis & erroribus peruersis penitus, quantum nobis ex alto conceditur, extirpatis, orthodoxa & catholica fides integra & illibata permaneat, ac populus Christianus in

ANNO CHRISTI 1418. eiusdem fidei sinceritate, quolibet obscurationis semoto velamine, immobilis & inuiolatus persistat. Sane dudum plus quam omnibus retroactis temporibus in nonnullis regionibus & dominiis, præsertim in regno Bohemiæ & marchionatu Morauiæ, ac locis & districtibus illis vicinis, aduersus fidei catholicæ dogmata, & sanctæ matris ecclesiæ traditiones, non solum contra vnum, quinimo contra plura fidei catholicæ dogmata insurrexerunt quidam hæresiarchæ, circumcelliones, schismatici & seditiosi, Luciferina superbia & rabie lupina euecti, dæmoniorum fraudibus illusi, de vanitate in idipsum (licet forent de diuersis mundi partibus oriundi) conuenientes, & caudas colligatas habentes, damnatæ videlicet memoriæ Ioannes Vuicleff de Anglia, Ioannes Hus de Bohemia, & Hieronymus de Praga, qui vtinam alios secum ad infidelitatis interitum non traxissent. Nam vbi huiusmodi pestilentes personæ peruersa dogmata pertinaciter seminabant, in suæ doctrinæ pestiferæ primordio prælati & alii iudiciariæ potestatis regimina exercentes, tamquam canes muti non valentes latrare, nec vlciscentes cum Apostolo in promptu omnem inobedientiam, hæresiarchas ipsos pestiferos & dolosos, eorum lupinam rabiem truculentam statim (vt adstricti fuerant) canonice coercere, eosque de domo Domini corporaliter eiicere non curarunt, sed sacrilegam, falsam & pernicioſam ipsorum doctrinam per longas moras negligenter conualere permiserunt: populorum multitudo, illorum opinionibus falsis decepta, pro veris accepit, quæ diu mendaciter & pernicioſe ac damnabiliter seminauerunt, eisque credendo, a recta fide cecidit turba multa, & errore deuio inuoluitur, proh dolor, paganorum, adeo quod per diuersa illarum, eisdemque conuicinarum partium climata, oues Christi catholicas hæresiarchæ ipsi successiue infecerunt, & in stercore mendaciorum fecerunt putrescere. Quapropter generalis Constantiensis Synodus tantam fidelium & fidei orthodoxæ plagam & ruinã videns, exclamare compulsa est cum Augustino: Quid faciet ecclesiæ medicina, salutem omnium materna caritate conquirens, tamquam inter phreneticos & lethargicos æstuans? numquid contemnere, numquid desistere vel debet vel potest?

2. Cor. 10.

Epist. 167. ad Faust.

certe non, ſecundum eumdem; imo vtriſque ſit neceſſe eſt moleſta, quæ neutris eſt inimica. Nam & moleſtus eſt medicus furenti phrenetico, & pater indiſciplinato filio: ille ligando, iſte cædendo; ſed ambo diligendo. Si autem negligant, & eos perire permittant, (inquit Auguſtinus) iſta manſuetudo potius falſa crudelitas eſt. Proinde Synodus præfata ad omnipotentis Dei gloriã, ipſiuſque catholicæ fidei ac Chriſtianæ religionis conſeruationem, augmentum, & animarum ſalutem & præſeruationẽ, eoſdem Ioannem Vuicleff, & Ioannem Hus, & Hieronymum, qui inter cetera de ſacro euchariſtiæ ſacramento, & aliis ſacramentis eccleſiæ & articulis fidei aliter quam ſancta Romana eccleſia credit, & tenet, & prædicat, & docet, quamplurima temere & damnabiliter credere ac tenere, prædicare atque docere pertinaciter attentabant, velut hæreticos & pertinaces ac obſtinatos iam a cõmunione fidelium ſeparatos, de domo Dei corporaliter eiecit, & ſpiritualiter eiectos declarauit, & alia nonnulla circa præmiſſa vtilia & ſalubria ſtatuit & decreuit, per quæ alii qui cauſantibus hæreſiarchis, eorumque falſis doctrinis huiuſmodi ſpiritualiter de domo Dei exierunt, per vias canonicas reducerentur ad ſemitas veritatis. Et quia (ſicut dolenter accepimus) non ſolum in regno Bohemiæ & marchionatus, dominiis & locis ſupradictis, verum etiam in quibuſdam partibus & prouinciis contiguis, ſeu vicinis eiſdem, etiam nonnulli ex ſectatoribus & ſequacibus hæreſum ac errorum hæreſiarcharum prædictorum, timore diuino & pudore humano prorſus abiectis, nec de ipſorum, & præſertim Ioannis Hus & Hieronymi interitu miſerabili ſumentes conuerſionis & pœnitentiæ fructum, ſed tamquam in profundum preſſi peccatorum, Dominum Deum blaſphemare non ceſſant, ducentes in irritum nomen eius, quorum mentes pater mendacii ſic damnabiliter excæcauit, vt prædictos libros, codices & opuſcula, hæreſes & errores continentes ſeu continentia, dudum etiam per Synodum præfatã damnatos & damnata, ac ignibus concremanda deputata & concremata, legunt, ſtudent, ac ex eis in ſui & multorum ſimplicium periculum, nedum contra ſtatuta, decreta & ordinata in Synodo ſupradicta, ſed etiam contra canonicas ſanctiones dogmatizare præſumunt, in animarum

Anno Christi 1418.

Epiſt. 50. ad Bonif.

Ioan. 8.

ANNO CHRISTI 1418. periculum, ac puritatis fidei denigrationem & scandalum plurimorum. Nos igitur attendentes, quod error cui non resistitur, approbari videtur, ac malis & pernicioſis erroribus huiusmodi resistere, ac eos de medio Christi fidelium, & præsertim de supradictis Bohemiæ & Moraviæ dominiis & districtibus ac confinibus & viciniis eorum, ne amplius & latius se extendant, funditus euellere cupientes, discretioni vestræ, sacro approbante Concilio Constantiensi, per apostolica scripta committimus & mandamus, quatenus vos archiepiscopi & episcopi ac electi, & quilibet vestrum per se, seu alium vel alios, quos graues & idoneas personas spiritualem iurisdictionem habentes esse volumus, omnes & singulos cuiuscumque dignitatis, officii, præeminentiæ, status vel conditionis existant, & quibuscumque nominibus censeantur, qui de præexcelso, salutifero & supermirabili sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, vel de baptismate, seu peccatorum confessione, pœnitentiæ pro peccatis iniunctione, vel reliquis ecclesiasticis sacramentis, seu fidei articulis, aliter sentire aut docere, quam sacrosancta Romana ecclesia & vniuersalis docet, prædicat & obseruat, aut articulos seu libros & doctrinas præfatorum hæresiarcharum Ioannis Vuicleff & Ioannis Hus, & Hieronymi, per eamdem Constantiensem Synodum cum suis auctoribus (vt prædicitur) damnatos & damnatas, tenere, credere & dogmatizare, ac vitæ finem ipsorum hæresiarcharum publice vel occulte pertinaciter quomodolibet laudare vel approbare præsumpserint, eorumque receptatores, defensores & fautores quoslibet etiam contemplatione prædictorum errorum, nec non credentes & adhærentes eisdem, tamquam hæreticos iudicetis, & velut hæreticos sæculari curiæ relinquatis. Receptatores quoque, fautores & defensores huiusmodi pestiferarum personarum, quæ erroribus ipsis crediderint, nec fauore aut contemplatione errorum ipsorum, sed forte carnalis amoris causa, vel occasione alia huiusmodi personas pestiferas receptauerint, præter pœnas ab vtroque iure talibus inflictas, per iudices competentes tanta seueritate pœnarum in tam enormi scelere vltionem accipiant, quod cedat ceteris grassantibus in exemplum, vt quos Dei ti-

mor a malo non reuocat, ſaltem coerceat ſeueritas diſciplinæ. Cum reliquis vero huiuſmodi ſecta damnabili quomodolibet infectis, qui poſt competentem monitionem ac frequentem exhortationem, qua pie erga eos, ſpe correctionis & emendationis, ac ad melioris vitæ frugem conuerſionis, vſum eſt, a prædictis erroribus & ſecta noluerint reſipiſcere, & ad gremium vnitatemque ſanctæ matris eccleſiæ, ac fidem catholicam, quæ ſola ſaluare poteſt, ſine qua nulli veræ ſalutis ſubſidium contingit, plene recognoſcere & confiteri, iuſtitiæ ſeueritas (prout facti poſcerit qualitas) dulcore miſericordiæ temperetur. Et nihilo minus omnes Chriſtianæ & catholicæ fidei profeſſores, imperatorem, reges, duces, principes, marchiones, comites, barones, milites, poteſtates, rectores, conſules, proconſules, ſcabinos, communitates & vniuerſitates regnorum, prouinciarum, ciuitatum, oppidorum, caſtrorum, villarum, terrarum, aliorumque locorum huiuſmodi, nec non ceteros iuriſdictionem temporalem exercentes, iuxta iuris formam & exigentiam auctoritate apoſtolica exhortando moneatis & requiratis, vt de regnis, prouinciis, ciuitatibus, oppidis, caſtris, villis, terris & omnibus aliis locis ac dominiis ſupradictis, omnes & ſingulos hæreticos huiuſmodi, ſecundum tenorem Lateranenſis Concilii, quod incipit, Sicut ait, ad inſtar etiam irretitorum crimine vſurarum, quos publice vel manifeſte per facti euidentiam cognouerint eſſe tales, tamquam oues morbidas gregem Domini inficientes expellant, donec & quouſque a nobis, ſeu vobis, vel aliis iudicibus eccleſiaſticis, vel inquiſitoribus, fidem & communionem Romanæ eccleſiæ tenentibus, aliud recipiant in mandatis; nec eoſdem in ſuis diſtrictibus prædicare, domicilia tenere, larem fouere, contractus inire, negotiationes & mercantias quaſlibet exercere, aut humanitatis ſolatia cum Chriſti fidelibus habere permittant. Et ſi tales hæretici publici ac manifeſti, licet nondum per eccleſiam declarati, in hoc tam graui crimine deceſſerint, eccleſiaſtica careant ſepultura, nec oblationes fiant aut recipiantur pro eiſdem: bona tamen ipſorum a tempore commiſſi criminis ſecundum canonicas ſanctiones confiſcata non occupentur per illos, ad quos alias pertinerent, donec per huiuſmodi iudi-

ANNO CHRISTI 1418.

Hebr. 11.

Lateranen. Concil. ſub Alexan. III. cap. 27.

ANNO CHRISTI 1418. ces ecclesiasticos super hoc potestatem habentes sententia declaratoria super ipso hæresis crimine fuerit promulgata. Qui autem de hæresi per iudicem competentem ecclesiasticum inuenti fuerint sola suspicione notati seu suspecti, nisi iuxta considerationem & exigentiam suspicionis, qualitatemque personæ, ad arbitrium iudicis huiusmodi propriam innocentiam congrua deuotione monstrauerint, in purgatione eis canonice indicta deficientes, & se canonice purgare non valentes, aut pro huiusmodi purgatione facienda, obstinatione damnabili iurare renuentes, tamquam hæretici condemnentur. Qui vero dictam innocentiam monstrare ex quadam negligentia seu desidia, & purgationem huiusmodi facere omiserint, anathematis gladio feriantur, & vsque ad satisfactionem condignam ab omnibus euitentur; ita quod si per annum in excommunicatione huiusmodi perstiterint, extunc velut hæretici condemnentur. Si quis vero super aliquo sæpe dictæ pestiferæ doctrinæ hæresiarcharum prædictorum, vel aliquibus articulis dumtaxat scandalosis, temerariis, seditiosis, vel piarum aurium offensiuis, culpabilis repertus fuerit, canonice puniatur. Si vero propter solam infamiam aut suspicionem dictorum articulorum, vel alicuius ipsorum, quis repertus fuerit suspectus, & in purgatione canonica propter hoc sibi indicta deficeret, pro conuicto habeatur, & tamquam canonice conuictus puniatur. Et insuper felicis recordationis Bonifacii papæ octaui prædecessoris nostri, quæ incipit, Vt inquisitionis negotium, renouantes, & etiam exequentes, vniuersas potestates & dominos temporales & iudices antedictos, quibuscumque dignitatibus vel officiis seu nominibus censeantur, exhortando requirimus, & mandamus eisdem, vt sicut reputari cupiunt & haberi fideles, ac filii ecclesiæ nuncupari, & in Christi nomine gloriari, ita pro defensione fidei vobis archiepiscopis, episcopis & electis, ac inquisitoribus hæreticæ prauitatis, & aliis iudicibus seu personis ecclesiasticis per vos ad hoc (vt præmittitur) deputandis, fidem & communionem sanctæ matris ecclesiæ tenentibus, pareant & intendant, præbeantque auxilium & fauorem in hæreticorum, nec non credentium, fautorum, receptatorum & defensorum ipsorum

inuestigatione, captione, custodia diligenti, cum ab eis- ANNO CHRISTI 1418.
dem fuerint requisiti, vt præfatas personas pestiferas alios
secum perdere molientes, in potestatem seu carcerem per
vos archiepiscopos, episcopos, electos & inquisitores
prædictos aut deputandos a vobis, vel ad locum de quo
vos vel ipsi mandabitis, infra eorumdem dominorum po-
testatem, rectorum, seu iudicum districtum ducant, vel du-
ci faciant sine mora, vbi per viros catholicos a vobis archi-
episcopis vel episcopis, electis seu inquisitoribus, seu de-
putandis personis huiusmodi, vel vestrum aliquo deputa-
to, sub* exacta & diligenti custodia, ne fugiant, ponendo *arcta
eos, etiam compedibus & manicis ferreis teneant, donec
eorum negotium per ecclesiæ iudicium terminetur: &
quod de hæresi a iudice ecclesiastico competenti, qui fi-
dem & communionem dictæ sanctæ Romanæ ecclesiæ te-
neat, condemnentur, præfati domini temporales, seu re-
ctores, iudices, vel eorum officiales, seu nuntii, sibi reli-
ctos recipiant indilate, animaduersione debita puniendos.
Verum ne præiudicium & scandalum præfatæ fidei ortho-
doxæ religionis Christianæ, prætextu ignorantiæ quemquã
in hoc circumueniri, aut versutos homines sub friuolæ ex-
cusationis velamine in hac materia palliare contingat, &
vt de conuincendis seu cognoscendis hæreticis, receptato-
ribus, defensoribus, fautoribus, credentibus & adhærenti-
bus, nec non de hæresi suspectis, & aliis huiusmodi peruer-
sa doctrina quomodolibet maculatis, plenior habeatur in
futurum instructio, tam ad regnum Bohemiæ & conuici-
nas illi, quam alias quaslibet partes, in quibus hæc superfti-
tiosa doctrina quomodolibet pullulauerit, articulos infra
scriptos, sectam dictorum hæresiarcharum concernentes,
pro directione dictæ fidei decernimus transmittendos, &
etiam destinandos: super quibus vobis & aliis omnibus ar-
chiepiscopis, episcopis & electis ac commissariis & inqui-
sitoribus in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus & man-
damus, vt quilibet eorum infra limites & loca suæ iurisdi-
ctionis, nec non regno & marchionatu & locis eis vicinis
prædictis, etiam si loca ipsa extra iurisdictionem eamdem
vltra duas diætas consistant, circa extirpationem & cor-
rectionem errorum ac hæresum, & huiusmodi sectæ pe-
stiferæ, in fauorem ipsius fidei orthodoxæ diligenter inui-
gilent,

ANNO CHRISTI 1418. gilent, & omnes infamatos seu suspectos de tam pestifera labe sub confessati criminis, excommunicationis, suspensionis, interdicti, aut alia formidabili pœna canonica vel legali, prout, quando & quemadmodum eis videatur expedire, & facti inquireret qualitas, ad singulos huiusmodi articulos per iuramentum corporaliter præstitum, tactis sacrosanctis euangeliis, seu sanctorum reliquiis, imagine crucifixi, secundum quorumdam locorum obseruantiam, iuxta infra scripta interrogatoria ad quemlibet articulum conuenientia, respondere compellant. Nos enim contra omnes & singulos archiepiscopos, episcopos & electos & inquisitores, qui super extirpando hæreticæ prauitatis fermento, & expurgando suum territorium, districtum, seu locum, de talibus malis & sceleratis hominibus, negligentes fuerint, seu remisse egerint, vsque ad priuationem, seu depositionem pontificalis dignitatis procedere intendimus, & procedemus ac procedi faciemus, aliosque loco illorum substituemus, qui prauitatem hæreticam possint & valeant confundere; & ad alias pœnas contra tales a iure inflictas, & alias grauiores (si expediat) infligendas, procedemus, procedique faciemus, iuxta iuris & facti exigentiam, ac huiusmodi culpæ & criminis fœditatem. Tenores vero eorumdem articulorum, seu capitulorum, de quibus supra fit mentio, sequuntur per ordinem in hæc verba.

Et primo sequitur tenor articulorum Joannis Vuicleff. Sup. sess. 8.

1. Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, remanent in sacramento altaris.
2. Accidentia panis non manent sine subiecto in eodem sacramento.
3. Christus non est in eodem sacramento identice & realiter in propria præsentia corporali.
4. Si episcopus vel sacerdos existat in peccato mortali, non ordinat, non consecrat, non conficit, non baptizat.
5. Non est fundatum in euangelio, quod Christus Missam ordinauerit.
6. Deus debet obedire diabolo.
7. Si homo fuerit debite contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

ANNO CHRISTI 1418.

8. Si papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles sibi ab aliquo datam, nisi forte a Cæsare.
9. Post Vrbanum sextum non est aliquis recipiendus in papam, sed viuendum est more Græcorum sub legibus propriis.
10. Contra scripturam sacram est, quod viri ecclesiastici habeant possessiones.
11. Nullus prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo: & qui sic excommunicat, fit ex hoc hæreticus vel excommunicatus.
12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellauit ad regem, vel ad Concilium regni, eo ipso traditor est regis & regni.
13. Illi qui dimittunt prædicare, siue audire verbum Dei, propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in Dei iudicio traditores Christi habebuntur.
14. Licet alicui diacono vel presbytero prædicare verbum Dei, absque auctoritate sedis apostolicæ, siue episcopi catholici.
15. Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus est episcopus, dum est in peccato mortali.
16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.
17. Populares possunt ad suum arbitrium dominos delinquentes corrigere.
18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & possunt parochiani, propter peccata suorum prælatorum, ad libitum suum eas auferre.
19. Speciales orationes applicatæ vni personæ per prælatos vel religiosos, non plus prosunt eidem quam generales, ceteris paribus.
20. Conferens eleemosynam fratribus, est excommunicatus eo facto.
21. Si aliquis ingreditur religionem priuatam qualemcumque, tam possessionatorum, quam mendicantium,

ANNO CHRISTI 1418.

redditur ineptior & inhabilior ad obseruationem mandatorum Dei.

22. Sancti instituentes religiones priuatas, sic instituendo peccauerunt.

23. Religiosi viuentes in religionibus priuatis non sunt de religione Christiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicitatem.

Prima pars est scandalosa & præsumptuose asserta, pro quanto sic generaliter & indistincte loquitur: & secunda erronea, pro quanto asserit mendicitatem fratribus non licere.

25. Omnes sunt simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subuenientibus.

26. Oratio præsciti nulli valet.

27. Omnia de necessitate absoluta eueniunt.

28. Confirmatio iuuenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reseruantur papæ & episcopis propter cupiditatem lucri temporalis & honoris.

29. Vniuersitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt ecclesiæ sicut diabolus.

30. Excommunicatio papæ vel cuiuscumque prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.

31. Peccant fundantes claustra; & ingredientes sunt viri diabolici.

32. Ditare clerum, est contra regulam Christi.

33. Siluester papa & Constantinus imperator errauerunt ecclesiam dotando.

34. Omnes de ordine mendicantium sunt hæretici: & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.

35. Ingredientes religionem, aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad obseruanda diuina præcepta, & per consequens ad perueniendum ad regnum cælorum, nisi apostatauerint ab eisdem.

36. Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eo quod possessiones habent: & consentientes eis, omnes videlicet domini sæculares & ceteri laici.

37. Ecclesia Romana est synagoga satanæ, nec papa est

proximus & immediatus vicarius Christi & apostolorum. ANNO CHRISTI 1418.

38. Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt a fide Christi: & clerici sunt stulti, qui studeant eas.

39. Imperator & domini sæculares sunt seducti a diabolo, vt ecclesiam dotarent bonis temporalibus.

40. Electio papæ a cardinalibus, a diabolo est introducta.

41. Non est de necessitate salutis, credere Romanam ecclesiam esse supremam inter alias ecclesias.

Error est, si per Romanam ecclesiam intelligat vniuersalem ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret primatum summi pontificis super alias ecclesias particulares.

42. Fatuum est credere indulgentiis papæ & episcoporũ.

43. Iuramenta illicita sunt, quæ fiunt ad corroborandum humanos contractus & commercia ciuilia.

44. Augustinus, Benedictus & Bernardus damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc, quod habuerunt possessiones, & instituerunt & intrauerunt religiones: & sic a papa vsque ad vltimum religiosum, omnes sunt hæretici.

45. Omnes religiones indifferenter introductæ sunt a diabolo.

Sup. sess. 8.

Tenor autem articulorum Ioannis Hus sequitur, & est talis.

1. Vnica est sancta vniuersalis ecclesia, quæ est prædestinatorum vniuersitas. & infra sequitur: Vniuersalis sancta ecclesia tantum est vna, sicut tantum vnus est numerus omnium prædestinatorum.

2. Paulus nunquam fuit membrum diaboli, licet fecit quosdam actus actibus ecclesiæ malignantium consimiles.

3. Præsciti non sunt partes ecclesiæ, cum nulla pars eius finaliter excidet ab ea, eo quod prædestinationis caritas, quæ ipsam ligat, non excidet.

4. Duæ naturæ, diuinitas & humanitas, sunt vnus Christus.

5. Præscitus etsi aliquando est in gratia secundum præsen-

ANNO CHRISTI 1418.

tem iustitiam, tamen nunquam est pars sanctæ ecclesiæ: & prædestinatus semper manet membrum ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia aduentitia, sed non a gratia prædestinationis.

6. Sumendo ecclesiam pro conuocatione prædestinatorum, siue fuerint in gratia, siue non secundum præsentem iustitiam, isto modo ecclèsia est articulus fidei.

7. Petrus non est, nec fuit caput ecclesiæ sanctæ catholicæ.

8. Sacerdotes quomodolibet criminosè viuentes, sacerdotii polluunt potestatem: & sic, vt filii infideles, sentiunt infideliter de septem sacramentis ecclesiæ, de clauibus, officiis, censuris, moribus, ceremoniis & sacris rebus ecclesiæ, veneratione reliquiarum, indulgentiis & ordinibus.

9. Papalis dignitas a Cæsare inoleuit, & papæ perfectio & institutio a Cæsaris potentia emanauit.

10. Nullus sine reuelatione assereret rationabiliter de se vel alio, quod esset caput ecclesiæ particularis, nec Romanus pontifex est caput Romanæ ecclesiæ particularis.

11. Non oportet credere, quod iste quicumque est Romanus pontifex, sit caput cuiuscumque particularis ecclesiæ sanctæ, nisi Deus eum prædestinauerit.

12. Nemo gerit vicem Christi vel Petri, nisi sequatur eum in moribus, cum nulla alia sequela sit pertinentior, nec aliter recipiat a Deo procuratoriam potestatem: quia ad illud officium vicariatus requiritur & morum conformitas, & instituentis auctoritas.

13. Papa non est verus & manifestus successor apostolorum principis Petri, si viuit moribus contrariis Petro: & si quærit auaritiam, tunc est vicarius Iudæ Scarioth. Et pari euidentia cardinales non sunt veri & manifesti successores collegii aliorum apostolorum Christi, nisi vixerint more apostolorum, seruantes mandata & consilia Domini nostri Iesu Christi.

14. Doctores ponentes, quod aliquis per censuram ecclesiasticam emendandus, si corrigi noluerit, sæculari iudicio est tradendus, pro certo sequuntur in hoc pontifices, scribas & pharisæos, qui Christum non volen-

Ioan. 18. tem eis obedire in omnibus, dicentes, *Nobis non licet interficere quemquam*, ipsum sæculari iudicio tradiderunt; & quod tales sint homicidæ grauiores quam Pilatus. ANNO CHRISTI 1418.

15. Obedientia ecclesiastica est odedientia secundum adinuentionem sacerdotum ecclesiæ, præter expressam auctoritatem scripturæ.

16. Diuisio immediata humanorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa: quia si homo est vitiosus, & agit quidquam, tunc agit vitiose: & si est virtuosus, & agit quidquam, tunc agit virtuose: quia sicut vitium quod crimen dicitur seu mortale peccatum, inficit vniuersaliter actus hominis vitiosi; sic virtus viuificat omnes actus hominis virtuosi.

17. Sacerdotes Christi viuentes secundum legem eius, & habentes scripturæ notitiam, & effectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obstante prætensa excommunicatione. & infra: Quod si papa, vel aliquis prælatus mandat sacerdoti sic dispositio, non prædicare, non debet subditus obedire.

18. Quilibet prædicantis officium de mandato accipit, qui ad sacerdotium accedit: & illud mandatum debet exequi, prætensa excommunicatione non obstante.

19. Per censuras ecclesiasticas excommunicationis, suspensionis & interdicti, ad sui exaltationem clerus populum laicalem sibi suppeditat, auaritiam multiplicat, malitiam protegit, & viam præparat Antichristo. Signum autem euidens est, quod ab Antichristo tales procedunt censuræ, quas vocant in suis processibus fulminationes, quibus clerus principalissime procedit contra illos qui denudant nequitiam Antichristi, qui clerum pro se maxime vsurpabit.

20. Si papa est malus, & præsertim si est præscitus, tunc vt Iudas apostolus est diabolus, fur & filius perditionis, & non est caput sanctæ militantis ecclesiæ, cum nec sit membrum eius.

21. Gratia prædestinationis est vinculum, quo corpus ecclesiæ, & quodlibet eius membrum iungitur Christo capiti insolubiliter.

ANNO CHRISTI 1418.

22. Papa vel prælatus malus & præscitus, est æquiuoce pastor, & vere fur & latro.

23. Papa non debet dici sanctissimus, etiam secundum officium, quia alias rex deberet etiam dici sanctissimus secundum officium: & tortores & præcones dicerentur sancti, imo etiam diabolus deberet dici sanctus, cum sit officiarius Dei.

24. Si papa viuat Christo contrarie, etiam si ascenderet per ritam & legitimam electionem secundum constitutionem humanam vulgatam, tamen aliunde ascenderet quam per Christum, dato etiam quod intraret per electionē a Deo principaliter factam. Nam Iudas Scarioth rite & legitime est electus a Deo Christo Iesu ad episcopatum, & tamen ascendit aliunde in ouile ouium.

25. Condemnatio quadragintaquinque articulorum Ioannis Vuicleff per doctores facta, est irrationabilis & iniqua & male facta, & ficta est causa per eos allegata, videlicet ex eo, quod nullus eorum sit catholicus, sed quilibet eorum aut est hæreticus, aut erroneus, aut scandalosus.

26. Non eo ipso quo electores, vel maior pars eorum consenserit viua voce secundum ritus hominum in personam aliquam, eo ipso illa persona est legitime electa, vel eo ipso est verus & manifestus successor vel vicarius Petri apostoli, vel alterius apostoli in officio ecclesiastico. vnde siue electores bene, siue male elegerint, operibus electi debemus credere. Nam eo ipso quo quis copiosius operatur meritorie ad profectum ecclesiæ, habet a Deo ad hoc copiosius potestatem.

27. Non est scintilla apparentiæ, quod oporteat esse vnū caput in spiritualibus regens ecclesiam, quod semper cum ipsa ecclesia militante conuersetur & conseruetur.

28. Christus sine talibus monstruosis capitibus per suos veraces discipulos sparsos per orbem terrarum melius suam ecclesiam regularet.

29. Apostoli & fideles sacerdotes Domini strenue in necessariis ad salutem regularunt ecclesiam, antequam papæ officium foret introductum: sic facerent, deficiente per summe possibile papa vsque ad diem iudicii.

30. Nullus est dominus ciuilis, nullus est prælatus, nullus

est episcopus, dum est in peccato mortali. ANNO CHRISTI 1418.

Super præmissis autem articulis quilibet de eis suspectus, seu in eorum assertione deprehensus, iuxta modum interrogetur infra scriptum.

In primis, vtrum cognouerit Ioannem Vuicleff de Anglia, Ioannem Hus de Bohemia, Hieronymum de Praga, seu aliquem eorum: & vnde habuerit eorum notitiam, & vtrum cum eis, vel eorum aliquo, dum viuerent, conuersationem vel amicitiam habuerit.

Item, vtrum sciens ipsos seu aliquem ipsorum excommunicatos, scienter participauerit cum illis, reputans & dicens talem participationem non esse peccatum.

Item, vtrum post mortem eorum pro eisdem seu aliquo eorum orauerit, & publice vel occulte opera pietatis exercuerit, asserens eos fore beatos & saluos.

Item, vtrum eos vel aliquem eorum sanctos reputauerit & dixerit, & eis veneraciones velut sanctis exhibuerit.

Item, vtrum credat, teneat & asserat, quod quodlibet Concilium generale, & etiam Constantiense vniuersalem ecclesiam repræsentet.

Item, vtrum credat, quod illud quod sacrum Concilium Constantiense, vniuersalē ecclesiam repræsentans, approbauit & approbat in fauorem fidei & ad salutem animarū, quod hoc est ab vniuersis Christi fidelibus approbandum & tenendum: & quod condemnauit & condemnat, esse fidei vel bonis moribus contrarium, hoc ab eisdem esse tenendum pro condemnato, credendum & asserendum.

Item, vtrum credat, quod condemnationes Ioannis Vuicleff, Ioannis Hus, & Hieronymi de Praga, factæ de personis eorum, libris & documentis per sacrum generale Constantiense Concilium, fuerint rite & iuste factæ, & a quolibet catholico pro talibus tenendæ & firmiter asserendæ.

Item, vtrum credat, teneat, asserat Ioannem Vuicleff de Anglia, Ioannem Hus de Bohemia, & Hieronymum de Praga, fuisse hæreticos & pro hæreticis nominandos ac deputandos, & libros & doctrinas eorum fuisse & esse peruersos, propter quos & quas, & eorum pertinacias, per sacrum Concilium Constantiense pro hæreticis sunt condemnati.

Item,

ANNO CHRISTI 1418. Item, vtrum habeat in sua potestate aliquos tractatus, opuscula, epistolas, vel quæcumque alia scripta in quocumque idiomate per Ioannem Vuicleff, Ioannem Hus & Hieronymum hæreticos, seu eorum pseudodiscipulos & sequaces editos vel translatos, edita vel translata, quod illos vel illa ordinario loci, vel eius commissario, seu inquisitori sub iuramento præsentet.

Quod si apud se scripta huiusmodi se habere non cognouerit, sed alibi, quod iuret illa circa suum ordinarium, vel alios supradictos infra certum terminum sibi præfigendum deponere.

Item, vtrum sciat aliquem vel aliquos habentes præfatorum tractatus, opuscula, epistolas, vel quæcumque alia scripta in quocumque idiomate composita siue translata, quod illum vel illos detegat vel manifestet pro purificatione fidei, siue executione iustitiæ.

Item, specialiter literatus interrogetur, vtrum credat sententiam sacri Constantiensis Concilii super quadragintaquinque Ioannis Vuicleff, & Ioannis Hus triginta articulis superius descriptis latam, fore veram & catholicam: scilicet, quod supradicti quadragintaquinque articuli Ioannis Vuicleff, & Ioannis Hus triginta, non sunt catholici, sed quidam ex eis sunt notorie hæretici, quidam erronei, alii temerarii & seditiosi, alii piarum aurium offensiui.

Item, vtrum credat & asserat, quod in nullo casu sit licitum iurare.

Item, vtrum credat, quod ad mandatum iudicis iuramentum de veritate dicenda, vel quodlibet aliud ad causam opportunum, etiam pro purificatione infamiæ faciendum, sit licitum.

Item, vtrum credat, quod periurium scienter commissum, ex quacumque causa vel occasione, pro conseruatione vitæ corporalis propriæ vel alterius, etiam in fauorem fidei, sit mortale peccatum.

Item, vtrum credat, quod deliberato animo contemnens ritum ecclesiæ, ceremonias exorcismi & catechismi, aquæ baptismatis consecratæ, peccet mortaliter.

Item, vtrum credat, quod post consecrationem sacerdotis in sacramento altaris sub velamento panis & vini non sit panis materialis & vinum materiale, sed idem per

omnia Christus, qui fuit in cruce passus, & sedet ad dexteram Patris. ANNO CHRISTI 1418.

Item, vtrum credat & asserat, quod facta consecratione per sacerdotem, sub sola specie panis tantum, & præter speciem vini, sit vera caro Christi & sanguis & anima & deitas & totus Christus, ac idem corpus absolute & sub vna qualibet illarum specierum singulariter.

Item, vtrum credat, quod consuetudo communicandi personas laicales sub specie panis tantum, ab ecclesia vniuersali obseruata, & per sacrum Concilium Constantiæ approbata, sit seruanda sic, quod non liceat eam reprobare, aut sine ecclesiæ auctoritate pro libito immutare. Et quod dicentes pertinaciter oppositum præmissorum, tamquam hæretici vel sapientes hæresim, sint arcendi & puniendi.

Item, vtrum credat, quod Christianus contemnens susceptionem sacramentorum confirmationis, vel extremæ vnctionis, aut solennizationis matrimonii, peccet mortaliter.

Item, vtrum credat, quod Christianus vltra contritionem cordis, habita copia sacerdotis idonei, soli sacerdoti de necessitate salutis confiteri teneatur, & non laico seu laicis quantumcumque bonis & deuotis.

Item, vtrum credat, quod sacerdos in casibus sibi permissis possit peccatorem confessum & contritum a peccatis absoluere, & sibi pœnitentiam iniungere.

Item, vtrum credat, quod malus sacerdos cum debita materia & forma, & cum intentione faciendi quod facit ecclesia, vere conficiat, vere absoluat, vere baptizet, & vere conferat alia sacramenta.

Item, vtrum credat, quod beatus Petrus fuerit vicarius Christi, habens potestatem ligandi & soluendi super terram.

Item, vtrum credat, quod papa canonice electus, qui pro tempore fuerit, eius nomine proprio expresso, sit successor beati Petri, habens supremam auctoritatem in ecclesia Dei.

Item, vtrum credat, auctoritatem iurisdictionis papæ, archiepiscopi & episcopi in soluendo & ligando esse maiorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiam si curam animarum habeat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1418.

Item, vtrum credat, quod papa omnibus Christianis vere contritis & confessis ex causa pia & iusta possit concedere indulgentias in remissionem peccatorum, maxime pia loca visitantibus, & ipsis manus suas porrigentibus adiutrices. Et,

Vtrum credat, quod ex tali concessione visitantes ecclesias ipsas & manus adiutrices eis porrigentes, huiusmodi indulgentias consequi possint.

Item, vtrum credat, quod singuli episcopi suis subditis secundum limitationem sacrorum Canonum, huiusmodi indulgentias concedere possint.

Item, vtrum credat & asserat, licitum esse, sanctorum reliquias & imagines a Christi fidelibus venerari.

Item, vtrum credat, quod papa vel alius prælatus propriis nominibus papæ pro tempore expressis, vel ipsorum vicarii, possint suum subditum ecclesiasticum siue sæcularem propter inobedientiam siue contumaciam excommunicare, ita quod talis pro excommunicato sit habendus.

Item, vtrum credat, quod inobedientia siue contumacia excommunicatorum crescente, prælati, vel eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem aggrauandi & reaggrauandi, interdictum ponendi, & brachium sæculare inuocandi; & quod illis censuris per inferiores sit obediendum.

Item, vtrum credat, quod papa, vel alii prælati, & eorum vicarii in spiritualibus habeant potestatem sacerdotes & laicos inobedientes & contumaces excommunicandi, ab officio, beneficio, ingressu ecclesiæ & administratione ecclesiasticorum sacramentorum suspendendi.

Item, vtrum credat, quod liceat personis ecclesiasticis absque peccato huius mundi habere possessiones & bona temporalia.

Item, vtrum credat, quod laicis ipsa ab eis auferre potestate propria non liceat, imo quod sic auferentes, tollentes & inuadentes bona ipsa ecclesiastica, sint tamquam sacrilegi puniendi, etiam si male viuerent personæ ecclesiasticæ bona huiusmodi possidentes.

Item, vtrum credat, quod huiusmodi ablatio & inuasio cuicumque sacerdoti, etiam male viuenti, temere vel

violenter facta, vel illata, inducat sacrilegium. ANNO CHRISTI 1418.

Item, vtrum credat, quod liceat laicis vtriusque sexus, viris scilicet & mulieribus, libere prædicare verbum Dei.

Item, vtrum credat, quod singulis sacerdotibus libere liceat prædicare verbum Dei, vbicumque, quandocumque & quibuscumque placuerit, etiam si non sint missi.

Item, vtrum credat, quod omnia peccata mortalia, & specialiter manifesta, sint publice corrigenda & extirpanda. Volumus insuper, ac statuimus & decernimus, quod si quis per secretam informationem per vos recipiendam, vel alias repertus fuerit infamatus, seu suspectus de quacumque specie hæresis pestiferæ, sectæ vel doctrinæ pestilentium Ioannis Vuicleff, Ioannis Hus & Hieronymi de Praga hæresiarcharum prædictorum, aut de fouendo, receptando, defendendo præfatos damnatos homines, dum viuerent in humanis, vel ipsorũ perfidos sequaces & pseudodiscipulos, aut ipsorum erroribus credendo, pro ipsis defunctis vel aliquo ipsorum post obitum orando, vel inter catholicos nominando & defendendo, vel ipsos vt sanctos colendo, prædicando vel adorando, vel alias circa eos suspecte agendo, citetur per vos seu alterum vestrum, personaliter coram vobis seu altero vestrũ compariturus, semotis procuratore & aduocato, responsurus medio iuramento per ipsum sic (vt prædictum est) corporaliter præstito de plana & mera veritate dicenda super prædictis articulis, seu eorum singulis, vel aliis opportunis, secundum exigentiam casus & occurrentium circumstantiarum ad arbitrium vestrum, & prout vobis seu alteri vestrum videbitur expedire, vel alias contra eosdem ipsorum singulos, (prout præsentibus exprimitur, vel alias) canonice procedatis, nec non præsentes literas, excluſis articulis & interrogatoriis superius positis atque omissis, in ciuitatibus, diœcesibus, terris & locis aliis, vbi tute fieri poterit, auctoritate nostra solenniter publicetis & publicari faciatis, omnes & singulos hæreticos huiusmodi, nec non sectatores ipsarum hæresum & errorum vtriusque sexus, tenentes & etiam defendentes eosdem, aut hæreticis ipsis quomodolibet publice vel occulte in diuinis vel alias participantes, etiam si patriarchali, archiepiscopali, episcopali, regali, reginali, ducali, aut alia quauis ecclesiastica vel

ANNO CHRISTI 1418. mundana præfulgeant dignitate, nec non aduocatos & procuratores quoslibet, qui hæreticos huiusmodi aut eorum credentes, sequaces, fautores, defensores & receptatores super crimine hæresis aut credulitatis, sequelæ, fautoriæ, defensionis & receptationis huiusmodi defenderint, excommunicatos singulis diebus Dominicis & festiuis in præsentia populi nuntietis, & per alios nuntiari faciatis. Et nihilo minus contra eosdem omnes & singulos vtriusque sexus, huiusmodi errores tenentes, approbantes, defendentes, dogmatizantes, ac fautores & receptatores & defensores eorumdem, exemptos & non exemptos, & quemlibet ipsorum, cuiuscumque dignitatis, status, præeminentiæ, gradus, ordinis vel conditionis (vt præfertur) existant, auctoritate nostra diligenter inquirere studeatis, & eos quos per inquisitionem huiusmodi diffamatos, vel per confessionem eorum seu per facti euidentiam, vel alias huiusmodi hæresis & erroris labe respersos reperietis, auctoritate prædicta etiam per excommunicationis, suspensionis & interdicti, nec non priuationis dignitatum, personatuum & officiorum, aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum ac feudorum, quæ a quibuscumque ecclesiis, monasteriis ac aliis locis ecclesiasticis obtinent, ac etiam bonorum & dignitatum sæcularium ac graduum scientiarum quarumcumque facultatum, & per alias pœnas, sententias & censuras ecclesiasticas, ac vias & modos, quos ad hoc expedire, seu opportunos esse videritis, etiam per captiones & incarcerationes personarum, & alias pœnas corporales, quibus hæretici puniuntur, seu puniri iubentur aut solent iuxta canonicas sanctiones. Similiter & clericos ipsos & ecclesiasticas personas, vsque ad degradationem inclusiue, si eorum culpa ac pertinacia vel rebellio id exigat aut requirat, corrigatis & puniatis, ac diligenter corrigi & puniri faciatis, nec non contra eosdem, ipsorum, laicorumque bona secundum canonicas sanctiones & legales, contra hæreticos & eorum sequaces editas, quibus eosdem sectatores siue sequaces subiacere decernimus, animose consurgatis iuxta modum & formam supradictos. Et qui de præmissis hæresibus vel articulis, vel aliquo præmissorum infamati fuerint, ad arbitrium vestrum se purgare teneant-

tur. Alii vero qui per teſtes ſeu propriam confeſſionem vel alias legitimas probationes conuicti fuerint de prædictis hæreſibus vel articulis, vel aliquo præmiſſorum, eoſdem articulos & errores ſolenniter & publice reuocare, abiurare, pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem (ſi delictum exegerit) ſubire cogantur, nec non quod errores & hæreſes huiuſmodi, cuiuſcumque generis vel ſpeciei cenſeantur, de cetero verbo, nutu vel facto non fouebunt, ſeu alios ad credendum illis verbo vel de facto, publice vel occulte, directe vel indirecte, aut alio quouis modo inducent, ſufficientem & idoneam cautionem præſtare teneantur. Quod ſi forſan eoſdem articulos ſolenniter & publice reuocare & abiurare, & pœnitentiam condignam, etiam ad immurationem perpetuam vel temporalem iuxta veſtræ diſcretionis arbitrium, ſine dilatione ſubire, ac ſufficientem cautionem, quod errores & hæreſes ipſas de cetero non tenebunt, nec fouebunt, nec alios ad credendum vel verbo vel facto, publice & occulte, directe vel indirecte, vel quouis quæſito colore inducant, præſtare, ſeu aliquid præmiſſorum facere voluerint, extunc contra ipſos, iuxta qualitatem errorum ac delictorum ſuorum (etiam ſi expediat) tamquam contra hæreticos aut hæretica labe reſperſos, auctoritate noſtra iuxta canonicas & legales ſanctiones ſummarie & ſimpliciter, ac de plano ſine ſtrepitu & figura iudicii, & etiam ex officio, appellatione, ſeu appellationibus quibuſcumque ceſſantibus, procedatis, ac ipſos iuxta eaſdem canonicas traditiones puniatis, etiam ſi opus fuerit, curiæ ſæculari relinquendo: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, inuocato ad hoc (ſi opus fuerit) auxilio eiuſdem brachii ſæcularis, non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifacii papæ octaui prædeceſſoris noſtri, qua cauetur, ne quis extra ciuitatem & diœceſim ſuam, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis vltra vnam diætam a fine ſuæ diœceſis ad iudicium euocetur, ſeu ne iudices a ſede apoſtolica deputati extra ciuitatem & diœceſim in quibus deputati fuerint, contra quoſcumque procedere, ſiue alii vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos vltra vnam diætam a fine diœceſium eorumdem trahere præſumant, & de duabus diætis in Con-

ANNO CHRISTI 1418.

ANNO CHRISTI 1418.

cilio generali, quam aliis quibuſcumque conſtitutionibus Romanorum pontificum, tam a iudicibus delegatis, quam perſonis vltra certum numerum ad iudicium non vocandis, aut aliis editis, quæ poſſint in hac parte veſtræ iuriſdictioni aut poteſtati, eiuſque libero exercitio quomodolibet obuiare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diuiſim ab eadem ſit ſede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu vltra vel extra loca ad iudicium euocari non poſſint, per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi & eorum perſonis, locis & ordinibus & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictæ ſedis indulgentia generali vel ſpeciali, cuiuſcumque tenoris exiſtat, per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtræ iuriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua cuiuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis.

Datum Conſtantiæ octauo Kalendas Martii, pontificatus noſtri anno primo.

CONFIRMATIO CONSTITVTIONVM Friderici ſecundi & Carolinæ, cum multis adiectionibus per Concilium Conſtantienſe in decimanona ſeſſione, quibus libertati eccleſiaſticæ plurimum fauetur, & ob id adiiciendam præfato operi conſtituimus, vt ex illa, quantum deferendum ſit eccleſiæ, quiſque agnoſcat.

*f. in ſpeculam ſe cõſiderationis.

SACROSANCTA Synodus Conſtantienſis * in ſpeculum ſuæ conſiderationis extollens, quam grauiſſima diſpendia eccleſiæ, monaſteria, hoſpitalia, xenodochia, & alia pia loca ac perſonæ eccleſiaſticæ ſic tempore guerrarum & lugubris ſchiſmatis, proh dolor, cauſante malitia & ambitione mentium humanarum, ad talia diuerſis coloribus, modis & titulis inhiantium improbe, hactenus pertulerint, maxime a tempore felicis recordationis Vrbani papæ ſexti incluſiue citra, ac perferant inceſſanter in talliis, collectis, exactionibus, occupationibus, inuaſionibus, detentionibus, diſtractionibus, conceſſionibus, venditionibus, infeudationibus, emphyteoticis & aliis loca-

tionibus, donationibus, dimembrationibus, dationibus, permutationibus, & aliis variis & diuersis alienationibus regnorum, prouinciarum, comitatuum, dominiorum, territoriorum, districtuum, ciuitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum, bonorum, iurium etiam spiritualium, ac iurisdictionum ad Romanam & ecclesias alias, monasteria, hospitalia, xenodochia, & pia loca, ac personas huiusmodi communiter vel diuisim spectantium, aliisque grauaminibus hactenus a dicto tempore citra, & per ipsum tempus, seu ipso tempore vsque in præsentem diem, præter seu contra dispositionem iuris scripti quomodocumque & qualitercumque impositis, illatis, factis, seu præsumptis, aut attentatis: Ac intendens, & cupiens circa reformationem immunitatis ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, ac recuperationem bonorum & iurium suorum diligenter intendere; quamuis dudum contra sæculares potestates, nec non consules ciuitatum, ac alios, qui ecclesias & viros ecclesiasticos talliis, collectis & exactionibus aliis aggrauare nitebantur, in Lateranensi Concilio immunitati ecclesiæ prouisum fuit, per quod huiusmodi præsumptio sub anathematis districtione prohibita fuit, & illius fautores & transgressores excommunicationi subiacere præcepit huiusmodi Concilium, donec satisfactionem earumdem impenderent competenter, ac etiam constitutiones & sententiæ, quæ a talibus vel de ipsorum mandato forent promulgatæ, inanes & irritæ haberentur, nullo tempore valituræ. Et vt nullus vano in hoc deciperetur errore, vt infra tempus sui regiminis huiusmodi anathema sustineat, quasi post illud non esset ad satisfactionem debitam compellendus, decretum fuit in eodem Concilio, & ipsum qui satisfacere recusaret, & successorem illius, nisi satisfaceret infra mensem, manere debere ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum etiam succedere debeat in onere, qui substituitur in honore. Et licet etiam in sacris legibus pro libertate & immunitate ecclesiastica, siue ecclesiarum & ecclesiasticarum personarum, multa salubria & fauorabilia statuta fuerint, dudum felicis recordationis Honorius papa tertius attente considerans, quod quondam Fridericus secundus olim Romanorum imperator,

ANNO CHRISTI 1418.

Concil. Later. sub Innocent. III. cap. 46.

tunc

ANNO CHRISTI 1418.

tunc sub obedientia & deuotione sanctæ Romanæ ecclesiæ persistens, ad laudem eiusdem ecclesiæ & sacri decus Romani imperii, cupiens, vt expurgatis quorumdam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis, de cetero ecclesiæ & ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete, & secura libertate gauderent: ac pie & iuste attendens, quod quorumdam peruersorum iniquitas adeo abundauerat, vt non dubitarent contra ecclesiasticam disciplinam & sacros Canones statuta sua confingere aduersus ecclesiasticas personas & ecclesiasticam libertatem, edictali lege huiusmodi statuta iniqua irritauerat, & præceperat irrita annuntiari, & omnia statuta & consuetudines * contra ciuitates & loca, potestates vel consules, aut quæcumque aliæ personæ contra libertatem ecclesiæ & ecclesiasticas personas huiusmodi edere aut conseruare tentauerint contra canonicas & imperiales sanctiones, de ipsorum capitularibus infra duos menses post huiusmodi legis publicationem penitus aboleri facerent: & si de cetero talia attentarent, illa ipso iure decreuit esse nulla, & eos sua iurisdictione priuatos: nec non locum vbi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri fisco imperiali præceperat subiacere: potestates vero, consules, statutarii & scriptores statutorum prædictorum, nec non consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memoratas iudicarent, extunc essent ipso iure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere: quodque si per annum præfatarum constitutionum inuenti forent contemptores, bona eorum per totum suum imperium mandauit impune ab omnibus occupari, saluis nihilo minus aliis pœnis contra tales in generali Concilio promulgatis. Et insuper voluerat tunc idem imperator, quod nulla communitas vel publica persona seu priuata collectas seu exactiones, angarias vel per angarias, ecclesiis vel aliis piis locis, aut ecclesiasticis personis huiusmodi imponeret, aut inuadere ecclesiastica bona præsumeret: quod si secus faceret, & requisita ab ecclesia vel imperio huiusmodi emendare contemneret, tripliciter refunderet, & nihilo minus banno imperiali subiaceret, quod sine satisfactione nullatenus remitteretur. Statue-

* *pro contra, videtur legendum*, quæ

Concil. Lateran. sub Innoc. III. cap. 44.

rat insuper, quod quæcumque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesiæ violatam persisteret, ipso iure banno imperiali subiaceret, a quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab ecclesia beneficio absolutionis obtento. Et insuper ordinauerat, vt nullus ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel ciuili ad iudicium sæculare præsumeret trahere contra canonicas sanctiones, & contra constitutiones imperiales: quod si secus faceret, actor a suo iure caderet, & iudicatum non teneret, & iudex foret extunc iudicandi auctoritate priuatus: quodque iudices temporales, qui clericis & personis ecclesiasticis iustitiam denegare præsumerent, tertio requisiti, suam iurisdictionem amitterent, prout dicta imperiali edictali constitutione plenius continetur. Dictusque Honorius constitutionem ipsam de consilio etiam fratrum sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, qui tunc erant, auctoritate apostolica approbans & confirmans, ipsam mandauit inuiolabiliter obseruari: nec non statutarios & scriptores prædictos, excommunicatos eadem auctoritate nuntiari. ANNO CHRISTI 1418.

Et deinde ad euidentiam diuæ memoriæ Caroli quarti etiam Romanorum imperatoris semper Augusti deducto, quod nonnullæ sæculares personæ in potestatibus & officiis publicis constitutæ, videlicet duces, marchiones, comites, & alii domini temporales, nec non consules ciuitatum, oppidorum, villarum & locorum rectores, in eorumdem prouinciis, Dei timore postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio & de facto, contra personas ecclesiasticas & ecclesiarum libertates, & harum priuilegia, condiderant, illisque de facto & publice vtebantur contra canonicas & legitimas sanctiones: vtpote quod nulla bona temporalia in vim & potestatem ecclesiasticam transferantur, & ne clerici in sacris constituti ad agendum & testificandum in ciuilibus, & maxime in piis causis, aliquatenus admitterentur, quodque excommunicati laici & publice denuntiati in foro ciuili minime repellerentur. Et insuper cum prædicti domini temporales, consules & rectores per sæcularem potestatem

ANNO CHRISTI 1418. res ac bona clericorum occuparent, arrestarent, & oblationem Christi fidelibus minuerent atque restringerent, exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus ecclesiarum exigerent & extorquerent, possessiones ecclesiarum & personarum earumdem deuastarent incendiis & rapinis, contractus inter clericos & laicos factos legitimos, ac libros ciuitatum, castrorum, villarum & aliorum locorum prædictorum inscribere & sigillare recusarent, donataque & legata ad fabricas & ecclesiarum structuras, contra dictorum & præfatorum voluntatem, & aliorum quorum intererat, contra iustitiam vsurpare præsumerent, ac in fraudem & odium clericorum de bonis ecclesiæ, rebus clericorum, quæ non causa negotiationis, sed pro eorum propriis vsibus per eorum terras & dominia ducebant, & duci faciebant, teloneum exigere & recipere non verebantur, & confugientes atque currentes ad ecclesias & earum cœmeteria, inde extrahere contra canonicas & imperiales sanctiones præsumpserant: Idem Carolus imperator tamquam Christianissimus princeps, volens & in præmissis prouidere de remedio salutari, etiam de quorumdam principum, ducum, comitum, baronum, fideliumque aliorum consilio, auctoritate imperiali quæcumque statuta & consuetudines prædictas, tamquam per canonicas & ciuiles sanctiones expresse reprobata, cassauit, irritauit & annullauit, ac cassa & irrita, nulliusque roboris esse voluit penitus & momenti, præcipiens sub indignatione banni imperialis vniuersis & singulis principibus ac dominis temporalibus, consulibus, potestatibus, & aliis in officiis publicis constitutis, quatenus extunc ipsorum statuta & ordinationes, sicut in præiudicium ecclesiasticæ libertatis edicta fuerant, omnia reuocarent & de luce tollerent: quodque secundum ea non iudicarent amplius, nec sententias ferrent, aut eisdem in iudicio, vel extra iudicium quomodolibet pro & contra ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronuntiauitque insuper & eadem decreuit auctoritate, quod quicumque laicus, cuiuscumque status, gradus aut conditionis existeret, ausu sacrilego & propria temeritatis audacia sacerdotem vel clericum sæcularem vel religiosum diffidaret, proscriberet, capti-

uaret, ſpoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, ac huiuſmodi maleficia perpetrantes & facientes ſcienter receptaret, vel eis fauorem præſtaret, præter pœnas a ſacris Canonibus, imperialibus & legalibus ſanctionibus in tales promulgatas, eo ipſo redderetur infamis, ac omni honore priuatus, nec ad placita vel conſilia nobilium admitteretur quouis modo. Hortans inſuper in Domino & requirens eccleſiaſticos prælatos, in illis partibus, in quibus committerentur talia, conſtitutos, vt legem imperialem huiuſmodi per eorum eccleſias & Synodos publicarent, ne tranſgreſſores huiuſmodi per ſimulatam ignorantiam ſuas in hac parte valeant malitias excuſare, prout in edictali lege prædicta plenius continetur. Quia non tantum in prouinciis & regnis, quæ Romanum profiterentur imperium, ſed fere modernis temporibus vbique in toto Chriſtiano orbe neglectis huiuſmodi Lateranenſis Concilii conſtitutionibus, imperialibus ac ſacris ſanctionibus quibuſcumque, ab impiorum malitia aduerſus eccleſias & clericos, nulla reuerentia, nullo Dei timore, nulloque animarum interitu penſatis, eorumdem temere audacia creuit inſolenter. Igitur auctoritate Dei omnipotentis prædicta omnia innouat, ſtatuit & confirmat, perpetuiſque futuris temporibus ab omnibus Chriſti fidelibus vbilibet in omnibus & per omnia, iuxta ipſarum conſtitutionum tenores, ſub bannis aliiſque pœnis & cenſuris ſupra in eiſdem comprehenſis inuiolabiliter obſeruandis. ANNO CHRISTI 1418.

Concil. Later. ſub Alex. III. cap. 19. & ſub Innoc. III. cap. 46.

Ceterum in eodem Lateranenſi Concilio ſtatutum & ordinatum fuit, quod epiſcopus ſiue ordinarius cum conſenſu ſui cleri ad releuandas communes vtilitates & neceſſitates, vbi laicorum non ſuppetunt facultates, abſque vlla coercitione poſſit eccleſiaſticas perſonas compellere ad aliqua ſubſidia laicis conferenda, prius Romano pontifice conſulto: & hac ſumpta occaſione, laici in quampluribus partibus, minis vel terroribus, ſeu aliquibus aliis modis aut coloribus diuerſis ducunt, vt tallias, collectas, ſubſidia, impoſitiones, vel alia quæuis onera, quocumque vocabulo ſeu nomine nuncupentur, eccleſiis vel clericis imponant, aut imponi conſentiant, vel

ANNO CHRISTI 1418.

permittant, cum facultate interdum per ipſoſmet laicos aut alios exigendi. Ex quo conſtitutio Lateranenſis, quæ ob pietatem laicorum fuit ordinata, in impietatem & graue damnum & iacturam eccleſiarum & eccleſiaſticarum perſonarum vertitur. Ideo dicta ſancta Synodus hoc perpetuo ſtatuit & ordinat, quod nulla perſona ſæcularis cuiuſcumque dignitatis aut ſtatus & conditionis exiſtat, etiam ſi imperiali, regali vel quacumque præfulgeat dignitate, ſub prætextu conſenſus epiſcopi, clero tallias, impoſitiones & onera vel ſubſidia imponat, exigat vel recipiat, niſi prius Romano pontifice conſulto, ſub pœnis, bannis & cenſuris eiſdem.

Idem per omnia, Romano pontifice dictas tallias vel collectas imponente, vel imponi mandante, conſenſu epiſcopi vel cleri non accedente. Epiſcopi vero, qui contra prædictum Concilium Lateranenſe vel hanc conſtitutionem, imponendo vel imponi conſentiendo, vel exigendo conſenſerint, eis ingreſſus eccleſiæ ipſo facto ſit tamdiu interdictus, donec læſis eccleſiis & clericis ac eccleſiaſticis perſonis plenariam fecerint ſatisfactionem. Prælati quoque qui contra ſacrorum Canonum diſpoſitionem, & contra conſtitutionem Bonifacii octaui, quæ incipit, Vas electionis, viſitando, vel caritatiuum ſubſidium, nec non tallias & collectas imponendo, eccleſias & eccleſiaſticas perſonas quocumque modo grauant, ipſo facto ab omni adminiſtratione temporalium & ſpiritualium (etiamſi in pontificali vel alia dignitate exiſtant) ſint priuati, aliis quidem pœnis in iure expreſſis in ſuo robore permanſuris.

Item conſiderans, quod nonnulli ſummi pontifices ex captata opportunitate nonnullorum regum, dominorum, comitum, & aliarum quarumuis perſonarum temporalium, aut ad ipſorum beneuolentiam captandam, vel alio ſpiritu ducti, conceſſerunt & licentiam dederunt eiſdem tallias, collectas, ſubſidia, impoſitiones, datias, pedagia, aut alia quæuis onera huiuſmodi imponendi vel exigendi ab eccleſiis, clero vel eccleſiaſticis perſonis in eorumdem dominio vel diſtrictu aut alibi conſtitutis & commorantibus, alias ad tempus, alias ad certam ſummam, ſub diuerſis modis, formis vel conditionibus, in confectis literis

apoſtolicis vel aliis huiuſmodi licentiæ comprehenſis, idcirco omnes & ſingulas conceſſiones & licentias huiuſmodi, etiam ſi de plenitudine poteſtatis Romanorum pontificum aut apoſtolicæ ſedis, quouis modo & quibuſuis perſonis ſub quibuſcumque verborum tenoribus conceſſas, reuocat, caſſat, annullat & irritat. Dictiſque dominis, comitibus & aliis, vt ſupra expreſſis, mandat & iubet in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœnis, bannis & cenſuris, nec non in triplum reſtitutionibus ſupra expreſſis, quas incurrent ipſo facto, quod abinde inantea dictis conceſſionibus, licentiis, aliqua & aliquibus ex ipſis nullo modo per ſe vel alium aut alios, directe vel indirecte, palam, publice vel occulte, imponendo vel exigendo, quoquo modo vtantur: quinimo priuilegia, conceſſiones & ſcripturas huiuſmodi ſuper dictis conceſſionibus & licentiis confectas de luce aboleri faciant. ANNO CHRISTI 1418.

Item eadem auctoritate ſtatuit, ordinat, decernit & declarat, quod regna, prouinciæ, comitatus, dominia, territoria, ciuitates, diſtrictus, terræ, villæ, caſtra, fortalitia, poſſeſſiones, ædificia, grangiæ & quæuis alia bona, res, iura, iuriſdictiones, actiones reales & perſonales, ſpirituales & temporales, ac patronatus & pertinentiæ eorumdem, & eccleſiarum cathedralium diœceſes, quæ Romanæ ſeu patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus, abbatialibus & quibuſuis aliis collegiatis ſæcularibus vel regularibus eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, menſiſque cathedralibus & abbatialibus, capitulis, collegiis ſeu conuentibus, hoſpitalibus, xenodochiis, & quibuſuis aliis piis locis, alicui vel aliquibus ex ipſis temeritate vel audacia, dolo, vi vel fraude, quomodocumque & qualitercumque per quaſuis perſonas eccleſiaſticas vel laicales, capitula, collegia, dominos, comitatus & vniuerſitates, etiam ſi imperiali, regali, cardinalatu, pontificali, vel alia quauis eccleſiaſtica vel laicali præeminentia & dignitate præfulgerent, a tempore felicis recordationis Gregorii vndecimi incluſiue citra (poſt cuius quidem Gregorii deceſſum ſchiſma præſens, proh dolor, in Dei eccleſia ortum habuit) quauis occaſione, ſeu colore quæſito fuerint inuaſa, occupata, vſurpata, captata, ſeu detenta, huiuſmodi eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, menſiſque cathedralibus & abba-

ANNO CHRISTI 1418. tialibus, capitulis, collegiis, seu conuentibus, hospitalibus, xenodochiis & piis locis, videlicet illi & illis, cuius, quorum vel quarum tempus & in tempore inuasionis, occupationis, vsurpationis, captionis seu detentionis huiusmodi erant & nunc sunt, dummodo tempore inuasionis, occupationis, vsurpationis, seu detentionis prædictæ, vel prius, possessiones, ecclesias, monasteria, prioratus, mensas cathedrales & abbatiales, capitula, conuentus, hospitalia, xenodochia & pia loca, aut per aliquem vel aliquod ex ipsis, coram aliquo de executoribus, siue conseruatoribus, de quibus infra fit mentio, probetur infra tempus quadrimestre a die probationis prædictæ continue currendum, vel si fama de dicta possessione, aut secuta inuasione, occupatione, vsurpatione, captione, seu detentione huiusmodi erit in diœcesi ecclesiæ, monasterii, prioratus, mensarum cathedralium, abbatialium, capituli, collegii, conuentus, hospitalis, xenodochii, vel pii loci huiusmodi, similiter infra simile quadrimestre continuandum a die legitimæ citationis, monitionis seu requisitionis personaliter factæ, vel si possessoris copia commode haberi, aut bene tute ac legitime citari non possit, tunc & eo casu moneri & requiri valeat per edictum in aliquo loco diœcesis, vel ipsi diœcesi propinquo, vbi inuasor, occupator, vsurpator, captor, seu detentor habitare consueuerat, ad habitandum vacua & expedita, plenarie, realiter & cum effectu, omni cessante excusatione & exceptione, restituantur, reddantur & redintegrentur, ac pacifice dimittantur sub pœnis, bannis & censuris, & sub aliis vt supra, & sub triplicata restitutione, & sub infamia & occupatione & iuris amissione superius nominatis: quas negligentes, inobedientes, transgressores, rebelles, & contra facientes incurrent ipso facto, a quibus pœnis & censuris & aliis prædictis non possint absolui, nisi prius factis (vt præfertur) plenis & integris restitutionibus. Et nihilo minus ex abundanti cautela ipsa sancta Synodus ex certa scientia prædicta bona, regna, ciuitates & cetera vt supra, illis quibus erant (vt præfertur) restituit, reddit & redintegrat per præsentes. Et insuper liceat prælatis, capitulis, conuentibus & rectoribus ecclesiarum, monasteriorum & locorum huiusmodi, quorum talia regna, bona, & cetera erant,

& nunc ſunt, eorumque ſucceſſoribus, aut eorum procuratoribus & ſyndicis, auctoritate propria, alicuius conſenſu vel licentia minime requiſita, poſſeſſionem illorum intrare, capere aut detinere libere & impune, conſtitutionibus & priuilegiis apoſtolicis & imperialibus, & aliis quarumuis perſonarum, nequaquam obſtantibus. Rurſus, quia contractus celebrari, nec non conceſſiones ſuper regnis, prouinciis, ciuitatibus, caſtris, villis, & aliis bonis ſupra expreſſis, viro non purgato, veriſimiliter ad vexationes redimendas facti vel factæ præſumerentur: eapropter ipſa ſancta Synodus ex certa ſcientia omnes & ſingulas conceſſiones, donationes, venditiones, alienationes, pignorationes, diuiſiones, ſeparationes, dimembrationes, diſtractiones, extenuationes, permutationes, obligationes, declarationes, reuocationes, infeudationes, reinfeudationes, pacta, prouiſiones, promiſſiones, ſententias & alios contractus quoſque, etiam ſi iuramentis fuerint conualidatæ & conualidati, etiam per viam aut modum cuiuſcumque contractus, etiam in illis contenta, ſub quacumque verborum conceptione appareant, poſt inuaſiones, occupationes, vſurpationes, captiones vel detentiones regnorum, prouinciarum, ciuitatum, & aliorum alicuius vel aliquorum bonorum huiuſmodi, & ante eorumdem bonorum plenariam reſtitutionem, de, in, pro, & aut ſuper eiſdem alicui vel aliquibus ex regnis, & aliis bonis huiuſmodi, vel ipſorum aut eorum aliquibus iuribus, iuriſdictionibus, actionibus & pertinentiis realibus & perſonalibus atque mixtis, ſpiritualibus & temporalibus quibuſcumque, quibuſuis dominis, dominiis, comitatibus, vniuerſitatibus, capitulis, collegiis, patriarchalibus, vel aliis eccleſiis quibuſuis, ſiue eorum menſis, aut aliis perſonis quibuſcumque eccleſiaſticis vel laicalibus, etiam ſi imperiali, regali, pontificali, vel alia eccleſiaſtica & temporali præfulgeant dignitate, quauis occaſione, a dicto tempore Gregorii incluſiue citra, quomodocumque & qualitercumque factis & conceſſis, faciendis, concedendis per Romanos pontifices motu proprio ex certa ſcientia de plenitudine poteſtatis, cum omnium defectuum ſupplemento, ac de & cum conſenſu & conſilio ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, ſiue per modum,

ANNO CHRISTI 1418.

aut

ANNO CHRISTI 1418. aut viam contractuum quorumcumque, vel alias & quauis auctoritate, etiam apostolica, imperiali, regali, legatorum, nuntiorum aut vicariorum sedis apostolicæ, siue ordinarie, legata vel delegata, etiam si factum & concessum fuerit per illas personas, aut de & cum consensu illarum, ad quas in talibus de iure & de consuetudine facere, concedere & consentire pertinuerit, nullas & nullos, nulliusque iuris, efficaciæ, firmitatis, roboris & momenti, atque viribus euacuatos & euacuatas fuisse & esse decreuit & declarauit. Et nihilo minus ex abundanti cautela, ipsas & ipsos reuocat, cassat, abolet, irritat & annullat, ac viribus euacuat, ipsaque regna & prouincias, ciuitates & alia bona cum iuribus & omnibus aliis supradictis, tenore præsentium illis, quorum vel quarum (vt præfertur) erant & sunt, reddit, restituit & redintegrat. Statuens quoque & præcipiens, decernens & declarans, ipsa omnia & singula reddenda, restituenda & redintegranda, quibus (vt præfertur) erant & sunt, vacua & expedita plenarie, realiter & cum effectu, omni cessante excusatione, infra dictum quadrimestre, sub eisdem pœnis, bannis & censuris, & aliis, quas incurrent ipso facto, & a quibus non possint absolui, nisi vt supra continetur: aliis tamen iuris remediis pro prædictis executioni demandandis in suo robore permansuris. Et nihilo minus liceat prælatis & aliis, quorum talia bona (vt præfertur) erant & sunt, possessiones intrare, & cetera, vt supra continetur.

Item dicta sancta Synodus eadem auctoritate ex certa scientia decernit & declarat, omnes & singulas concessiones, donationes, obligationes, venditiones, extenuationes, pignorationes, diuisiones, separationes, dimembrationes, distractiones, permutationes, obligationes, declarationes, reuocationes, infeudationes, reinfeudationes, ac censuum, fructuum, seu responsionum aliarum, quocumque nomine seu vocabulo nuncupentur, extenuationem, extinctionem, pacta, promissiones, prouisiones, sententias, & alios contractus quoscumque, etiamsi iuramentis fuerint conualidatæ & conualidati, etiam per viam aut modum cuiuscumque contractus, & in illis contenta, sub quacumque verborum conceptione appareant, quibusuis patriarchis, primatibus, archiepiscopis,

ANNO CHRISTI 1418.

epiſcopis, eorumque eccleſiis cathedralibus, ſiue antiquis, ſiue poſt dictum ſchiſma erectis, aut eorum menſis, capituliſque, collegiis, comitatibus, ſeu vniuerſitatibus & perſonis, etiam imperialis, regalis, reginalis, pontificalis, cardinalatus, aut cuiuſuis eccleſiaſticæ vel mundanæ fuerint dignitatis, præeminentiæ, ſtatus vel conditionis, de, in, pro aut ſuper regnis, prouinciis, comitatibus, dominiis, territoriis, ciuitatibus, diſtrictibus, terris, villis, caſtris, fortalitiis, poſſeſſionibus, ædificiis, grangiis, & quibuſuis aliis bonis, rebus ac pertinentiis ſuis, iuribuſque, iuriſdictionibus & actionibus realibus & perſonalibus atque mixtis, cathedraliumque eccleſiarum diœceſibus, ac patronatuum iuribus, & quibuſuis aliis tam ſpiritualibus quam temporalibus, ſine aliquo vel aliquibus prædictorum ad Romanam, patriarchales, metropolitanas, cathedrales, abbatiales, & quaſuis alias collegiatas & non collegiatas, regulares & ſæculares eccleſias, monaſteria, prioratus, menſaſque ipſarum eccleſiarum, capitula ſeu conuentus eorum, aliquos vel aliquas ex ipſis factas & factos, præter vel contra diſpoſitionem iuris ſcripti, a dicto tempore Vrbani papæ V I. incluſiue citra, quomodocumque & qualitercumque, vſque in præſentem diem, ſub quibuſuis titulis, iuribus, actionibus, cauſis, modis, conditionibus, viis ſiue formis, & quauis occaſione, etiam motu proprio, ex certa ſcientia & de plenitudine poteſtatis, ac cum ſuppletione omnium defectuum, etiam de & cum conſilio & conſenſu ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, ſiue per viam aut modum contractuum quorumcumque, vel alias & auctoritate quacumque, etiam apoſtolica, imperiali, regali, reginali, legatorum, nuntiorum aut vicariorum ſedis apoſtolicæ, ſiue ordinaria, delegata vel ſubdelegata, vel quacumque alia, etiam ſi factum & conceſſum fuerit per illas perſonas, aut de & cum conſenſu illarum, ad quas in talibus de iure & conſuetudine facere, concedere & conſentire pertinuerit, fuiſſe & eſſe ipſo iure nullos & nullas, ac nullius efficaciæ, roboris & momenti, viribuſque euacuatos & euacuatas, & perinde cenſeri & haberi, ſub & cum modificationibus infra ſcriptis, ac ſi facti & factæ non fuiſſent. Conceſſioneſque, donationes, & cetera huiuſmodi, & alias

ANNO CHRISTI 1418. quaſuis, quæ cum detrimento vel læſione eccleſiarum, monaſteriorum, menſarum, capitulorum, conuentuum, locorum ſeu perſonarum alicuius vel aliquarum huiuſmodi factæ a dicto tempore Vrbani papæ VI. citra, ex certa ſcientia & auctoritate prædicta hac edictali conſtitutione, ſub & cum ſupra & infra dictis modificationibus reuocat, caſſat, irritat & annullat. Et nihilo minus, ad abundantiorem cautelam tollit & penitus viribus euacuat, dictaque regna, loca, territoria, diſtrictus, iura, iuriſdictiones, &c. ac bona huiuſmodi ad ius & proprietatem eccleſiarum, monaſteriorum, locorum, menſarum, capitulorum, conuentuum & perſonarũ huiuſmodi, ad quæ ſeu quas ſpectabant & nunc ſpectant & pertinent, ſub & cum ſupra & infra ſcriptis modificationibus reſtituit, reddit & reincorporat penitus per præſentes, quorum omnium poſſeſſionem vacuam, liberam, expeditam nihilo minus illi qui talia bona tenuerint & tunc tenebant, debeant ac etiam teneantur infra dictum quadrimeſtre a die probationis vel citationis, monitionis ſeu requiſitionis vt ſupra fiendæ, libere, totaliter & cum effectu vacua & expedita relaxaſſe & dimiſiſſe eccleſiis, menſis, monaſteriis, hoſpitalibus, locis, & aliis perſonis huiuſmodi, ad quas ante conceſſiones prædictas ſpectabant & pertinebant, & nunc ſpectant & pertinent, ſeu ſpectare & pertinere poſſunt, ſub pœnis, bannis & cenſuris, & aliis vt ſupra, quas incurrent ipſo facto, & a quibus abſolui non poſſint, niſi prius ſatisfecerint & reſtituerint, vt ſupra continetur. Et nihilo minus liceat prælatis, capitulis, conuentibus ac rectoribus eccleſiarum, monaſteriorum & aliorum locorum huiuſmodi, quorum talia bona fuerunt, & nunc ſunt, eorumque ſucceſſoribus & ſyndicis auctoritate propria, alicuius conſenſu vel licentia minime requiſitis, cautione tamen prius præſtita, vt inferius denotatur, poſſeſſionem illorum intrare, capere & recipere libere & impune, non obſtantibus conſtitutionibus, priuilegiis ſedis apoſtolicæ eius auctoritate conceſſis, factis, concedendis & faciendis, ac impetrationibus ſub quacumque verborum expreſſione & tenoribus conceſſis, & etiam ſi de ipſorum tenoribus expediret facere mentionem ſpecialem de verbo ad verbum, in totum vel in partem, quorum & quarum omnium ipſa ſancta

Synodus hic pro expreſſis, lectis & inſertis haberi vult & decernit: nec non præſcriptionibus, conſuetudinibus & aliis contrariis & repugnantibus, aut quouis modo huic conſtitutioni de cetero nequaquam obſtantibus quibuſcumque. ANNO CHRISTI 1418.

Prædicta quoque, quæ de declarationibus ac reuocationibus huiuſmodi dicta ſunt, non vendicent ſibi locum in infeudationibus, reinfeudationibus, conceſſionibus & locationibus quibuſuis perpetuis, ſolitis ante dictum tempus domini Gregorii papæ XI. fieri & dari in feudum, reuiſendum vicariatum, aut emphyteoſim, & regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, caſtris, villis, locis, territoriis, diſtrictibus & aliis bonis ſeu iuribus huiuſmodi, aliquo vel aliquibus eorumdem, dummodo vtile dominium eorumdem per pacificam tenutam corporalis poſſeſſionis ante huiuſmodi infeudationem, reinfeudationem, conceſſionem, non fuerit cum directo dominio incorporatum & ſolidatum; ac etiam quod canon & cenſus antiquitus ante tempus domini Gregorii papæ XI. pro illis præſtari & dari ſoliti, conſueti ſeu admiſſi, ſi qui præſtabantur, debite perſoluent. Nec etiam locum habeant in venditionibus bonorum, quorum iuſta precia apparebunt & probabuntur, conuentuum & locorum huiuſmodi, quorum (vt præfertur) erant dumtaxat, verſa eſſe in permutationibus factis, verſis in euidentem vtilitatem eccleſiarum, monaſteriorum & aliorum huiuſmodi. Nec locum ſibi vendicent in conceſſionibus per Romanos pontifices pro dotatione in totum vel in partem, ac pro alia quauis ſubuentione aliquarum eccleſiarum cathedralium & aliarum indigentium quarumcumque ciuitatum factis de aliquibus eccleſiis inferioribus & bonis earum, dummodo huiuſmodi ciuitates ab antiquo & ante dictum ſchiſma habuerint famam, titulum & nomen ciuitatis, & dummodo etiam huiuſmodi conceſſa non fuerint alicuius eccleſiæ cathedralis, ſed ab abbatialibus inferiorum eccleſiarum. Nec etiam ſibi ſortientur effectum in venditionibus, & aliis alienationibus bonorum, hoſpitalium, xenodochiorum & aliorum piorum locorum quorumlibet, quæ hoſpitalia, xenodochia, & pia loca, vt ſunt, ad ſancta Sanctorum ſancti Spiritus in ſaxia de Vrbe, beatæ Mariæ

ANNO CHRISTI 1418.

nouæ de Florentia, de ſcala, de ſeminis, ac de miſericordia, de paradiſo, & ſimilia pro ſuſtentatione pauperum & hoſpitalitate conſeruanda conſueuerunt ab antiquo bona eorum vendere, aut taliter alienare, locare, aut vſumfructum concedere, ſecundum eorum ſtatuta ſeu laudabiles & antiquas conſuetudines pacifice hactenus obſeruatas, priuilegiis etiam antiquitus a Romanis pontificibus quibuſuis religioſorum ordinibus bonorum & rerum huiuſmodi indultis, ac etiam ſuis conſuetudinibus in talibus ab antiquo obſeruatis, in ſuo robore permanſuris. Nec etiam in vicariatibus, gubernationibus & miniſtrationibus, ſeu locationibus aut feudis prouinciarum, terrarum, caſtrorum, locorum, ſeu bonorum huiuſmodi ad tempus nouem annorum, vel abinde infra dumtaxat duraturis: prædictis tamen modificationibus non ſe ad prædicta inuaſa, occupata, vſurpata, capta ſeu (vt præfertur) detenta, aliqualiter extendentibus. Ceterum decreuit præfata ſancta Synodus eadem auctoritate, quod quicumque ex iuſtis & rationabilibus cauſis probauerit legitime ſe, de, aut ſuper regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, caſtris, locis, vel bonis huiuſmodi, vel eorum aliquo, pro preciis perſolutis, vel ex cauſa depoſiti, ſiue mutui, aut alias ex iuſtis cauſis recipere debere a Romana ſeu aliis eccleſiis, monaſteriis, prioratibus, hoſpitalibus vel locis ipſis, ſeu eorum aliquo, aut ex prælatis, ſeu rectoribus eorumdem, occaſione dumtaxat eccleſiarum, hoſpitalium ſeu locorum præfatorum, ad quæ ipſa bona pertinuiſſent vel pertinerent, aliquas florenorum, ſeu pecuniarum ſummas, aut res alias, ac illas verſas eſſe in vtilitatem euidentem eccleſiarum ſeu monaſteriorum aut locorum huiuſmodi, quod facta coram loci ordinario deductione, aut defalcatione fructuum aut prouentuum perceptorum arbitrio dicti ordinarii loci, ſiue rerum & bonorum de quibus ageretur, ſuper quo ipſius ordinarii conſcientiam onerauerit & onerat, non obſtantibus quibuſcumque conuentionibus, ſeu pactis initis, vel adiectis, etiam auctoritate apoſtolica, vel alia quomodolibet roboratis, ac iuramento vallatis, maxime quoad probandum precia, res vel pecunias, verſa eſſe in euidentem vtilitatem, vel quorum talia bona fuiſſent, ſeu vt fructus in ſortem computare quis minime te-

neretur, aut quod faceret fructus suos, seu aliis contrariis & aliter disponentibus quouis modo, ecclesia, seu monasterium, hospitale vel locus huiusmodi residuum, quod declaratur ad restituendum illi qui soluisset, aut eius heredibus, seu ius vel causam aut titulum suum habentibus, infra annum a die talis declarationis continue computandum, vel ad huiusmodi bona obligata vsque ad satisfactionem, vt infra declaratur, ipsis creditoribus restituendum, pro dicto residuo declarato, eo ipso prælatus, capitulum, conuentus ac rectores talis ecclesiæ, monasterii, hospitalis vel loci, cuius vel quorum (vt præfertur) ipsa bona erant, sub pœna excommunicationis sint adstricti. Et nihilo minus pro securitate creditorum super satisfactione huiusmodi, nullus ex prælatis & aliis supradictis possit aut debeat per se aut per alium possessionem talium bonorum intrare, capere vel retinere, nisi idonea cautione prius per ipsos præstita coram loci ordinario, ipsius vel ipsorum creditorum, & huiusmodi ordinario recusante, coram loci ordinario debitoris de eo quod ab ecclesiis, monasteriis, hospitalibus, vel locis aliis, seu personis supradictis ratione declarationis huiusmodi tenerentur habere creditores ipsi infra dictum annum persoluendo, bona quoque talibus vendita, pignorata, seu aliter obligata, alienata, vel vt supra concessa, illis vsque ad satisfactionem specialiter obligata remaneant & existant. Si autem infra dictum annum satisfactio quantitatis declaratæ facta non fuerit, (vt præmittitur) præuiis tribus protestationibus, diuersis diebus per creditores, seu eorum procuratores factis, præfatis capitulis, conuentibus aut rectoribus huiusmodi super dicta satisfactione, saltem infra mensem a die primæ protestationis facienda: tunc lapso dicto mense liceat huiusmodi creditoribus, aut heredibus, ius vel causam, seu titulum habentibus ab illis, per se vel procuratores suos auctoritate propria possessionem bonorum huiusmodi intrare, capere, ac illa tenere & possidere, fructusque & emolumenta ex illis percipere. Deducendo tamen de sorte ipsius debiti quousque eidem fuerit de quantitate huiusmodi debiti, vt præfertur, declarata integraliter satisfactum, ita tamen prouiso circa præmissa & quodlibet prædictorum, quod pro debito Romanæ vel

ANNO CHRISTI 1418.

ANNO CHRISTI 1418. alterius cathedralis vel inferioris ecclesiæ, hospitalis, aut pii loci, prælatus, rector, siue alia persona huiusmodi, nisi solitum pro sua ecclesia, hospitali, & pio loco, in cuius euidentem vtilitatem dumtaxat probabiliter, vt præfertur, precium & valorem versum esse fideiubere, vel alias cautionem de debitis declaratis, vel alias minime præstare teneatur: nec huiusmodi bona pro aliis debitis quoquo modo remaneant obligata, nec etiam de ipsis restitutio & redintegratio, vt supra est declaratum, quouis modo valeat nec debeat retardari. Ceterum quia lex salubris præteritis intendit & futuris casibus prouidere, decernit ipsa sancta Synodus eadem auctoritate, quod de cetero præmissis & infra scriptis nulla feudatio, locatio, donatio, venditio, permutatio, pignoratio, obligatio, siue quæuis alienatio, aut declaratio, de aut super regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, castris, locis, iuribus ac iurisdictionibus, seu bonis prædictis, aut aliquo eorumdem auctoritatibus huiusmodi, seu earum aliqua, vel alias sine expressa deliberatione Concilii generalis, vel saltem prouincialis, cum euidenti tamen vtilitate ecclesiæ & pii loci huiusmodi fieri possit, vel debeat, quouis colore quæsito, seu iam facta confirmari, extendi vel prorogari, aut de nouo concedi quouis modo. Saluo, quod locationes vsque ad prædictum tempus nouem annorum, vel abinde infra, & non vltra, tam apostolica quam ordinaria auctoritate valeant celebrari, cum dicta præstatione tamen census soliti siue rationabilis. Ita tamen, quod fiant cum euidenti vtilitate huiusmodi, tam per Romanum pontificem, quam per prælatos & rectores secundum iuris scripti formam, etiam infeudationes, emphyteoticæque concessiones, occupationes & reuocationes de bonis feudalibus ac emphyteoticis ante dictum tempus Gregorii vndecimi infeudari solitis, ad ecclesias, monasteria, hospitalia, vel pia loca huiusmodi quomodolibet deuolutis & deuoluendis in posterum, cum modificationibus infra scriptis pro censu & canone solitis, aut adauctis ante præfatum tempus Gregorii vndecimi, & non de aliis, aut aliter vllo modo possint etiam fieri concessiones vicariatuum, gubernationum & administrationum, regnorum, prouinciarum, ciuitatum, terrarum, castrorum, locorum præfatæ ecclesiæ Romanæ, quæ

ante huiuſmodi tempus concedi in vicariatum ſeu adminiſtrationem per Romanam eccleſiam conſueuerunt per Romanos pontifices ad tempora nouem annorum, & abinde infra, & non vltra, cum reſponſionibus, canonibus & cenſibus conſuetis, melioratis ſeu adauctis ante tempus præfatum, hoc addito, declarato ac reſeruato, quod vicariis non ſoluentibus eidem Romanæ eccleſiæ cenſum ac canonem debitum in terminis appoſitis, vel ſaltem infra menſem poſt lapſum terminum, eo ipſo abſque aliqua declaratione ad cenſum & canonem duplicatos perſoluendos præfatæ Romanæ eccleſiæ teneantur ac adſtricti ſint. Et ſi primum & duplicatum cenſum ſeu canonem prædictos infra alium menſem ſequentem non ſoluerint, ipſo facto ſententias, banna & pœnas huiuſmodi incurrent. Si autem infra ſemeſtre a lapſu primi termini præfati ſolutionem huiuſmodi non fecerint de cenſu & canone, vt præfertur, ipſo iure cadant ab omni poſſeſſione vicariatus, gubernationis & adminiſtrationis huiuſmodi, & conceſſa ad liberam ordinationem Romani pontificis & Romanæ eccleſiæ præfatæ deuoluantur, & deuoluta ipſo facto intelligantur eſſe, & ſint cum omni rerum integritate & cauſa. Et illud idem intelligatur ſeruari, & fiat in & de vicariis, gubernationibus & adminiſtrationibus prouinciarum, ciuitatum, terrarum, caſtrorum & locorum aliorum quorumuis, eccleſiarum, monaſteriorum, hoſpitalium & locorum aliorum prædictorum, & cuiuſlibet eorumdem. Præmiſſa quoque extendantur ad ſolutionem feudorum, bonorum emphyteoticorum, & aliorum locatorum reſponſiones quouis titulo, tam ad Romanam, quam ad alias eccleſias, monaſteria & loca alia ſupraſcripta, communiter vel diuiſim, prout de cenſibus & canonibus vicariatuum prædictorum ſuperius continetur. Diſtrictius nihilo minus inhibens, ne qua prorogatio, ſeu noua conceſſio vicariatuum, gubernationum ſeu adminiſtrationum huiuſmodi de regnis, prouinciis, ciuitatibus, terris, caſtris & locis dictæ Romanæ eccleſiæ fieri poſſit aut debeat, niſi de conſilio & aſſenſu Romanorum pontificum & dominorum collegii ſanctæ Romanæ eccleſiæ cardinalium, eorum ſcrutatis votis, vel ſaltem per duas partes dicti collegii in concordia, & non niſi pro euidenti cauſa, ſtatu & honore

ANNO CHRISTI 1418.

ANNO CHRISTI 1418. honore ecclesiæ præfatæ : ita tamen , quod debeant ipsi cardinales in literis apostolicis vel contractibus desuper factis , vna cum Romano pontifice propriis manibus se subscribere , adinstar antiquorum priuilegiorum apostolicorum in perpetuum. Et si aliter , secus , seu alio modo in præmissis & infra scriptis omnibus & contentis in præsenti capitulo , vel circa ea facta , seu declarata etiam motu proprio , & de cardinalium consilio seu consensu , seu alias , & apostolica vel quauis alia auctoritate , non teneant ipso iure , & nullum ius contrahentibus vel recipientibus aliter acquiratur. Et nihilo minus vicarii ipsi , gubernatores & administratores , & alii recipientes , quouis nomine nuncupentur , vel titulo , vel modo , etiam si sponte concederentur , vel alias contrarium facientes , ipsos processus , banna , sententias & pœnas ipso facto se nouerint incurrisse : concessionibus , constitutionibus , priuilegiis apostolicis , ac aliis quarumcumque personarum , nec non consuetudinibus & aliis quibusuis in contrarium facientibus , nequaquam obstantibus. Hoc sane intellecto , quod modificationes ipsæ suprascriptæ , & ipsarum aliqua , aliis qui tenent & tenuerunt regna , prouincias , ciuitates , terras , castra , siue alia bona , vt in alio infra scripto capitulo continetur , scilicet , inuasa , occupata , capta , seu (vt præfertur) detenta , non valeant in aliquo suffragari : quinimo ad plenarie restituendum , reddendum , & ad alia faciendum (vt in eodem capitulo continetur) protinus sint adstricti.

Ex eodem Concilio Constantiensi , quando soluenda sit , siue deneganda decima.

CVM paterna pietas filiis hominum prouidere debeat, licet in casu necessitatis vrgentis valeat vicissitudo laudabilis , declarat sancta Synodus , non licere Romano pontifici indictiones siue exactiones quascumque super ecclesiam vel ecclesiasticas personas imponere per modum decimæ , vel alio quouis modo. Si vero cum necessitas acciderit papæ , qua esset eidem debite subueniendum , vocato generali Concilio , secundum quod expediens videbitur & vtile , secundum decretum Concilii prouideatur eidem.

Vide supr. sess. 43.

MODVS OBSERVANDVS IN PVBLICA SESSIONE CONCILIORVM GENERALIVM,

ANNO CHRISTI 1418.

Practicatus & obseruatus in Concilio generali Constantiensi.

PRIMO in locò vbi tenetur sessio, celebrabitur Missa solennis de Spiritu sancto quocumque tempore per cardinales, vel alium prælatum ad hoc deputatum. Qua Missa durante, omnes prælati suis habitibus consuetis sunt induti, & sedent in loco dictæ sessionis secundum suas dignitates & prærogatiuas. Prædicta autem Missa finita, omnes prælati in eadem sessione existentes induunt se pluuialibus, & habent mitras albas, solo præsidente vel celebrante in Concilio excepto, qui habet mitram auriphrygiatam & gemmatam ac notabiliter ornatā. Qui quidem præsidens vel celebrans, associatis diacono & subdiacono, ac aliis multis in habitibus ecclesiasticis, sedet in cathedra in medio chori, habens dorsum ad altare, & vultum ad alios prælatos. Prælatis igitur sic indutis & ornatis, cantores cantant antiphonam: Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos Domine. Versus: Saluum me fac Domine, quoniam intrauerunt aquæ vsque ad animam meam. Gloria Patri & Filio & Spiritui sancto. Qua antiphona cantata, diaconus clamat alta voce: Orate. Quo dicto, omnes prælati flectunt genua, & per aliquod interuallum orant sub silentio secundum deuotiones suas. Et postquam in illa oratione per aliquod competens interuallum steterunt, idem diaconus iterum clamat alta voce: Erigite vos. Et tunc omnibus prælatis surgentibus & stantibus, ipse præsidens vel celebrans etiam erectus, hanc dicit orationem alta voce.

Oremus. ORATIO.

Adsumus, Domine sancte Spiritus, adsumus, peccati quidem * immanitate detenti, sed in nomine tuo speciali- * immensitate
ter aggregati. Veni ad nos, adesto nobiscum, dignare illa-

ANNO CHRISTI 1418. bi cordibus nostris : doce nos quid agamus, quo gradiamur : ostende quid efficere debeamus, vt te auxiliante, tibi in omnibus complacere valeamus. Esto * salus, suggestor & effector iudiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre & eius Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse iustitiæ, qui summe diligis æquitatem : vt sinistrum nos non ignorantiæ trahat, non fauor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat : sed iunge nos tibi efficaciter solius tuæ gratiæ dono, vt simus in te vnum, & in nullo deuiemus a vero : quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, & in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Amen.

* solus

Prædicta vero oratione finita, cantores Concilii incipiunt antiphonam, Exaudi nos Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum, &c. vt supra. Qua antiphona cantata, omnes (vt præmissum est) flexis genibus orant. Et facto paruo interuallo, diaconus iterum dicit alta voce : Erigite vos. Tunc omnibus erectis, præsidens vel celebrans dicit iterum hanc orationem.

Oremus. ORATIO.

Mentibus nostris, quæsumus Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis iustitiam, vt hic a te in nullo dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita exequamur in factis. Per Dominum, &c.

Quibus sic peractis, omnes flectant genua, & diaconus & subdiaconus, vel alii duo ad hoc deputati, ante altare stantes, incipiant litaniam, cantoribus & aliis respondentibus. Et quando venitur ad illum locum, Vt domnum apostolicum; præsidens vel celebrans, qui cum aliis stabat flexis genibus, surgit : & vertens se ad congregationem, & dando benedictionem, cantando ter dicit : Vt hanc sanctam Synodum & omnes gradus ecclesiasticos benedicere, regere & conseruare digneris : cantoribus respondentibus qualibet vice prædicta, Te rogamus, audi nos. Completa vero litania, præsidens vel celebrans dicit : Oremus.

Quo dicto, diaconus dicit: Flectamus genua. Et ſubdiaconus dicit: Leuate. Deinde celebrans dicit hanc orationem: Da, quæſumus, eccleſiæ tuæ miſericors Deus, vt Spiritu ſancto congregata, hoſtili nullatenus incurſione turbetur. Per Dominum, &c. His vero completis, diaconus habens librum ſupra pulpitum inter altare & celebrantem diſpoſitum, accenſis duobus cereis circa ipſum pulpitum, incipit euangelium: *Vos eſtis ſal terræ:* vel quod ad legendum ſibi eſt ordinatum. Quo euangelio perlecto, celebrans primo facit collationem, exhortando omnes & ſingulos ad ſolicitam meditationem & curam Dei, & ſuper omnibus cauſis, propter quas ſacroſancta Synodus eſt congregata. Deinde flexis genibus, incipit alta voce hymnum: Veni creator Spiritus. quem hymnum cantant alternatim exiſtentes in ſeſſione cum cantoribus. Quo hymno ſolenniter & deuote decantato, duo clerici induti ſuperpelliciis & adſtantes præſidenti, dicunt verſiculum: *Emitte Spiritum tuum, & creabuntur.* Et cantores reſpondent: *Et renouabis faciem terræ.* Poſtea celebrans dicit hanc orationem.

ANNO CHRISTI 1418.

Matth. 5.

Pſalm. 103.

Oremus.

Deus qui corda fidelium ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum, qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritus ſancti Deus, per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

Poſtmodum duo prædicti clerici, vel diaconus, vel ſubdiaconus, dicunt: Benedicamus Domino. Et adſtantes reſpondent: Deo gratias.

His autem omnibus completis, idem præſidens, vel celebrans, & omnes alii prælati ſedent, & ponunt mitras in capitibus ſuis. Et tunc vnus prælatorum ad hoc deputatus legit decreta in illa ſeſſione expedienda. Et in eodem ambone cum dicto prælato legente ipſa decreta erant præſidentes nationum tempore Concilii Conſtantienſis, & reſpondebat quilibet præſidens, Placet, pro natione ſua. Præſidens vero generalis in dicta ſeſſione reſpondebat etiam, Placet, etiam pro ſacro Concilio & collegio generali. Decretis vero perlectis, & reſponſo, Placet, & dicto, Te Deum laudamus, cum oratione de Spiritu ſancto,

ANNO CHRISTI 1418. omnes depositis pluuialibus & mitris, resumunt habitus suos consuetos, & recedunt.

Nos igitur præinserta gesta ac decreta, ne cuiusuis impugnationis iaculis subiaceant tẽpore procedente, auctoritate vniuersalis ecclesiæ volumus, statuimus ac decernimus & mandamus, quatenus præfatis decretis & gestis superius insertis, in iudiciis & extra vbicumque producta exhibitaque fuerint, vel ostensa, in omnibus & per omnia stetur, ac fides plenaria adhibeatur, perinde ac si bulla eiusdem Constantiensis Synodi bullata forent; nec ad illorum probationem aliud adminiculum quomodolibet requiratur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ voluntatis, statuti, decreti & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei & vniuersalis ecclesiæ se nouerit incursurum. Datum Basileæ pridie Nonas Februarii, anno a natiuitate Domini MCCCCXLII.

Subscripta gesta & decreta sacri Concilii Constantiensis, concordatis cum volumine & tenore sub bulla sacri Concilii Basileensis plumbea bullatis, & manibus propriis dictorum dominorum deputatorum subscriptis, facta collatione per me Michaelem Galteri notarium ipsius sacri Concilii Basileensis, redacta in nonaginta octo chartis seu foliis, præsenti in numero huiusmodi computato.

Ego Ioannes Huober ex Nederdorff, quam alias Villam bassam vocant, * Bixnensis diœcesis, artium liberalium magister, & sacræ theologiæ baccalaureus, sessiones & decreta sacrosancti magni & generalis Concilii Constantiensis præscripta, ab exemplari authentico collationato, & bulla plumbea pendente in chordula serici roborato, in vno missionis Spiritus sancti in specie columbæ, in altero vero lateribus horum verborum, Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, sculpturas supra in principio depictas continente, & præfata chordula sericea per omnes chartas inferioris marginis transeunte, manu propria descripsi atque consummaui, decimo Kalendas Iulii, anno a natiuitate Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo.

*Brixien.

IN

[a] CONCILIVM [b] CONSTANTIENSE [c] œcumenicum, [d] ex parte approbatum, [e] ducentorum quinquaginta episcoporum, [f] causa schismatis tollendi celebratum [g] annis Domini MCCCCXIV. MCCCCXV. MCCCCXVI. MCCCCXVII. MCCCCXVIII. ANNO CHRISTI 1418.

NOTÆ.

Quis Concilium indixerit.

[a] *Concilium.*] Hanc Synodum a Ioanne vigesimoprimo, vulgo vigesimotertio, inchoatam, atque a Gregorio duodecimo, qui verus & legitimus pontifex erat, approbatam & confirmatam esse, acta Concilii manifeste attestantur. Qua occasione autem indicta, & Constantiæ celebrata fuerit, Gobelinus Cosmodromius cap. 90. ætatis sextæ refert his verbis: *Interea Ioannes papa Concilium generale in vrbe celebrare decreuit, quod Alexander prædecessor eius in tertio anno post Concilium Pisanum supradictum decreuerat celebrandum. Sed prælatis non venientibus in copia quam rerum poscebat grauitas, illud Concilium non sortiebatur effectum. Cumque istis temporibus nonnunquam literæ apostolicæ, in quibus de Vrbano, Bonifacio, Innocentio, Gregorio, Clemente vel Benedicto per tempora schismatis præterita super papatu contendentibus supradictis fuit mentio facienda, statutum fuit, vt nullus eorum in dictis literis papa simpliciter, sed cum hac determinatione, in sua obedientia, nominaretur.* Et paulo infra de loco & tempore indicti Concilii subiungens ait: *Et tunc in mense Decembri Concilium in Calendis Nouembris deinde proxime venturis indixit: locum tamen Concilii non determinauit. Quapropter duos cardinales ad regem Romanorum tunc in Italia moram trahentem, ad concordandum de loco destinauit: qui simul in ciuitatem Constantiensem consenserunt. Et post hoc papa & rex in Laudensi ciuitate conuenientes, locum eumdem pro Concilio generali celebrando approbarunt.* Hæc Gobelinus prædicto loco.

Constantia.

[b] *Constantiense.*] Sic dictum a Constantia, quæ est vrbs Germaniæ sub diœcesi Moguntinensi, sita ad lacum Podamicum, vulgo *Bodensee* dictum, ad Rheni eam partem, qua Heluetios respicit. A Constantio imperatoris Constantini Magni patre, vel a Constantino II. Constantini Magni filio muris cincta, indeque nomen sumpsisse putatur. *Hæc Hadrianus in suo Theatro vrbium.*

Oecumenicum.

[c] *OEcumenicum.*] Quod propter materiam schismatis tollendi vniuersam ecclesiam concernentem indictum fuerat, cuique quatuor patriarchæ cum archiepiscopis & episcopis infra recensendis interfuerunt, œcumenicum fuisse Concilium nulli dubium esse debet.

An & quo modo sit approbatũ.

[d] *Ex parte approbatum.*] Quoad ea nimirum, quæ ibidem ad fidem pertinentia contra Vuiclefium, Hussum, Matthæum Dresdensem

ANNO CHRISTI 1418.

& Hieronymum Pragensem decreta & promulgata leguntur, vt dicemus infra sessione 45. & vltima. Quæ vero de auctoritate Concilii supra pontificem constituerunt, sententia Florentini & Lateranensis Conciliorum plane reprobata sunt.

[e] *Ducentorum quinquaginta episcoporum.*] De numero episcoporum, aliisque nonnullis qui Concilio interfuerunt, ita Cochlæus libro 2. historiæ Hussitarum : *Anno Domini* 1414. *inchoatum fuit Concilium istud, veniente Constantiam primum Iordano cardinale, Ostiensi episcopo, pridie Idus Augusti. Quem e Bononia secutus Ioannes papa XXIII. 5. Calendas Nouembris Constantiam magna celebritate ingressus est, in festo apostolorum Simonis & Iudæ, cum cardinalibus nouem : vt iuxta tenorem bullæ conuocationis Concilii prima die Nouembris sacra Synodus auctoritate apostolica inciperet de negotiis fidei & ecclesiæ tractare. Sigismundus rex in vigilia natiuitatis Christi Vberlingam veniens cum coniuge sua, per lacum Constantiensem nauigio properauit inde ad ciuitatem, vt interesset Missarum solenniis. Sub mediam igitur noctem Constantiam ingressus, primam Missam celebrante papa, ipse diaconi habitum indutus, legit euangelium alta voce :* Exiit edictum a Cæsare Augusto. *Nec multo post aduenerunt alii quoque principes & prælati, in tanta sane frequentia, vt aliquando triginta millia equorum vno eodemque tempore Constantiæ fuisse tradantur. Adfuerunt namque patriarchæ 4. cardinales 29. archiepiscopi 47. episcopi 160. Et cum his abbatum, præpositorum, priorum, & omnis generis clericorum ingens numerus. Sæcularium præterea principum, comitum, baronum, nobilium, & oratorum maxima multitudo. Vnus enim Ludouicus comes Palatinus Rheni, & dux Bauariæ, cum 400. archiepiscopus vero Moguntinus cum 600. equis aduenisse legitur. Rex Sigismundus patriæ misertus & cleri catholici in Bohemia, per fratrem Vuenceslaum effecit, vt Ioannes Hus sub saluoconductu & fide publica ipsius Sigismundi regis Constantiam in Concilium mitteretur. Hus itaque a Concilio citatus (vt ait Albertus Krantz) non detrectauit venire. Non enim arbitrabatur, se suis auditoribus & clientibus satisfacere posse, si iudicium recusaret ecclesiæ. Posteaquam vero Constantiæ coram Synodo comparuit, dati sunt ei commissarii a Concilio (iam enim propter vnionem in ecclesia constituendam papatui renuntiauerat Ioannes XXIII. publice in ecclesia coram rege ac tota patrum Synodo) in sessione sexta, quatuor in theologia magistri, archiepiscopus Ragusinus, pro natione Italica : episcopus* Flebbiensis, pro natione Germanica : magister Vrsinus Taluenda, pro natione Gallicana ; & magister Guillermus Comes, pro natione Anglicana : vt causam eius examinarent, & in illa procederent vsque ad diffinitiuam sententiam inclusiue.*

Inchoatio Concilii.

Numerus episcoporum.

Luc. 2.

Ingens celebritas Concilii.

Albertus Krantz in Vandal. lib. 10. c. 23.

Commissarii a Concilio dati in causa Hus.

* f. Leodien.

[f] *Causa schismatis tollendi.*] Ob causam tollendi schismatis hanc Synodum præcipue indictam fuisse patet ex actis Concilii, atque ex iis quæ ex Gobelino & Cochlæo supra recitaui. Non fuisse hanc Synodum ob Hussitarum hæresim principaliter indictam, Cochlæus initio libri 2. historiæ Hussit. his verbis testatur, probat & demonstrat : *Non fuit Concilium Constantiense principaliter ob eam*

hæresim vel indictum vel celebratum. Hæresis enim illa satis superque confutata & condemnata iam olim fuerat in multis Conciliis contra Berengarium celebratis. Deinde in diuersis Conciliis & Romanorum pontificum decretis, ac sanctorum patrum determinationibus, habitis & promulgatis contra barbariem & hypocrisim indoctæ facis & colluuiei Vualdensium, Leonistarum, Dulcinistarum, Albigensium, &c. Denique ipsius Vuicleffi dogmata quamplurima fuerant iam sæpe damnata publice, tum in Anglia per Concilium prouinciale, & per determinationem clarissimæ vniuersitatis Oxoniensis, in qua ferunt ducentos sexaginta articulos eius doctrinæ damnatos fuisse: tum Romæ in Concilio generali sub Ioanne papa XXIII. & Parisiis per almam facultatem theologicam, atque etiam Pragæ nominatim quadragintaquinque articuli, & quidem multis modis ac seueris eorumdem dogmatum prohibitionibus & publicis interdictis, per almam vniuersitatem Pragensem generaliter vno omnium nationum consensu, per totam nationem Bohemicam specialiter, per facultatem theologicam solenniter; atque etiam per regem, per proceres & per senatum in prætorio maioris vrbis Pragensis, acriter & cum terribili prohibitionis seueritate. Quid ergo opus erat, nouum propter antiquitus damnatos & nuper publice præiudicatos articulos indicere Concilium? maxime, cum Hus & complices sui dicerent contemptim, Conciliorum decreta humanas esse constitutiones & traditiones, de quibus dicat Saluator Matth. 15. Quare & vos transgredimini mandata Dei, propter traditiones vestras? Non fuit igitur præcipua indicendi Concilii causa, hæresis & factio Bohemorum, ex Vuicleffi doctrina exorta, vtpote per tot retro sæcula longe lateque nota ac prædamnata, atque etiam ab ipsismet Bohemis ante paucos annos præiudicata publice, tum in scholis, tum in prætorio. Vicit tamen patres Sigismundi Romanorum & Hungariæ regis instantia & persuasio, petentis atque orantis, vt in Concilio iam congregati Bohemorum saluti consulerent, si paucos eorum seductores & hæresiarchas, scripturis & rationibus conuictos, in tam celebri doctissimorum hominum conuentu, ad reuocandos errores, & ad ecclesiæ veritatem pristinam agnoscendam inducerent. Erat enim memor & pietatis paternæ, quæ sic auxerat in Bohemia Dei cultum; & querelarum Suinconis archiepiscopi, qui pro conseruanda patriæ religione opem eius paulo ante implorauerat, Vuenceslao fratre per ignauiam cuncta negligente. Ceterum præcipua indicendi Concilii causa fuit, grauis ecclesiæ vniuersalis perturbatio, per schisma dedecorosum & abominabile, quod triginta annis pias fidelium mentes male vexauerat, dum cardinalium discordia plures eodem tempore personas in Romanos pontifices eligeret. Eo enim tres dicebantur papæ a diuersis. Longo sane tempore durauerat schisma, dum alius Romæ, alius Auenione crearetur a cardinalibus papa. Ad quod ab ecclesia tollendum scandalum, cardinales Pisanum indixerunt Concilium, vt inter Benedictum XIII. & Gregorium XII. discerneretur, vter eorum verus & legitimus esset Petri successor. Vtroque autem contumaciter absente, creatus ab eis fuit Alexander V. quo intra annum defuncto Bononiæ, electus fuit Ioannes XXIII. Cui adhæserunt ambo fratres, Vuenceslaus & Sigismundus reges, hic Hungariæ, ille Bohe-

ANNO CHRISTI 1418.

Vide acta Concilii Constant. sess. 6.

Petitio Sigismundi imp.

Schisma graue ac diuturnum.

ANNO CHRISTI 1418.

Bohemiæ; vterque insuper regis Romanorum titulum gerens. Quamuis enim Vuenceslaus depositus esset per electores, tamen quoad vixit, regem Romanorum & Bohemiæ se scripsit. Pro eo igitur tollendo schismate, Sigismundus Romanorum & Hungariæ rex, nondum factus imperator, paternæ pietatis æmulator, maximos subiit labores & sumptus itinerum. Eius enim rei gratia peragrauit primo Italiã, deinde Gallias, Hispaniasque & Angliam. In Italia sane a Ioanne XXIII. obtinuit, vt Concilium indiceret Constantiæ celebrandum, in quo postea effecit, vt reiectis omnibus tribus qui papæ auctoritatem sibi arrogabant, vnus legitime in Concilio crearetur papa, Otho cardinalis de Columna, dictus Martinus V. Qua de re sic habet in vita Sigismundi Baptista Egnatius. Illud autem nulla vnquam ætas obliuiscatur, quod triennium magnam Europæ partem ipse peragrarit, dum principes Christianos ac pontifices adit, quo schisma Christiano nomini calamitosissimum tolleretur. Nec alterius principis opera magis enituit in vera pietate vindicanda. Vnde & ex actis illius Concilii facile constat, longe plus fuisse negotii tum patribus, tum principibus in tollendo schismate, quam in confutanda Bohemorum hæresi, quæ toties confutata fuerat prius. Quippe inter XLV. sessiones eius Concilii (quod triennio durauit) quinque tantum reperiuntur, in quibus de hæresi illa tractatum fuisse legitur. Etenim in sexta commissa legitur causa Ioannis Hus quatuor theologiæ magistris, & citatus Hieronymus de Praga. In octaua damnati leguntur articuli Ioannis Vuicleff iam pridem defuncti. In decimaquinta damnatus & combustus legitur Ioannes Hus. In decimanona recitatur reuocatio Hieronymi de Praga. In vigesimaprima, eiusdem condemnatio. Cetera omnes sessiones illius Concilii alias pertractauerunt materias.

Actorum synodaliũ compendiosa relatio.

Qua ratione autem schisma diuturnum ab ecclesia profligatum, Hussitarumque hæreses, crematis auctoribus, earum condemnatæ fuerint, ex actis Concilii aliisve probatis scriptoribus more nostro summatim describam.

Sessio I.

Prima sessio quæ post accessum Ioannis papæ ad quintam Nouembris indicta, sed propter emergentes causas dilata fuerat, habita est decimasexta Nouembris anno 1414. in qua post recitatam bullam conuocati Concilii, notarii, scribæ, aliique ministri synodales deputati & constituti fuerunt; monitusque ad resignandum & cedendum papatui Ioannes, se id facturum vltro spopondit.

Sessio II.

Secunda sessio habita fuit 1415. die Martis tertia Martii, indictione octaua eiusdem pontificatus, in qua lectis solennitatibus quæ in sessionibus obseruari deberent, Ioannes papa iurato promisit se propter bonum pacis pontificatui promptissime renuntiaturum, si idem Gregorius duodecimus & Benedictus decimustertius antipapa facere non recusarent. Quod cum fecisset, eique imperator magnas gratias egisset, magno omnium gaudio sacer patrum consessus secundus finem accepit.

Sessio III.

Tertia sessio habita fuit vigesima sexta mensis supradicti, in qua Florentinus cardinalis, præmissa quadam adhortatiuncula ad episcopos habita de personis in iudicando non accipiendis, iuxta

deliberationem ſanctæ Synodi promulgauit, hanc Synodum legitime conuocatam, & Conſtantiæ inchoatam vſque ad extirpationem ſchiſmatis, nequaquam a pontifice diſſolui, vel alio transferri poſſe aut debere: quodque prælatis citra cauſam iuſtam a Concilio diſcedere non liceat. ANNO CHRISTI 1418.

Seſſio IV. Quarta ſeſſione trigeſima Martii eiuſdem anni habita, declaratur, Concilii auctoritatem pontificia ſuperiorem eſſe; ipſique papæ prohibetur, ne perſonas hic congregatas transferat vel auocet: ſimulque annullantur omnes proceſſus & cenſuræ, quas pontifex Concilio adhærentibus intentauerat. Inſuper decretum fuit, vt tres iudices de qualibet natione eligantur, qui abeuntium cauſas diiudicent: & vt pro bono pacis facilius obtinendæ nulli cardinales noui creentur. Ioannes qui interea Conſtantia diſceſſerat, per literas in publico patrum conſeſſu lectas & ad imperatorem directas nuntiauit, ſe nullo metu, ſed tantum aeris intemperie coactum Conſtantia diſceſſiſſe, factæque promiſſioni adhuc inhærere.

Seſſio V. Quinta ſeſſio habita fuit die Sabbati ſexta Aprilis eiuſdem anni, in qua repetitis & approbatis conſtitutionibus quinque præcedentium ſeſſionum promulgatis, declaratũ & approbatum eſt, Ioannem illicite Conſtantia diſceſſiſſe, tenerique eumdem ſub pœna depoſitionis adimplere, quod de reſignando pontificatu promiſerat: quodque recuſans Conſtantiam redire, corporalibus pœnis & vinculis innodari poſſit ac debeat. Poſt hæc confirmata eſt ſententia Concilii Romani in Ioannem Vuicleffum eiuſque libros pronuntiata. In cauſa autem Ioannis Huſ conſtituti ſunt quatuor iudices commiſſarii, qui aſſumptis ſecum theologiæ Canonumque ſacrorum peritiſſimis viris, dogmata illius diſcutiant, & proceſſum contra eumdem dirigant, deque ſingulis actis poſtea Synodum informent. Poſt hæc rogatu Synodi in ſe recepit rex Sigiſmundus, quod pontificem in Schaffhauſen ſub tutela Friderici Auſtriaci degentem, volentem, nolentem, ad Concilium reducere velit.

De aduentu Hus, vide Cochlæum.

Seſſio VI. Sexta ſeſſio habita fuit præſide Ioanne Oſtienſi epiſcopo, in qua de mandato Concilii epiſcopus Atrebatenſis duos articulos edidit. Et primo quidem decreuit, procuratorium ſuper renuntiatione papatus facienda eſſe bonum pro vnione eccleſiæ. Secundo declarauit, prædictum dominum Ioannẽ papam vigeſimumtertiũ teneri dare & facere dictum procuratoriũ ad cedendum papatui pro bono vnionis eccleſiæ, iuxta formam ſchedulæ per ipſum oblatæ: conſtituitque ſancta Synodus diuerſarum nationum legatos, qui taliter a Concilio conſtituti requirant papam, vt veniat ad Conciliũ, afferantque ipſi ſecuritates debitas, quatenus vel ad vrbem Conſtantiæ, vel ad villam Vlmæ, vel ad villam Rauenſpurg, vel ad ciuitatem Baſileenſem accedat, iuretque, vnum de dictis locis eligere infra duos dies, nec ab eo abſque conſenſu Concilii diſcedere. Inſuper quoque decernunt, quod ſuperſederi debeat a proceſſu contra papam, donec habeatur reſponſio: & ſi præmiſſa adimpleuerit, ceſſabitur a citatione. Inhibuit quoque ſancta Synodus, ne quis vllo modo contra quemcumque in

ANNO CHRISTI 1418.

ciuitate Constantiensi famosos libellos sub pœna carceris conficiat. Mandat vlterius, literas & missiuas informatorias rerum in Concilio gestarum omnibus nationibus communicari. Post hæc recitatæ sunt duæ epistolæ: quarum alteram vniuersitas Parisiensis ad suos legatos; alteram eiusdem academiæ rector ad episcopos Italiæ transmisit. Ad extremum decreta est citatio contra Hieronymum Pragensem. Plura Gobelinus habet.

Septima sessio celebrata fuit anno 1415. die Iouis 2. Maii, in qua Henricus de Piro Concilii promotor allegans contumaciam Hieronymi Pragensis citati & non comparentis, contra eum vlteriora decerni petiuit, & impetrauit. Accusata deinceps Ioannis papæ fuga & contumaci absentia, eumdem citari, metumque mali alicuius alleganti & prætendenti, saluumconductum concedi obtinuit. Sessio VII.

Octaua sessio habita fuit quarta Maii anni eiusdem, in qua post reproductam citationẽ contra sectarios Vuicleffi emanatam, lecta fuit sententia damnationis articulorũ quadragintaquinque. Vuicleffum hæreticum fuisse, adeoque ossa eiusdem exhumari & ab ecclesiæ sepultura efferri, nec non libros eiusdem comburi debere, publico decreto est definitum. Cumque hac eadem sessione Fridericus dux Austriæ in gratiam Sigismundi regis recipi optaret, rex vero ob iuramentum præstitum de illo nunquam in gratiam recipiendo, petitioni illius non acquiescerет, synodali sententia definitum fuit, regem allegato iuramento non obligari; eoque non obstante posse ac debere pœnitentem Austriacum in gratiam recipere. Qua definitione præuia, rex Sigismundus Friderico Austriaco veniam concessit sub istis conditionibus, vt Ioannem papam ad Concilium reduceret, se suaque dominia regiæ maiestati subiiceret, seque nihil vnquam simile deinceps admissurum esse promitteret. Accepit conditiones oblatas, publico instrumento conceptas, & sigillo suo munitas, Fridericus dux Austriæ. Sessio VIII.

Sessione IX. quæ habita fuit decimatertia Maii, procuratores Concilii citationis contra Ioannem papam factæ executionem reproduxerunt, accusataque eius contumacia, petierunt commissarios deputari, coram quibus in hac causa testes produci & examinari possent. His peractis, Franciscus cardinalis Florentinus bullam pontificiam recitauit, qua Ioannes papa Petrum Cameracensem & Guillelmum sancti Marci presbyteros procuratores constituit. Cumque illi oblatũ munus ex parte recusassent, & Henricus de Piro promotor Concilii dixisset, in causa hac personali & curiali procuratorem admittendum non esse, tandem mandatum fuit duobus cardinalibus & quinque prælatis, vt eumdem viua voce extra portam vrbis citarent. Qua re peracta, lecta est epistola vniuersitatis Parisiensis, qua se Concilio commendatam exoptat. Sessio IX.

Sessione X. quæ sub præsidio Ioannis patriarchæ Antiocheni celebrata fuit decimaquarta Maii, anno 1415. ad instantiam Henrici de Piro promotoris Concilii citationẽ præcedenti die contra Ioann em papam ad suspensionem vsque procedi petentis, requisitus est iterum Sessio X.

extra portas pontifex Ioannes cum ſuis fautoribus. Cumque facta citationis executione nemo compareret, inſtante prædicto promotore Concilii Henrico declaratus eſt contumax; examinatiſque teſtibus ſuper ſimoniæ, ſacrilegii, aliiſque quæ illi obiiciebantur criminibus, communi omnium ſuffragio lata & publice recitata eſt contra eum ſententia, qua ab omni adminiſtratione & functione eccleſiaſtica ſuſpenſus fuit. ANNO CHRISTI 1418.

Seſſio XI. Seſſione XI. quæ celebrata fuit decimaquinta Maii, anno 1415. promotores Concilii plus minus ſexaginta crimina articulatim congeſta vna cum deſignatione teſtium deſuper examinandorũ, contra Ioannem papam exhibuerunt. Quos cum decreto ſynodali Ioannes papa ad reſpondendum ſibi inſinuatos accepiſſet, reſpondit, ſe neque articulos ſibi obiectos negare, neque dicta teſtium impugnare; ſed potius ſe totum ſynodali iudicio & definitiuæ ſententiæ ſubiicere: oblatam initio papatus ceſſionem voluntariam iterum nunc offerre; Synodum Conſtantiæ legitime congregatam errare non poſſe, libenter profiteri & agnoſcere, adeoque plane obtemperaturum ſententiæ, qualemcumque patres Concilii protulerint & promulgarint: ſaltem hoc ſe rogare dixit, vt quam poſſet fieri primum, copiam latæ ſententiæ aſſequeretur.

Crimina papæ obiecta ſummatim deſcribit Gobelin.

Seſſio XII. Seſſio XII. habita eſt vigeſimanona Maii: in qua reproductis iis quæ Ioannes papa deputatis a Synodo commiſſariis ſuper obiectis criminibus reſponderat, ad inſtantiam promotorum Concilii lata eſt contra eum ſententia definitiua, qua ille pontificatu deponitur, omneſque Chriſti fideles ab eiuſdem obedientia abſoluuntur. Poſt latam ſententiam conſtitutum fuit, ne quiſquam ex tribus ſchiſmaticis pontificibus de nouo eligeretur. Sententiam ſibi per quoſdam a Concilio deputatos inſinuatam Ioannes quondam pontifex approbauit, eique realiter & cum effectu cedendo papatui obtemperauit.

Seſſio XIII. Seſſione XIII. anno Domini 1415. die Sabbati decimaquinta Iunii celebrata, poſt conſuetas preces habitas, promotores Concilii allegarunt, reperiri inter ſacerdotes Petrum Dreſdenſem & Iacobellum Miſnenſem Ioannis Hus ſocios, (ita Cochlæus) qui laicis non ieiunis poſt cœnam euchariſtiam ſub vtraque ſpecie porrectam diſtribuebant, ſimulque contra antiquiſſimam eccleſiæ conſuetudinem publice docebant, cuilibet etiam laico in participatione, ſumptione & communione huius ſacramenti vtramque ſpeciem panis & vini neceſſario diſtribuendam eſſe. Quæ cum eccleſiæ conſtitutionibus & conſuetudinibus repugnarent, eorum petitione ex quatuor nationibus diuerſis conſtituti ſunt cognitores iudices, qui habita deſuper deliberatione communi voto & ſuffragio patrum Concilii, erroneam & hæreticam doctrinam de euchariſtia extra ſacrificium ſub vtraque ſpecie neceſſario ſumenda damnauerunt, ſimulque ſacerdotibus omnibus inhibuerunt, ne ſub pœna excommunicationis vlli homini vtramque ſpeciem panis & vini communicent.

Seſſio XIV. Seſſione XIV. quæ habita fuit die Iouis quarta Iulii, Ioannes Dominicus cardinalis ſancti Sixti, & Carolus de Malateſtis, a Gregorio

ANNO CHRISTI 1418. XII. ad id constituti, auctoritate eiusdem Gregorii congregatum ob causam tollendi schismatis synodalem patrum consessum approbarunt. Cumque iudicio patrum intellexissent, magis expedire, vt Gregorius papatum resignet prius, quam hac de causa Benedictus antipapa solicitetur, pacis conciliandæ gratia, pontificatum quem ille legitima electione acceperat, resignauit. Resignatione ista per Synodum acceptata, patres Concilii cardinales vtriusque obedientiæ vniuerunt, atque processus iisdem intentatos, cassos atque irritos reddiderunt. De electione autem noui pontificis constituerunt, ne cardinales citra consensum Concilii hac in re aliquid moliantur, neque tamen vltra finem Concilii electio differatur. Insuper etiam declararunt, acta & gesta Gregorii duodecimi rata seruari debere, vtpote qui legitime electus, solius pacis gratia pontificatui vltro cessit. Et quamquam dignus iudicaretur, qui denuo post factam resignationem eligeretur: tamen ad maioris schismatis periculum euitandum, illud intermittendum esse sunt protestati.

Sessione XV. sexta Iulii habita, Ioannes Hus de hæresi accusatus & conuictus, ex carcere in consessum patrum introductus, altoque sedili, vt ab omnibus videri posset, constitutus fuit. Cumque sub pœna excommunicationis & incarcerationis patres Concilii singulis silentium indixissent, Henricus de Piro Concilii promotor & procurator, Hussiticam doctrinam articulatim congestam producens, petiit eamdem tamquam prauam & hæreticam vna cum auctore condemnari, eiusque libros igni adiudicari & concremari. Qua petitione præuia, post longam inquisitionem damnatis prædictis hæresibus, combustisque pernicioſis codicibus, degradatus est auctor hæreseos; nolensque resipiscere, iusto iudicio per rogum & incendium e viuis est sublatus. Circumstantias rei gestæ apud acta Concilii nequaquam extantes plures describit Cochl. lib. 2. histor. Hussit. SESS. XV.

Sessio XVI. habita est vndecima Iulii, eaque constituti sunt procuratores, qui Benedictum antipapam requirant, acceptisque de resignatione Gregorii duodecimi, & depositione Ioannis vigesimitertii, instrumentis vel eorum copiis, eumdem facilius inducant. Potestas citandi eos qui clam se a Concilio subduxerunt, iudicibus deputatis conceditur; & ad instantiam Henrici de Piro contra turbatores, prædones & spoliatores personarum quæ Concilio interfuerant, processus decernuntur. SESS. XVI.

Sessione XVII. die decimaquinta Iulii celebrata, rex Sigismundus ad regem Aragonum pro inducendo ad resignandum Benedicto decimotertio antipapa schismatico profecturus, non nisi plurimis precibus & orationibus Deo commendatus, est dimissus, statuta pœna excommunicationis in eum, qui pia de causa abeuntem impediret. Contra vero quadraginta dierum indulgentiæ concessæ sunt ei, qui pro felici reditu eiusdem regis singulis Dominicis diebus vnam orationem dominicam cum salutatione angelica sub processione hac de causa etiam celebranda oraret. Angelus de Corario quon- SESS. XVII.

dam Gregorius duodecimus, non tantum in numerum cardinalium est relatus, verum etiam perpetuus legatus a latere in prouincia marchiæ Anconitanæ est constitutus. ANNO CHRISTI 1418.

Sess. XVIII. Sessione XVIII. decimaseptima Augusti, editis quibusdam synodalibus constitutionibus, quatuor iudicibus supra nominatis delegata est potestas iudicandi excluſiue vsque ad sententiam definitiuam omnes causas quæ ad Concilium deuoluebantur, quodque corruptores epistolarum synodalium instar eorum qui bullas apostolicas corruperunt, puniri debeant.

Sess. XIX. Sessio XIX. celebrata est vigesimatertia Septembris, in qua Hieronymus de Praga de hæresi accusatus & conuictus, edita fidei professione hæresim suam abiurauit. Franciscanis indultum est, quod teneantur prouinciales approbare, quem fratres communi vel potiore suffragio vicarium siue guardianum sibi elegerunt. Insuper declaratum est a Synodo, non obligari patres Concilii per saluumconductum a sæculari potestate hæreticis concessum, eosque pertinaciter in hæresi permanentes iusto iudicio puniendi potestatem habere. Sitne hæreticis seruanda vel deneganda fides (vt asserunt nouatores nostri temporis) nihil hic est definitum. Inquisitio hæreticorum duobus cardinalibus est demandata, simulque est definitum, eos qui Concilio interessent, omnes beneficiorum fructus iuste acquirere.

Vide Molanum & Sanderum.

Sess. XX. Sessione XX. die vigesimaprima Nouembris celebrata, ad instantiã Gregorii Tridentini episcopi, contra Fridericum Austriæ ducem propter inuasa bona & iura ecclesiæ Tridentinæ decretum & executum est monitorium, approbataque sunt duodecim capita Narbonensia, quæ ad extirpationem schismatis Sigismundus, legatique Constantiensis Concilii, vna cum legatis Benedicti decimitertii Narbonæ constituerant. Quorum primo statuitur, qua forma Concilium conuocari, vel potius de nouo intimari debeat. Secundo, quod in eo tantum agendum sit de schismate extirpando, paceque ecclesiæ ineunda. Tertio, quod statim cum corpore ecclesiæ vniri debeant, qui Benedicto adhæserunt. Quarto, quod omnes processus Benedicti sectatoribus & fautoribus intentati annullari debeant. Quinto, vt confirmentur gratiæ per Benedictum quibusuis personis. Sexto, vt cardinales ad electionem noui pontificis tamquam veri & legitimi admittantur. Septimo, officiales Romæ per eumdem Benedictum constituti non reiiciantur aut deponantur. Octauo, electio alterius pontificis non aliter quam per Concilium fiat. Nono, vtrimque constitutum fuit, vt si fortasse eiusdem tituli duo cardinales constituti essent, vterque quoad vixerit honorifice tractetur & habeatur. Decimo, vt Benedicto, eiusve sectatoribus ad Concilium venire volentibus, de saluoconductu tutoque itinere per regem & sæculares principes prouideatur. Vndecimo, vt rex Sigismundus, omnesque episcopi ea quæ vtrimque concordata sunt, iuramento firment. Duodecimo, ne denegentur instrumenta pactorum, quisquis ea habere voluerit. Quæ duodecim pacis & concordiæ in-

ANNO CHRISTI 1418. eundæ capitula dum post regem omnes episcopi & legati iuramento confirmassent, finita est sessio vigesima.

Sessio XXI. quæ habita est anno Domini 1416. die trigesima Maii, Hieronymus Pragensis, post recantatam emissæ professionis fidei palinodiam, de hæresi est condemnatus: traditusque post solitam degradationem potestati sæculari, combustus fuit. Qua ratione vero illud acciderit, pluribus idem refert Cochl. lib. 3. histor. Hussit. Sess. XXI.

Sessione XXII. decimaquinta Octobris celebrata, legati regis Aragonum ad consessum synodalem intromissi, decretoque patrum debite locati, eas quas de conuocando iuxta initam concordiam Concilio, suppresso nomine Benedicti antipapæ, eius fautores episcopi ad regem Sigismundum scripserant epistolas, recitari procurarunt. Quibus ex ambone recitatis, constitutione synodali legatis regis Aragonum, Castellæ, Portugalliæ & Nauarræ ex gratia & singulari dumtaxat priuilegio pro hac vice tantum est concessum, vt habeant suffragium tantæ auctoritatis, quantum omnium episcoporum suarum prouinciarum valeret. Post hæc impleta sunt ea quæ in capitulis Narbonensibus supra sessione vigesima relatis concordata fuerant. Sess. XXII.

Sessione XXIII. anno Domini 1416. quinta Nouembris celebrata constituti sunt duodecim iudices commissarii, qui vel omnes vel pro maiore parte congregati potestatem habeant decernendi & diiudicandi, qua ratione contra Petrum de Luna, siue Benedictum antipapam, vsque ad perfectam schismatis extirpationem procedatur. Sess. XXIII.

Sessio XXIV. habita est vigesima Nouembris prædicti anni, eaque per commissarios supra commemoratos decreta, lecta & approbata est citatio contra Petrum de Luna emanata. Sess. XXIV.

Sessione XXV. quæ habita est decimaquarta Decembris, comes de Fuxo per procuratores ad id constitutos, ad Concilii vnionem est receptus eo modo quo rex Aragoniæ. Eadem sessione administratio Olomensis ecclesiæ, quæ per obitum Vuenceslai patriarchæ Antiocheni vacabat, decreto synodali commendata est Ioanni episcopo Lutomuslensi, vsque ad noui pontificis electionem. Sess. XXV.

Sessione XXVI. vigesimaquarta Decembris, ad vnionem Concilii per suos ad hoc deputatos legatos & procuratores receptus est rex Nauarræ eo modo quo rex Aragonum. Ne vero diuersorum legatorum consessus Concilio aliquid turbarum afferret, optimo consilio patres constituerunt, nullum præiudicium cuiusquam dignitatibus & honoribus præiudicari debere, quomodocumque legati regum ac principum in Concilio præsentes sederent. Sess. XXVI.

Sessione XXVII. anno Domini 1417. die vigesima Februarii celebrata, facta est relatio executi monitorii nuper contra Fridericum Austriæ ducem, ad instantiam Tridentinensis ecclesiæ contra ipsum emanati: accusataque eius contumacia, ad vlteriora est processum. Sess. XXVII.

Sessione XXVIII. tertia die Martii, post vlteriores citationes Friderici reproductas, eiusque contumaciam grauissime accusatam, excommunicatus est Fridericus dux Austriæ, donec iura Sess. XXVIII.

Tridentinensis ecclesiæ inuasa, eidem essent restituta. ANNO CHRISTI 1418.

Sess.XXIX. Sessione XXIX. octaua Martii prædicto anno celebrata, in causa contra Petrum de Luna constituti sunt procuratores & notarii. Cumque semel atque iterum citatus idem Petrus de Luna non compareret, iudicio synodali contumax est declaratus, atque vlteriores contra eum citationes decretæ fuerunt.

Sess. XXX. Sessione XXX. decima Martii habita, nuntii & oratores Concilii, qui fuerant a Concilio deputati, de executione citationis contra Petrum de Luna, quem in castro Paniscolæ in propria persona conuenerant, relationem fecerunt: approbatumque est factum regis Aragonum, qui se ab obedientia pseudopontificis Benedicti subtraxerat.

Sessio XXXI. Sessione XXXI. Martii trigesimaprima, ad instantiam episcopi Astensis ecclesiæ, decretum & ex ambone promulgatum est monitorium contra Philippum comitem Virtutum, qui prædictum episcopum vi armata, manuque sacrilega captum carceribus mancipauerat. Baionensi ecclesiæ, quæ tempore schismatis duos episcopos, alterum a Ioanne vigesimotertio, alterum a Benedicto decimotertio constitutum habuerat, sancta Synodus inhibuit, ne in locum defuncti Petri, qui fuerat de obedientia Ioannis vigesimitertii, alium per electionem sufficiat, vnique Guillelmo, quem Benedictus decimustertius nominauerat, deinceps obtemperet.

Sess. XXXII. Sessione XXXII. prima Aprilis post accusatam contumaciam Petri de Luna, nouissime citatus est viua voce pontifex schismaticus. Cumque nemo eius nomine compareret, mandata est causæ discussio iudicibus commissariis, qui habita potestate eumdem peremptorie citandi, testesque examinandi, vsque ad sententiam contra eum procedant.

Sess.XXXIII. Sessione XXXIII. iudices commissarii retulerunt, quod præuia citatione debita, articulos quosdam contra Petrum de Luna oblatos recepissent, eosque probari fecissent; sed nemo eius nomine ad effectum videndi ista comparuerit. Publicatis itaque testium dictis, communicataque illi testimoniorum actorumque aliorum copia, terminum contradicendi peremptorium illi præfixerunt.

Sess. XXXIV. Sessione XXXIV. quinta Iunii, facta est relatio actorum in causa Petri de Luna. Quæ vero sententia in eum ferri ac pronuntiari deberet, singulorum consultationi vsque ad subsequentem sessionem est relictum.

Sess. XXXV. Sessione XXXV. Ioannes rex Castellæ per suos legatos ad id speciali mandato constitutos, iuxta capitula Narbonensia supra recensita, vna cum Concilio vnionem & concordiam iniuit.

Sess.XXXVI. Sessione XXXVI. die vigesimasecunda Iulii decreta, lecta & promulgata est citatio Petri de Luna, ad audiendum sententiam priuationis & depositionis auctoritate Concilii proxima sessione promulgandam. Qua peracta, eadem Synodus legatos regis Castellæ a censuris ecclesiasticis absoluit, quibus eos Petrus de Luna innodauerat.

Sessio-

ANNO CHRISTI 1418. Sessione XXXVII. vigesimasexta mensis Iulii, post reproductas binas Petri de Luna citationes, postque accusatam eiusdem contumaciam, ad petitionem promotoris Concilii lata est in eum sententia definitiua, qua ille pontificatu deponitur, omnesque fideles ab eiusdem obedientia absoluuntur. Sess. XXXVII.

Sessione XXXVIII. absolutio legatis regis Castellæ concessa, ad Henricum infantem aliosque nonnullos extenditur: datumque legatis regis Aragoniæ priuilegium de suffragii sui auctoritate, quam supra commemoraui, iterum reuocatur. Sessio XXXVIII.

Sessione XXXIX. pro euitandis futuris schismatibus constitutum est, vt a fine huius Concilii quinto anno; post illud, septimo; & deinceps decimo quoquo anno generalia Concilia celebrentur: quodque pontifex locum celebrandi Concilii ante finem illius quod habetur, designare debeat, eumque citra iustam causam mutare non debeat. Eadem sessione præscripta est certa formula professionis fidei & iuramenti, quod recens electus pontifex emittere & profiteri debet. Sess. XXXIX

Sessione XL. quæ trigesima Octobris celebrata fuit, constitutum fuit, quod futurus pontifex ecclesiam in moribus reformare, numerum cardinalium supplere & redintegrare, aliaque præcipue ad reseruationes, annatas, collationes & confirmationes beneficiorum, extirpationem simoniæ, dispensationes, indulgentias & decimas concernentia corrigere teneatur: quodque non obstante absentia cardinalium Petri de Luna, ad electionem noui pontificis procedi debeat. Sess. XL.

Sessione XLI. quæ habita est octaua Nouembris anno 1417. post promulgatam formam a cardinalibus in conclaui existentibus super electione pontificis obseruandam, & a Clemente sexto ante hæc tempora constitutam; post emissa iuramenta quæ eiusdem decreto præstare tenentur cardinales, vna cum triginta aliis e quatuor nationibus ad id deputatis conclaue ingressi, Martinum V. elegerunt. Sess. XLI.

Sessione XLII. die vigesimaoctaua Decembris, lecta & approbata est quædam bulla Martini papæ vulgo V. qua Sigismundum regem a custodia Baltassaris de Cossa, quondam Ioannis vigesimitertii, prout ille petierat, liberare, vinctumque ad se transmitti volebat. Sess. XLII.

Sessione XLIII. anno Domini 1418. die vigesimaprima Martii celebrata, Martinus papa constitutiones nonnullas edidit, quibus ecclesiam, prout constitutum fuerat, in iis quæ ad simoniam, dispensationes, fructuum & decimarum perceptiones, vitam honestatemque clericorum pertinent, emendauit & reformauit. Sess. XLIII.

Sessione XLIV. pro futuri post quinquennium (prout supra statutum fuit) œcumenici Concilii celebratione, designata est ciuitas Papiensis. Sess. XLIV.

Sessio XLV. & vltima habita est anno Domini 1418. die Veneris vigesimasecunda mensis Aprilis, qua cum pontifex omnia & singula decreta synodalia materiam fidei concernentia approbas- Sess. XLV.

set, eaque firma fide teneri ac doceri præcepisset, omnibus & singulis ibidem existentibus suffragio totius Concilii abeundi licentiam concessit.

g *Anno Domini.*] Quo tempore Synodus inchoata & finita fuerit, prima & vltima sessione patet. Quando autem indicta fuerit, supra verbo, *Concilium*, ex Gobelino & Cochlæo prolixius enarraui.

VITA MARTINI PAPÆ III. VVLGO V.

Anno Christi 1417.

MARTINVS vulgari opinione huius nominis V. ex illustri Columnensium familia natus, per Innocentium VII. cardinalis creatus, post interregnum biennii, ipso festo sancti Martini anno Domini 1417. tempore Sigismundi factus est pontifex optimus: in quo humanum se maxime, prudentem, iustum, & in omnibus suis actionibus exercitatissimum exhibuit. Legatum qui antipapæ Petri de Luna conatus reprimeret, ablegauit: per quem dum nihil emendaretur, insipienterque in sua opinione perseueraret, ab iis qui partes eius tuebantur, merito desertus fuit. Instituit, vt certis temporum interuallis Concilia celebrarentur, ne antipapæ alioquin occasionem arripientes, Synodos ipsi etiam cogere assuescerent. Rogantibus imperatore & Gallis, vt in Germania remanere vellet, nullo modo acquieuit. In Italiam reuersus, Philippum ducem Mediolanensem cum Pandulpho Malatesta, ac deinde cum Venetis amicitiæ fœdere religauit. Braccium Mantuanum, qui plurima patrimonii ecclesiæ loca occupauerat, excommunicauit. Verum is postea sanis Florentinorum persuasionibus inductus, sese humiliauit, ac proinde per pontificem in gratiam receptus, sua opera & industria, ecclesiæ stipendiis militans, Bononiam recuperauit. Eodem tempore Martinus Bononiæ existens, a Baltassaro Cossa olim pontifice, salutandi, atque eidem se submittendi causa, inuisitur. A Romanis reuocatus non ante rediit, quam Florentiam metropolitanam declarasset, ecclesias Volaterranam, Pistorienſem & Fiesolensem, auxilii & subsidii loco eidem annectens. Romam veniens tanta cum omnium lætitia & exultatione receptus est, vt is dies qui in decimum Ka-

Anno Christi 1417. lendas Octobris incidebat, pro festo sit habitus. Exinde vrbem ipsam quæ multis in locis ruinam minabatur, reparare aggressus est. Nouembri subsequente, Tiberis alueo suo egressus tantopere excreuit, vt plurima damna vrbi intulerit. Temporibus iisdem Romam superuenit Ludouicus Andegauensis, qui a pontifice regno Neapolitano donatus est, non sine graui Alphonsi Aragonensis animi perturbatione: qui hanc ob causam legatos ad Senense Concilium misit, vt Petri de Luna causam promoueret. Cui machinationi pontifex vt obuiaret, Concilium dissolui curauit, aliudque post septennium indixit. Quantum potuit afflixit Braccium, qui ecclesiæ statum interturbabat. Bohemos hæreticos, a quibus catholici diuexabantur, compescuit. Lucensibus, quos Florentini dura obsidione premebant, per vicecomites opem ferri procurauit. His peractis, aliquas vrbis ecclesias reparauit, cardinalesque creauit. Pacem cum Alphonso composuit, qui post obitum Petri de Luna alium antipapam eligi mandauerat. Sed eum exauctoratum Martinus episcopatu auxit. Ad extremum, vbi in collatione beneficiorum, aliisque omnibus suis actionibus iudicium suum, prudentiam & integritatem manifestasset, obiit decimo Kalendas Martii, anno Domini millesimo quadringentesimo trigesimoprimo, cum sedisset annos tredecim, menses tres, dies decem: cum in Laterano sepultus fuisset, sedes duodecim diebus vacauit.

Anno Christi 1420.

CONCILIVM SALTZBVRGENSE PROVINCIALE

In causa fidei ac morum sub Eberhardo archiepiscopo Saltzburgensi, circa annum Domini MCCCCXX. tempore Martini papæ V.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ Trinitatis, Patris & Filii & Spiritus sancti. Amen.

Eberhardus Dei & apostolicæ sedis gratia archiepiscopus Saltzburgensis, apostolicæ sedis legatus, ad perpetuam rei memoriam.

DEVS omnium creaturarum fabricator, post infinita sæcula creaturas ad extra suæ caritatis volens esse

participes, ad ipsius imaginem & * pulcritudinem humanam condidit creaturam, perfectam, in naturalibus illustratam, & cunctis adornatam virtutibus, & ratione rectissima regulatam; quibus felicitatem poterat possidere perpetuam, si in originali iustitia perstitisset. Sed hostis antiquus tantæ, quam amiserat, felicitati inuidens, hominem tot donis & virtutibus præfulgentem sua calliditate traxit ad vetita. Cui homo primus assentiens, cum tota sua ipsius posteritate in singulis suis virtutibus vulneratus, mortalis effectus, cœpit infinitis, nedum corporis, sed etiam animi incommodis & miseriis laborare. Hinc & homicidia, hinc & mala innumerabilia per appetitum noxium, procliuem ad malum, orbem repleuere terrarum. Sed in horum remedium miserationum Dominus regulas ad honeste viuendum, quibus homo felicitatem recuperaret perditam, nedum per ora prophetarum & principum, & ipsorum legatorum, sed etiam sacratorum præsulum prouinciæ Saltzburgensis, in solicitudinis partem vocatorum prædecessorum nostrorum, pro directione gregis ipsis crediti diuinitus promulgauit. Quæ licet saluberrima extitissent, temporum tamen exigente malitia, qua vniuersalis Dei ecclesia monstruoso & pestifero schismate fere sex lustris miserabiliter lacerata, a memoria hominum ex quadam dissuetudine exularunt. Hinc delinquentium impunitas præbens veniam delinquendi, effecit, vt effrenata cupiditas & facilitas veniæ, tam in clero, quam in populo, nostræ prouinciæ decorem pristinum in moribus per difformitatem vitæ denigrarint. Sed quia dies sanctificationis illuxit, qua Romana & vniuersalis ecclesia iam vnico & indubitato gubernatur pastore, tempus est, vt ex debito pastoralis officii, quod dudum in votis gessimus, ad reprimendum tot conatus noxios, ad sanandum infirmos, ad alligandum confractos, ad corrigendum excessus, ad reformandum mores, prouidis statutorum remediis assurgamus.

ANNO CHRISTI 1420. * similitudinem

Hinc est quod nos Eberhardus præfatus, Albertus Ratisponensis, Hermannus Frisingensis, Engelmarus Chiemensis, Vlricus Seccouiensis, Volfhardus Lauentinensis, cum venerabilium fratrum nostrorum absentium, Patauiensis, Brixiensis, Gurzensis, ecclesiarum episcoporum,

ANNO CHRISTI 1420. procuratorum; & * venerabilium abbatum & aliorum prælatorum, & totius sacri Concilii Saltzburgensis approbatione, consilio & consensu, omnia & singula statuta reuerendissimi patris & domini domini Guidonis tunc sancti Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis, & reuerendi patris & domini domini Ioannis episcopi Tusculani, apostolicæ sedis legatorum, dum in nostra prouincia legationis officio fungerentur; & reuerendissimorum patrum & dominorum diuæ memoriæ Friderici, Chunradi, Pilgrini, sanctæ Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscoporum ac legatorum sedis apostolicæ, prædecessorum nostrorum, edita in ipsorum prouinciis seu Conciliis prouincialibus, innouamus, & obseruari præcipimus. Quibus nouis morbis emergentibus noua remedia adhibentes, statuta subscripta, de venerabilium fratrum nostrorum prædictorum & totius prouinciæ approbatione, ordinamus & statuimus, volentes & præcipientes, easdem nostras constitutiones ab omnibus & singulis nostris suffraganeis, & eorum subditis firmiter obseruari & publicari in ipsorum Synodis, copiasque illarum petentibus decernimus sub petentium sumptibus & expensis.

* religiosorum

I.

De summa Trinitate & fide catholica, ex Concilio domini Eberhardi.

De summa Trinitate, quæ propter sui exquisitissimam & probatissimam perfectionem, ac clarissimam & lucidissimam veritatem, adiectione vel declaratione vlla non indiget: ad quam in primis, tamquam principium, medium & finem salutis omnium, corda nostra, manus & oculos eleuemus deuoti: nihil aliud est credendum, tenendum & docendum, nisi quod Romana credit, tenet & docet ecclesia, piissima, sanctissima, & prudentissima mater nostra: ita tamen, vt omnes prælati articulos fidei principales fideliter suos subditos laicos doceant simpliciter credere, sicut ecclesia: * ecclesiasticos vero, explicite & distincte.

* clericos

Item statuimus, vt si aliquis clericus, vel laicus vtriusque sexus, cuiuscumque dignitatis, religionis vel status existat, ausus sit præsumptione damnabili publice præ-

dicare, aut occulte docere, credere, vel tenere, quod sacerdos in mortali peccato existens non possit conficere corpus Christi; seu, sic ligatus, non possit soluere vel ligare suos subditos a peccatis; pro hæretico & incredulo habeatur. Quem errorem huius sacri Concilii approbatione damnamus, anathematizamus, & penitus reprobamus; cum sacræ scripturæ dicat auctoritas, quod siue bonus, siue malus sit minister, per vtrumque Deus effectum gratiæ confert. Non enim, quæ sancta, coinquinari possunt; nec ipsa sacramenta propter hominum malitiam profanari. Vnde sacerdos, quantumcumque pollutus existat, diuina non potest polluere sacramenta, quæ purgatoria cunctarum contagionum existant. Licite ergo a quocumque sacerdote ab ecclesia tolerato diuina mysteria audiantur, & alia recipiantur ecclesiastica sacramenta. ANNO CHRISTI 1410.

Damnatione simili reprobamus quorumdam opinionem erroneam, asserentem, episcopum, presbyterum seu sacerdotem curatum non posse absoluere presbyteros fornicarios a fornicationis reatu propter votum castitatis: Inhibentes, ne quisquam de cetero prædictam opinionem sub pœnis prædictis docere, tenere aut dogmatizare quoquo modo præsumat publice vel occulte.

II.

De Constitutionibus.

Frustra sanctorum decreta Canonum antiquis fuissent ordinata temporibus, si illorum executio negligatur. Hinc est, quod nos Eberhardus Dei & apostolicæ sedis gratia Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopus, apostolicæ sedis legatus, statuta Romanorum pontificum de celebrandis prouincialibus Conciliis & episcopalibus Synodis diligenter cupientes obseruari, ordinamus, quod nostrum prouinciale proximum Concilium a festo sancti Augustini proxime futuro ad annum indicimus publice, & intimamus in hac ciuitate metropolitana nostra Saltzburgensi, per nos, Deo concedente, aut nostros procuratores solenniter celebrandum; nisi ex emergente causa, vt puta, guerræ, pestilentiæ, aut alia, duxerimus locum immutandum. Quam mutationem loci etiam congruo tem-

ANNO CHRISTI 1420. pore noſtris literis intendimus publicare. Ad quod conueniendum exnunc ſub pœnis infra ſcriptis euocamus, citamus & requirimus omnes & ſingulos noſtræ prouinciæ ſuffraganeos, & alios quoſcumque, qui de iure vel conſuetudine ad prouinciale Concilium ire tenentur. Statuentes denique pro vlteriori Canonum executione, ſacro approbante Concilio, vt ſinguli ſuffraganei noſtræ prouinciæ, qui per annum per ſeipſos, vel alium, in caſu quo legitime non fuerint impediti, omiſerint celebrare Synodos epiſcopales, a pontificali officio, nec non ab omni exercitio iuriſdictionis eccleſiaſticæ per ſe vel per alium ſint ipſo iure ſuſpenſi; eorumque iuriſdictio eccleſiaſtica, & illius liberum exercitium ad capitulum ſeu eccleſiam deuoluatur, & deuoluta perſiſtat; omniaque & ſingula emolumenta iuriſdictionis ad ipſum capitulum pertineant, in publicam ipſius eccleſiæ, non ſingularium perſonarum vel officiorum vtilitatem, donec huiuſmodi *aggregauerint, Synodos *congregauerit, conuertenda. Adiicientes, quod ſub pœna præmiſſa, omnes & ſinguli noſtræ prouinciæ ſuffraganei infra hinc & feſtum ſancti Iacobi proxime venturum, ſuas Synodos in ſuis diœceſibus ſtudeant celebrare. In quibus de corrigendis exceſſibus, & reformandis moribus, præſertim in clero, cum Dei timore agatur, viſitationes faciant, vel fieri procurent, maxime monaſteriorum ordinis ſancti Auguſtini canonicorum regularium, & ſancti Benedicti, in certis partibus, heu, nimium collapſorum, iuxta canonicas ſanctiones: quod & nos in noſtra diœceſi Saltzburgenſi fieri procurabimus, vt exhibeamus nos noſtris fratribus in exemplum. Si vero dicto tempore ſuſpenſionis durante, ſuffraganei noſtri, vel alter eorumdem exercitio dictæ iuriſdictionis eccleſiaſticæ per ſe vel per alium ſe immiſcuerit, aut capitulum *circa prædicta *contra præmiſſa impediuerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrat. Quod ſi per annum alium integrum ſuffraganei noſtræ prouinciæ Concilium ſynodale conuocare ſeu celebrare neglexerint: (quia creſcente contumacia creſcere debet & pœna) contra *tales dictos temerarios violatores Canonum & noſtrarum conſtitutionum ſequenti prouinciali Concilio, aut Concilio generali, ſi illud celebrari contigerit, de remedio prouidea-

tur opportuno, iuxta canonicas ſanctiones. Suffraganei vero noſtri, & alii, qui de iure vel conſuetudine ad prouinciale Concilium ire tenentur, niſi congruo ſe tempore perſonaliter præſentauerint, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, niſi tali neceſſitate & impedimento legitimo præpediti fuerint; extunc per procuratores ſuos legitimos comparere teneantur ſub pœna prædicta. Durentque Concilia prouincialia per duodecim; & epiſcopales Synodi per tres dies; niſi agendorum exigentia prolixius aut præciſius tempus expoſcat. ANNO CHRISTI 1418.

Inſuper ſacro approbante Concilio ordinamus, vt omnes & ſinguli noſtri ſuffraganei in proximis ipſorum Synodis per ſingulas diœceſes, prout & nos in noſtra proxima Synodo Saltzburgenſi ordinabimus ſub pœna ſuſpenſionis a pontificali officio, ſtudeant perſonas idoneas, probas videlicet & honeſtas, in teſtes publicos ſiue ſynodales ordinare, qui per totum annum ſimpliciter & de plano abſque vlla iuriſdictione ſolicite inueſtigent, quæ correctione & reformatione ſint digna; & ea fideliter referant ad prouinciale Concilium aut Synodum epiſcopalem, vt correctione digna animaduerſione congrua puniantur.

Ad reformationem quoque ordinum ſancti Auguſtini canonicorum regularium, & ſancti Benedicti noſtræ prouinciæ, cura officii paſtoralis attendentes, ſacro approbante Concilio, ordinamus præſidentes capitulis antedictis, videlicet de ordine ſancti Auguſtini canonicorum regularium *, dominum præpoſitum metropolitanæ eccleſiæ Saltzburgenſis, monaſterii beatæ Mariæ virginis Nuiburgæ Patauienſis diœceſis præpoſitos; de ordine vero ſancti Benedicti religioſos monaſterii ſancti Petri ciuitatis Saltzburgenſis, & in Nidernaltach Patauienſis diœceſis abbates: quibus plenam concedimus poteſtatem citandi & euocandi, per cenſuras etiam eccleſiaſticas, omnes & ſingulos abbates, præpoſitos, priores, & quoſcumque alios ordinum prædictorum, qui ad capitula ipſorum prouincialia conſueuerunt conuocari, aut de iure vocari debebunt. Super quibus ipſis decernimus per cancellariam noſtram fieri literas opportunas, qui in euentum negligentiæ epiſcoporum, ſuffraganeorum noſtrorum, ſi ſuas Synodos non celebrauerint in termino ſuperius * expreſſo,

* dominos, rectius.

* M S. expreſſato,

ANNO CHRISTI 1420. presso, & emendanda & corrigenda in omnibus & singulis monasteriis ordinum prædictorum nostræ prouinciæ non correxerint & emendauerint diligenter, teneantur singuli suum capitulum prouinciale in loco apto suorum monasteriorum, in festo sancti Michaelis proxime futuro, conuocare & celebrare, ibique agere de reformatione ordinum & monasteriorum iuxta institutiones dictorum ordinum, & canonicas sanctiones: iure tamen ordinariorum in omnibus semper saluo. Dictaque capitula prouincialia prædictorum ordinum de triennio in triennium per prædictos ordines districte præcipimus in nostra prouincia celebrari. In casu etiam diligentiæ, quo nostri suffraganei etiam suas Synodos celebrauerint, fecerintque diligentiam suam pro reformatione ordinum præfatorum, nihilo minus tamen volumus & ordinamus, ac districte præcipimus, vt præsidentes superius nominati debeant & teneantur de triennio in triennium, incipiendo a fine præsentis Concilii, sua capitula celebrare: liberumque sit præsidentibus sæpe dictis terminum præfatum pro suis celebrandis capitulis præuenire.

Ordinamus denique, sacro approbante Concilio, & in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipimus & mandamus omnibus & singulis abbatibus, abbatissis, præpositis, prioribus, priorissis, & aliis, quibus cura & administratio monasteriorum vtriusque sexus dictorum ordinum nostræ prouinciæ est commissa; quatenus infra hinc & festum Pentecostes proxime futurum, debitum pastoralis officii sui diligenter impendant, ipsos præcipue ad tria substantialia ordinis, videlicet proprietatis abdicationem, obedientiæ exhibitionem, & castitatis obseruationem reducendo, prohibendo * congressus sine causa rationabili, & ingressum personarum suspectarum: ac obseruent, & a suis subditis faciant obseruari, vt diuinum officium diurnum pariter & nocturnum deuote iuxta regulas dictorum ordinum celebretur. In aliis vero quæ reformationem monasteriorum & ordinum præfatorum respiciunt, se tales ostendant, quod nobis & suffraganeis nostris ipsos visitantibus, de diligentia quaminueniemus, debebunt merito commendari: scituri, quod si in præmissis, aut eorum aliquo negligentes extiterint,

* egressus

aut aliqui ex subditis præmissorum rebelles & inobedientes inuenti fuerint, contra tales per nos & nostros suffraganeos ad pœnas grauiores procedemus iuxta canonicas sanctiones. ANNO CHRISTI 1420.

III.

De consuetudine.

Consuetudines quæ grauamen ecclesiis inducere * demonstrantur, inualidas publicamus, locorum ordinariis, vt in omnem euentum eis resistant, firmiter iniungentes. * dinoscuntur.

IV.

De renuntiationibus.

Nullus ecclesiam, vel beneficium ecclesiasticum dimittere vel recipere præsumat sine sui superioris auctoritate; quod sub pœna excommunicationis vel suspensionis omnibus firmiter inhibemus.

V.

De scrutinio.

Statuimus, quod nullus ad examen per sacrorum ordinum susceptionem aliquatenus admittatur, nisi recenter confessus fuerit omnia sua delicta idoneo sacerdoti. Et quia pauci sunt, qui sua delicta cum sequelis eorum intelligant, per districtum informatorem debet instrui ordinandus, an expediat sibi ordinari, an vero † irregularitatis alicuius prætextu ei potius sit abstinendum.

† id est, finis alicuius praui & minus recti, & legitimi.

Item quod nullus admittatur ordinandus vel promouendus ad ordinem super vicaria, (* nisi sit perpetua vicaria) a qua non possit ad inordinatum placitum amoueri. * hac parenthesis clausula in manuscripto Ratisbonensi deest.

Statuimus insuper ad terrorem malefactorum, vt omnes episcopi prouinciæ Saltzburgensis, ac eorum vicarii, quando volunt & debent suis temporibus ordines celebrare, committant expresse examinatoribus clericorum ordinandorum sub anathematis interminatione, vt inter cetera perquirenda, fideli diligentia perquirant, sub obtentu honoris percipiendi a singulis ordinandis, vt si patres, aui, aut progenitores eorum, vsque ad quartam lineam ascendentem, captiuauerint, captiuatum detinuerint, occiderint, aut mutilarint temere

ANNO CHRISTI 1420. clericum aliquem in sacris ordinibus constitutum, & pro clerico se gerentem. Eum vero, quem in aliquo præmissorum affectum per aliquem ipsorum progenitorum vsque ad lineam memoratam inuenerint, si huiusmodi factum sit notorium, non admittant. Prælati quoque, vel eorum vices gerentes, quorum interest inuestire vel instituere præsentatos, ante inuestituram vel institutionem cum summa diligentia de his quærant: & quos tales inuenerint, nullo modo instituant ad aliquod officium vel beneficium ecclesiasticum. Examinatores insuper & prælati, ac eorum vices gerentes, qui secus in præmissis agere præsumpserint, in futurum suspensionis sententia percellantur: alias per locorum ordinarios grauiter puniendi, nisi cum eis fuerit misericorditer dispensatum, & ab huiusmodi reatibus appareant absoluti.

VI.

De filiis presbyterorum.

Nullus illegitime natus ad aliquem sacrum ordinem, vel beneficium aut officium curam habens animarum, sine dispensatione sedis apostolicæ admittatur in aliqua ecclesia sæculari. Et tales qui hactenus sunt admissi, si de his constiterit, per eorum ordinarios repellantur. Alioqui scienter contrarium facientes per vnum mensem ab ingressu ecclesiæ nouerint se suspensos.

VII.

De officio archidiaconi.

Inhibemus episcopis, archidiaconis, prælatis, ac eorum officialibus vniuersis sub pœna suspensionis, quam in omnes facientes contrarium promulgamus, ne subditis suis, aut eis qui litigant, seu litigauerint coram eis, aliquam eis faciant inhibitionem, seu impedimentum aliquod præstent, sub quocumque colore vel modo, publice vel occulte, quo minus causas suas appellationum, seu quascumque alias ad examen superiorum spectantes, *ferre. libere possint *deferre.

VIII.

De officio vicarii.

Et quia ecclesiarum rectores vicariis suis adeo relin-

quunt exiguam portionem, quod ex ea nequeunt sustentari, generali Concilio inhærentes statuimus, vt ipsis vicariis suis sufficiens & honesta portio de prouentibus ecclesiæ assignetur. Alioquin ipsi rectores, si moniti non assignauerint, suis poterunt beneficiis spoliari. Nullusque, sub pœna suspensionis ab officio, intitulatus ad curam animarum, vicariam perpetuam vel * episcopalem, * vel plus beneficii assumere præsumat. ANNO CHRISTI 1420. * temporalem, * similis beneficii

IX.

De officio delegati.

Adhæc plerumque contingit, quod iudices delegati, * ad quos simplices commissiones sub forma communi diriguntur, vltra quam patiantur vires rescripti præcedentis, terras, ciuitates, oppida & villas ecclesiastico subiiciunt interdicto, inuocantes etiam super hoc brachium sæculare. Nos igitur volentes iniquis processibus huiusmodi obuiare, præsenti scripto declaramus de fratrum nostrorum consilio & assensu, quod sacerdotes nostræ ciuitatis, diœcesis & prouinciæ, ad obseruationem seu publicationem sententiarum huiusmodi interdicti minime teneantur; nec inuocationi brachii sæcularis, quam sic faciunt, aliquatenus est parendum. Super interdicto vero ponendo, recurratur ad decretalem extrauagantem, quæ incipit: Prouide attendendum. Et est Bonifacii VIII. cuius tenor sequitur in hæc verba: Prouide attendendum, quod, vt frequentius, quamuis non sine causa, sine culpa tamen multorum, interdicti sententiæ proferuntur: quodque sunt nonnulli iudices nimis prompti ad proferendas easdem, etiam in negotiis, siue causis, quæ interdum plus ex cupiditatis quam caritatis radice perspicuis indiciis procedere arguuntur: quodque interdicti tempore diuina organa suspenduntur & laudes: nec ecclesiastica sacramenta ministrantur, vt solent; tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia, præsertim per oblationē frequentem hostiæ salutaris: adolescentes & paruuli participantes rarius sacramenta, minus inflāmantur & solidantur in fide: fidelium tepescit deuotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericula animarum: præsentis constitu- * seu subdelegati.

In sexto extrauag. commun. l. 5. de sen. excom. c. 2.

ANNO CHRISTI 1420. tionis prouidemus edicto, vt nulla prouincia, ciuitas, castrum, villa, locus, territorium vel districtus auctoritate ordinaria vel delegata supponatur ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cuiusuis monetæ vel pecuniæ quantitate, quacumque occasione vel causa, seu quouis quæsito colore: pro eo maxime, quod ipsorum domini, rectores seu officiales, quocumque nomine censeantur, aut incolæ seu habitatores, aut singulares personæ, ipsorum statutis vel statuendis, ordinatis vel ordinandis terminis huiusmodi debitum seu quantitatem non soluerunt hactenus, aut inantea non persoluent. Nos enim exnunc decernimus irritum & inane, si secus hactenus extitit attentatum, vel contigerit attentari; * illumque reuocamus omnino. Non obstantibus quibuscumque contractibus, obligationibus, pactis, conuentionibus, compositionibus, submissionibus, fideiussionibus, consensibus, processibus & sententiis super hoc habitis vel habendis, iuramentorum, pœnarum spiritualium & temporalium, seu multarum appositione, vel quacumque alia firmitate vallatis: nisi talis suppositio interdicti hactenus foret facta, vel inantea fieret de apostolicæ sedis licentia speciali expressa, per ipsius sedis patentes literas apparente.

* illud quoque: *& rectius.*

X.

De officio ordinarii.

Sacerdos vero quilibet plebem * piam doceat diligenter, vt, cum in celebratione Missarum leuatur hostia salutaris, quilibet Deo deuote flectat genua sua, vel saltem se reuerenter inclinet: idem faciens cum eam portat presbyter ad infirmum, quam in decenti habitu, superposito mundo velamine, ferat manifeste ac honorifice ante pectus cum omni reuerentia & timore, semper nola paruula & lumine, nisi locorum repugnet distantia vel temporis qualitas, præcedentibus, vt ex hoc fides & deuotio apud homines augeantur.

* suam

Cum mos vnicuique gerendus sit, & in diuersis diœcesibus nostræ prouinciæ clerus & populus inueniatur variis vitiis & defectibus laborare, quæ omnia non possunt vna quasi medela curari: Nos, cunctorum saluti no-

ſtri gregis, quantum poſſumus, prouidere volentes, aliqua duximus generaliter committenda; omneſque & ſingulos noſtros ſuffraganeos, qui vna nobiſcum ſuper populum nobis creditum in partem ſolicitudinis ſunt vocati, & de contingentibus apud ipſos in clero & populo, quæ reformatione & emendatione indigent, habent notitiam certiorem, paterna exhortatione requirimus & monemus in viſceribus Ieſu Chriſti, vt gregi ſibi commiſſo præſint verbo doctrinæ pariter & exemplo, ac ſecundum qualitatem temporum, perſonarum & locorum, ea quæ correctione & emendatione indigent, reformare & corrigere, dum ipſos ſuas Synodos celebrare, & ſuas diœceſes viſitare contingit per ſeipſos vel alios Deum timentes, non omittant: in ipſorum paſtorali officio taliter procedentes, vt tollantur ſcandala, euellantur vitia, & populus eis creditus numero & merito augeatur; ne ſubditorum ſanguis in die diſtricti iudicii de ipſorum manibus requiratur: attendant, vt ſint iurium, præſertim contra eccleſiaſtica crimina promulgatorum, & noſtrarum conſtitutionum executores. Vſuras prohibeant, quantum poſſunt; clericorum concubinatum cohibeant nimium ſcandaloſum; prouideant, vt diuinum officium * canonice & debite perſoluatur, vt mendicantes præſentati cum literis ordinariorum in ipſorum mendicitate non grauentur. Vt mendicantes fratres ſuis limitibus contenti, parochiales eccleſias & ipſarum iura non offendant; feſtiuitates ſanctorum nimis multiplicatas reſtringant. Item, quia diuinum officium in eccleſiis cum ſolennitatibus debitis perſoluatur, habeantque archidiaconos, decanos & officiales in iure peritos, habentes peritiam cauſarum; quod tales iuſtitiam * celeriter faciant, præcipue pauperibus: abſtineant ſe, & abſtinere faciant tales ab immoderatis exactionibus circa lites: Quod de monaſteriis ordinum ſancti Auguſtini, canonicorum regularium, & ſancti Benedicti, ſuarum diœceſium iuuenes habiles mittantur ad ſtudium generale: quod beneficiorum permutationes dumtaxat ex cauſis a iure permiſſis admittantur.

ANNO CHRISTI 1420.

* in eccleſiis cũ ſolennitatibus debitis

* in ſcientia celeriter faciũt pauperibus.

ANNO CHRISTI 1420.

XI.

De maioritate & obedientia.

Sacro approbante etiam Concilio ſtatuimus, vt nulli clerici nobilium, capellani in capellis caſtrorum dominorum ſuorum celebrare præſumant, niſi ante epiſcopo, vel loci archidiacono obedientiam faciant manualem, vt ad Synodos veniant & capitula, certis temporibus & ſtatutis mandata eccleſiaſtica recepturi, & ſuis dominis ac eorum caſtrenſibus, ſecundum quod fuerit opportunum, relaturi; cum plebani, in quorum terminis caſtra conſiſtunt, hoc facere frequenter non audeant propter tyrannidem ſuorum dominorum. Quod ſi ſecus quiſpiam facere præſumpſerit, per loci ordinarium vel archidiaconum condigne puniatur. Statuentes etiam ſub pœna excommunicationis iam latæ ſententiæ, diſtricte mandantes, vt ſi quando prædam vel ſpolium rerum eccleſiaſticarum ad diuinum cultum deputatarum, ſeu etiam eccleſiaſticam perſonam captiuam ad aliquam ciuitatem, villam, oppidum, ſeu caſtrum adduci contigerit, ſacerdotes & capellani ciuitatum, villarum, caſtrorum, poſtquam ſciuerint, non expectato ſuper eo * ſuorum mandato, abſtineant a diuinis interim, quoad perſona captiuata, aut res eccleſiaſticæ prædictæ in præfatis locis detinentur.

* *f.* ſuperiorum

XII.

De his qui vi metuque abſoluunt, vel abſoluuntur.*

* *qua vi aut metus causa fiunt.*

Hos qui abſolutionem, vel quamcumque reuocationem ab excommunicatione, ſuſpenſione, vel interdicti ſententiis, per vim vel per metum extorſerint, cum hoc, quod huiuſmodi abſolutiones, reuocationes ſunt irritæ, ſtatuimus & publicamus, excommunicationis ſententiæ ſubiacere.

XIII.

* . . . . . .

Quia clerici & religioſi nonnulli, non attendentes, quantum ſit obedientiæ bonum, quod victimis antefertur, & quod peccatum eſt ariolandi, nolle acquieſcere; & ſcelus idololatriæ, obedire non velle; amiſſionem rerum

ſuarum & corporis, & vanum metum allegant frequenter, ne cogantur mandatum exequi prælatorum. Qui, cum proſperitatis tempore multa bona receperint, laute vixerint de patrimonio crucifixi, imminente neceſſitatis articulo, pro honore illius aduerſitates ſuſtinere detrectant; qui, cum foret ſumme diues, ad obediendum Deo Patri pro ſalute noſtra ſubiit onus voluntariæ paupertatis. Ex quo, propter contemptum clauium eccleſiæ, neruus eccleſiaſticæ diſciplinæ diſſoluitur, & animas miſerabiliter periclitari contingit; ſacra huius Concilii neceſſaria deliberatione ſtatuimus, vt nulla rerum perditio, aut metus corporis, nec legitime probatus, ſubditi inobedientiam, mandatum prælati exequi non curantis, valeant excuſare: adeo, quod ſi metus corporis dumtaxat * ſentienti, proprio iuramento, & non legitimis coram eo, a quo mandatum ſubditus receperit, * oſtenſis fuerit documentis, nihilo minus loco cedat, ne notam tranſgreſſionis incurrere videatur. In his autem quæ in non faciendo conſiſtunt, vtputa, cum mandatur, non communicare excommunicatis, non celebrare in locis interdictis, ac aliis huiuſmodi, omnino nullum, nec rerum, nec corporum, quantumcumque probatus metus excuſat; cum pro nullo metu debeat peccatum mortale committere; quod ex inobedientia ſurgere, ſanctorum auctoritatibus comprobatur.

Anno Christi 1420.

* f. oſtenſus

XIV.

De alienatione *.

* *mutandi iudicii cauſa facta.*

Quia plerumque ceſſiones actionum in fraudem fiunt; aliquando tamen pure & ſimpliciter, ex cauſa legitima: Statuimus, vt ceſſiones actionum, quæ ex iuſtis cauſis vel cauſa procedunt, in præſentia epiſcoporum, iudicum, ſeu officialium ſuorum, de licentia eorumdem, ſi ſubſint legitimæ cauſæ, fiant: iurent etiam cedentes, quod non ſimulate, ſed vere cedant. Alioquin ſecus factas determinamus non tenere.

XV.

De iudiciis.

Et quia quidam propter potentiam, quidam propter crude-

ANNO CHRISTI 1420. crudelitatem magnam personaliter citari non possunt: quidam etiam, quia in castris habitant, ita, quod nulla potest ad eos citatio peruenire: idcirco prouida & necessaria deliberatione statuimus, vt contra tales citationes edictum apud parochialem ecclesiam ipsorum publice & legitime proponatur. Quia, si parochialis sacerdos tales citare non posset metus causa, faciat iuramentum huiusmodi coram aliquo presbytero honesto, qui ipsi iudici de hoc faciat literatoriam fidem. Extunc in cathedrali ecclesia tribus Dominicis continuis publice in ambone citentur, dummodo citandi infra vnam diætam sint a cathedrali ecclesia constituti. Alioquin ad tres quindenas solenniter euocentur. Et extunc contra huiusmodi, a c si personaliter citati fuerint, procedatur, ne ex malitia valeant commodum reportare: propterea quod crudeles homines & peruersi, dum ad forum ecclesiasticum in causis, etiam de quibus ecclesia merito habet agnoscere, a iudicibus euocantur, illius auctoritatis, qua dicitur, Qui honorat missum, mittentem honorat, immemores existentes; nuntios ecclesiasticorum iudicum citatione excommunicationis, vel alias iudiciales & iuris literas defendentes, verbis probrosis, & quandoque duris verberibus quosdam captiuantes, alios interdum suis rebus temere, publice spoliantes, multipliciter afficiunt & perturbant, & impediunt citationes & literarum executiones, in non modicam ecclesiasticæ libertatis contumeliam & iacturam. Considerantes igitur malitiis hominum non esse aliquatenus indulgendum, hoc sacro approbante Concilio duximus statuendum, vt reus nuntios acta iudicialia deferentes per se vel per alium verberans, spolians vel captiuans, lite etiam non contestata, auctoritate etiam huius sacri Concilii habeatur penitus pro conuicto. Actor vero in causa reconuentionis similia perpetrare per se vel per alium non formidans, super instituta contra reum actione amplius nullatenus audiatur. Et insuper vterque, ac omnes alii qui nomine & actione eorum talia facere præsumpserint, vsque ad condignam satisfactionem læso, & iudicibus summaria cognitione super huius fero facto præhabita, percellantur.

XVI.

De foro competenti.

ANNO CHRISTI 1418.

Dudum felicis recordationis Pilgrinus prædeceſſor noſter prouide duxerat ſtatuendum, ne prælatus, vel quiuis alius clericus, alium prælatum vel clericum, aut etiam laicus quamcumque perſonam eccleſiaſticam coram ſæculari iudice trahere vel conuenire, aut tractus ſeu conuentus ſponte & iudicialiter præſumeret reſpondere: alioqui tam trahentes quam tracti, vltra pœnas contra tales a iure promulgatas, excommunicationis ſententiam incurrerent ipſo facto. Verum nonnulli laici ſalutis ſuæ immemores, contra pœnas prædictas, perſonas eccleſiaſticas, etiam ſi pontificali præfulgeant dignitate, ad huiuſmodi iudicia * forenſia & ſæcularia indiſtincte trahere non verentur. Qui quidem iudices ſæculares nec compareant propria in perſona ſic citati, res & bona ſua, atque beneficiorum ſuorum, decernunt in contumaciam inuadenda, ſic, quod ipſi laici exinde, occaſione recepta, bona eccleſiaſtica inuadere & occupare præſumunt in eccleſiaſticæ libertatis detrimentum. Nos huiuſmodi temeritatis audaciam reprimere cupientes, datam conſtitutionem prædeceſſoris noſtri auctoritate huius Concilii de fratrum noſtrorum conſilio innouamus, & extendi volumus ad iudices ſæculares antedictos. Adiicientes, quod ſi quando laicus clericum, ſeu eccleſiaſticam perſonam, cuiuſcumque dignitatis vel conditionis exiſtat, noſtræ Saltzburgenſis, Brixinenſis, Chiemenſis, Seccouienſis & Lauentinenſis diœceſium, ad iudicium ſæculare trahere vel iudicare præſumpſerit, tam diu in territorio trahentis & iudicantis ceſſetur a diuinis, donec de huiuſmodi iniuria ſatisfecerint parti tractæ, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

* *mſ. Ratisp.* fetita pro vetita

XVII.

De vita & honeſtate clericorum.

Etſi per ſacros Canones & noſtrorum anteceſſorum conſtitutiones indecentia in vita & habitu clericorum ſtrictiſſime prohibeatur, noſtri tamen ſubiecti temporibus præſentibus hoc minime attendentes, tam in habi-

ANNO CHRISTI 1420. tu, quam reliquis ad honestatem in sortem Domini electorum spectantibus habenas suas dimiserunt. Nos igitur huic inhonestati clericorum occurrere volentes, nostrorum nihilo minus antecessorum constitutionibus in suo robore duraturis, statuimus, vt quicumque clericus in sacris ordinibus constitutus, vel in minoribus, & beneficiatus tantum, portauerit habitum a sacris Canonibus vel a nostris antecessoribus prohibitum, si monitus fuerit, eo ipso amissionem illius habitus incurrat ipso iure, in aliquod opus pium * conuertendum. Et vt hæc constitutio nostris temporibus effectu non careat, nostris suffraganeis in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione diuini iudicii præcipimus, quod per suas diœceses aliquos discretos & honestos ecclesiasticos viros deputent, qui prædictis clericis, vnica monitione tantum præmissa, præcipiant, vt infra decennium talem habitum deponant, & nullo amplius tempore reassumant. Alioquin ipsum habitum eis publice auferant, etiam violenter, & eum in opus pium conuertant; cum consensu tamen ipsorum diœcesanorum, si habitus ipse notabilis fuerit æstimationis. Alioqui præter talem consensum exequantur, quod in exemplum prædictorum nostrorum suffraganeorum intendimus obseruari.

* conuertendi.

Cum plerique fratres ordinum mendicantium, ac religiosi ordinum aliorum intitulati, &c. ad ecclesias cathedrales suæ religionis habitum absque rationabili causa manifeste non deferentes, ad excusationem in peccatis exemptionis allegando priuilegium, de quo minime oporteret, in animæ suæ periculum & plurimorum scandalum allegando, sicque excommunicationis sententia innodantur, qua ligati, damnabiliter exercere ea quæ sunt episcopalis ordinis non verentur. Nos tantæ temeritati prouidere volentes, sacro approbante Concilio, ordinamus, vt sub pœna suspensionis ab ingressu ecclesiæ, nullus suffraganeorum nostræ prouinciæ in sua diœcesi ad exercendum ea quæ episcopalis ordinis existant, tales titulares episcopos admittat, nisi habitum suæ religionis manifeste deferant, & sint conuersationis laudabilis & bonæ famæ; omnesque tales, cum excommunicati sint, arctius euitent, & faciant eosdem ab aliis ar-

ctius euitari. Nulluſque clericus vel ſcholaris noſtræ prouinciæ ſub pœna ſuſpenſionis ab ordine quem ſuſceperit ab eodem, quam contrauenientes incurrere volumus ipſo facto, ſacros aut minores ordines: nec etiam laici vtriuſque ſexus confirmationis ſacramentum quoquo modo recipere præſumant. Nec inuitentur tales, nec venientes ſponte admittantur ad conſecrandum baſilicas, altaria, aut ad benedicendum quaſcumque res ſacras, niſi de abſolutione ipſorum conſtiterit manifeſte. ANNO CHRISTI 1420.

XVIII.

De cohabitatione clericorum & mulierum.

Ad arcendum concubinatus crimen, vt de clero penitus euellatur, ſummo ſtudio per ſacros Canones eſt prouiſum. Quia tamen tempore, quo vniuerſalis eccleſia monſtruoſe diuiſa perſtitit, modica diligentia adhibita fuit in exequendo eiſdem prouiſionibus, crimen præfatum in multis locis etiam prouinciæ noſtræ, cum maximo catholicorum ſcandalo, totius clericalis ordinis contemptu frequentatur. Cui morbo volentes occurrere, vt debemus, ſacro approbante Concilio decernimus, vt deinceps omnes in ſacris ordinibus exiſtentes, vel etiam in minoribus beneficiati, vel ad religionem aliquam Deo ſponte oblati & obligati, qui concubinatus fœditate caſtitatis votum notorie ſeu publice violarunt, tenendo notorie concubinas, pœnis infra ſcriptis ipſo facto ſubiaceant, vt videlicet ſi habuerunt beneficia ſæcularia vel regularia officia, aut adminiſtrationes, vel dignitates, niſi infra duos menſes prorſus † a ſe remouerint, ipſo iure intelligantur ſuis beneficiis, officiis, adminiſtrationibus & dignitatibus eccleſiaſticis per hanc conſtitutionem priuati. Et poſſunt ipſa beneficia, officia, adminiſtrationes & dignitates prædictæ libere per habentes poteſtatem aliis conferri, impetrari, vel de eiſdem aliis modis eccleſiaſticis prouideri. Si vero beneficiati non fuerint, & concubinas notorie & publice detinuerint, & infra duos menſes a ſe non ſeparauerint, ſint ipſo iure inhabiles ad quæcumque beneficia eccleſiaſtica aſſequenda, pœnis aliis a ſacris Canonibus contra tales editis in ſuo robore duraturis.

† Quæ ſequuntur, ex manuſcripto Ratiſbonenſi ſuppleta ſunt.

ANNO CHRISTI 1420.

XIX.

De institutionibus.

Statuimus, vt nullus clericus ad curam animarum ab episcopo vel archidiacono admittatur, nisi prius iurauerit, quod nullam in adeptione beneficii, ad cuius curam præsentatus est, commiserit simoniam.

Cum decor ecclesiæ, exaltatio fidei, & errorum extirpatio per viros in vtroque iure diuino peritos & humano instructos vt plurimum procurari noscatur; illi, quoniam in prouisione congrua, quæ ad status ipsorum decentiam expediret, stipendiis ecclesiasticis carentes, talentum eis creditum dispensare Dei populo non valentes, lucerna sub modio absconsa non effundit in domo Domini luminis claritatem. Vnde plerumque contingit, vt beneficia & officia ecclesiastica, præsertim quibus onus curæ animarum & ecclesiasticæ iurisdictionis incumbit, minus idoneis prouideantur rectoribus; ex quibus pastoribus desunt pabula, & ouibus deficiunt alimenta. Ad quorum salutare remedium sacrosancta generalis Constantiensis Synodus, saluti nationis Germanicæ prouidere intendens, decretum promulgauit inferius annotatum: Nos spiritualem animarum profectum nostræ prouinciæ, quem pastorali cura dudum concepimus, exequi cupientes, præfatam constitutionem Constantiensis Concilii sacro approbante Concilio publicantes, præcipimus & mandamus, vt institutio prædicta ab omnibus nostris suffraganeis in suis Synodis proxime celebrandis intimetur & obseruetur. Quam exnunc cum singulis in ipsa contentis volumus sub pœna suspensionis a collatione & electione beneficiorum per singulos beneficiorum collatores & patronos firmiter obseruari. Tenor vero constitutionis sequitur, & est talis. Sanctissimus dominus noster papa Martinus V. ad exaltationem fidei catholicæ, &c. Vide informationem ex Concilio Constantiensi de qualitate beneficiandorum, &c. Inuenies, &c.

Quoniam nonnunquam contingit, quod ad vacantem episcopatum, vel aliam prælaturam, aut quodcumque beneficium aut officium ecclesiasticum regulare vel sæculare duo in discordia eliguntur, seu instituuntur, &

alter, qui minore iure vtitur, vt eum cui maius ius est acquisitum, per potentiam vel per tædium fatigare & haurire possit, attrahit fauorem potentium laicorum, quibus, vt ei mutuent & assistant, promissiones facit de beneficiis eorum filiis conferendis, & de iuribus & libertatibus ecclesiasticis remittendis: nos huic morbo occurrere volentes remedio salutari præsentis statuti, huiusmodi promissores, & potentum laicorum attractores volumus ipso iure sententia excommunicationis esse innodatos, & nihilo minus eos fore ineligibiles ad huiusmodi dignitates: mutuatores etiam pecuniarum taliter in hoc casu volumus carere actionibus pro mutuo huiusmodi repetendo. ANNO CHRISTI 1420.

XX.

Vt ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

Quoniam in quibusdam Alamanniæ locis laici fundatores ecclesiarum, vel heredes ipsorum, potestate in qua hucusque ecclesia sustinuit, abutuntur, partem decimarum, vel aliarum obuentionum ecclesiasticarum in beneficiis, in quibus ius obtinent patronatus, sibi retinent ex pacto, * cum præsentantur, clericos; adeo huic vulneri cancerosо & simoniaco censuræ ferrum apponimus, decernentes, vt ex quo aliquid constiterit, pluries eos huius [modi] perpetrasse flagitium, anathemate feriatur, & eius terra ponatur sub ecclesiastico interdicto, donec ecclesiam liberam sub suo iure dimittat, saluo iure patronatus, quod eis de iure reseruamus, cum possint per iuris ignorantiam excusari. Qui vero cæca cupiditate ducti, taliter a patronis beneficia per præsentationem recipere non verentur, officio beneficioque priuentur, nec ad beneficium vel actus ecclesiasticos admittantur, nisi per sedem apostolicam cum ipsis fuerit dispensatum. Episcopi vero, vel archidiaconi, qui talibus scienter curam commiserint animarum, ob institutionem huiusmodi, * beneficiorum collationem, perpetuo sint suspensi, &c.

* *f.* cum præsentant clericos;

* *f.* a benefic. collatione perpet.

Cum beneficia ecclesiastica sine diminutione conferri debeant, quidam ecclesiarum patroni, personis idoneis prætermissis, tales adeo cum præsentant, qui portionem, * quam talibus debeant esse contenti, suis vsibus residuum totaliter applicando. Vnde ad huiusmodi mali perniciem

ANNO CHRISTI 1420. extirpandam, ſtatuimus, quod ſi tales clerici ſe portione debita ſpoliari videntes, ad epiſcopum ſuum querelam non detulerint, auctoritate præſentis Concilii ſint ipſo iure ſuſpenſi; nihilo minus per epiſcopum eiſdem eccleſiis ſpolientur. Si vero ad ſuperiorem ſuper hoc detulerint quæſtionem; ipſe patronum per cenſuram eccleſiaſticam ab huiuſmodi moleſtatione & exquiſita exactionis malitia compeſcat: adiicientes nihilo minus, quod ſi in hac [re] pertinax patronus extiterit, ad præſentationem, &c. eccleſiæ proximo vacauerit, nullatenus admittatur.

Ad noſtrum (quod dolenter referimus) peruenit auditum, quod nonnulli epiſcopi, comites, barones, nobiles, ac eorum poteſtates & officiales, dum aliquam vacare contingit in noſtra prouincia prælaturam, beneficium vel officium eccleſiaſticum, ſtatim gentes inibi mittunt armorum, quæ graues faciunt in ipſis prælaturis vel beneficiis expenſas. Et quod deterius eſt, nonnunquam hi ad quos electio vel præſentatio ſpectat futuri prælati, compelluntur eligere aut præſentare per abuſum poteſtatis ſæcularis, vel potentiæ inordinatæ. Quandoquidem nullatenus admittunt ad poſſeſſionem etiam iam a ſuo ſuperiore confirmatum, donec de certa pecuniæ quantitate concordent cum laicis antedictis, atque perſoluant eamdem. Nos huiuſmodi damnandæ ambitionis audaciam reprimere cupientes, auctoritate huius ſacroſancti Concilii ſtatuimus, vt nullus, quacumque eccleſiaſtica vel mundana, etiamſi pontificali vel ducali præfulgeat dignitate, talia de cetero facere præſumat, per quæ offenditur eccleſiaſtica libertas, & eccleſiæ multipliciter aggrauantur. Quod ſi ſecus actum fuerit, niſi infra menſem a tempore huiuſmodi vacationis reſtituerint aut remiſerint iam promiſſum, quod indebite extorſerunt realiter & cum effectu, ipſos volumus excommunicationis ſententiæ eo ipſo ſubiacere; a qua nullatenus abſoluantur, donec modo ſimili reſtituant extorta: in quibus etiam nulla eorumdem remiſſio vendicat ſibi locum.

XXI.

De emptione.

Nullus prædam aliquam ſcienter emere, vel tenere

præsumat: alioquin, nisi infra mensem prædam ipsam, aut eius æstimationem, si restitutioni non subiaceat, restituat, excommunicationis sententia percellatur. ANNO CHRISTI 1420.

XXII.

De pignoribus.

Ad omnium quoque dubitationem, siue quæstionis materiam amputandam, statuimus, vt, si quis prædium suum, cui ius attinet patronatus, cuiquam obligauerit indistincte, ius præsentandi apud ipsum obligantem resideat. Cum tale ius æstimari non possit, & . . . . . in sortem nequeat computari. Cum semper fructus rei pignoratæ in sortem debeant computari, iuxta canonicas & legitimas sanctiones.

XXIII.

De testamentis.

Ad hæc, quia quædam in quibusdam partibus consuetudo, imo corruptela detestabilis obseruatur, videlicet, quod tam clericus quam laicus in lecto ægritudinis constitutus, vltra quinque solidos vsualis monetæ, vel aliam summam iuxta loci consuetudinem limitatam, nec piis locis, nec personis ecclesiasticis, pro animæ suæ remedio, aut aliis quibuscumque ordinare legata, considerantes, prædictam consuetudinem & sacris Canonibus & sacris etiam legibus obuiare; cum omnium iura clament, quod vltima voluntas & vltimum hominis testamentum immobile perseueret: & quod nihil sit, quod magis homines deceat, quam vt supremæ voluntatis liber stylus existat: eamdem consuetudinem Deo odibilem, animabus & bonis moribus inimicam, auctoritate huius sacri Concilii penitus reprobamus, firmiter statuentes, vt vbicumque iura a testamentorum non prohibent factione, vel in lecto ægritudinis constituto, legandi, disponendi & ordinandi de bonis collatis circa pia loca, personas ecclesiasticas, & alias quascumque, dummodo contra legitimas non veniat sanctiones, libera sit facultas. Volentes & præcipientes districte, vt per locorum episcopos, & ceteros prælatos iurisdictionem habentes, vniuersi clerici & laici impedientes defunctorum legata, seu vltimas,

ANNO CHRISTI 1420. mas voluntates, per excommunicationem in personas, & interdicti in loca sententias, quindecim tamen dierum canonica monitione præmissa ferendas, ab huiusmodi impedimentis desistere compellantur. Ad quarum executiones & debitas aggrauationes procedente tempore faciendas, episcopi & prælati, ad quos testamentorum defensio, vtroque iure suadente, dinoscitur pertinere, tam beneuolos se exhibeant & paratos, ne huiusmodi negligentia de eorum manibus in die districti iudicii requiratur.

XXIV.

De sepulturis.

Insuper statuimus, & sub pœna suspensionis præcipimus firmiter & monemus, vt quilibet sacerdos prouinciæ Saltzburgensis, cuiuscumque dignitatis seu eminentiæ, status vel religionis fuerit, infra octo dies causa legitima cessante, postquam ei de morte archiepiscopi vel proprii episcopi prædictæ prouinciæ constiterit, per se vel per alium Missam pro defunctis dicat, in remedium archiepiscopi aut episcopi memorati.

XXV.

De parochiis.

Nos sanctorum patrum, qui ecclesiæ sanctæ Dei & personis ecclesiasticis terminos, quos non licet transgredi, posuerunt, statuta considerantes, huius sacri approbatione Concilii, vniuersis sacerdotibus tam religiosis quam sæcularibus, cuiuscumque ordinis, conditionis siue status existant, in ciuitate diœcesis vel prouinciæ Saltzburgensis degentibus, sub debito iuramenti quod episcopo in receptione sacerdotii præstiterunt, sub interminatione diuini iudicii firmiter inhibemus, ne quis alienum parochianum, cuius cura per episcopum, vel loci archidiaconum, seu eius vicarium, alii est concessa (excepta necessitatis causa, quæ legem non habet) ad confessionem recipere, aut ei aliquod ecclesiæ sacramentum porrigere præsumat, non petita desuper & obtenta licentia proprii sacerdotis; cum † minime incerti & indubitati iuris existat, talem a tali crimine

† In quodam ms. deliberabatur.

ſolui non poſſe aliquatenus, vel ligari: & ex hoc ordinem eccleſiæ per maiores & ſanctos patres diuina prouidentia inſtitutum confundi & perturbari. Et hoc præſens ſtatutum per vniuerſos plebanos ſingulis quatuor temporibus, & in præcipuis feſtiuitatibus coram ſuis parochianis præcipimus publicari. ANNO CHRISTI 1420.

XXVI.

De iure patronatus.

Ad extirpandam illam deteſtabilem corruptelam quorumdam eccleſiarum patronorum, qui rectoribus earum defunctis, ſpoliant dotem & eccleſiam rebus mobilibus, & interdum immobilibus, in ſalutis propriæ diſpendium & ſcandalum plurimorum, ſtatuimus, vt ſiue clericus, ſiue laicus hoc facere præſumpſerit, cuiuſcumque dignitatis, etiam pontificalis exiſtat, ſit a iure præſentandi ea vice ſuſpenſus . . . . . eccleſiam conferat: &, ſi ipſe negligens fuerit, ſuperior eam conferat ipſa vice: vterque autem ſit excommunicatus ipſa iuris . . . . . & arctius ab omnibus euitetur, donec cum debita ſatisfactione reſtituat ſic ablata.

XXVII.

De celebratione Miſſarum.

Prædeceſſorum noſtrorum ducti veſtigiis ſtatuimus, inhibentes huius ſacri approbatione Concilii, vt nullus ſacerdotum nouitiorum illa die, qua primam Miſſam celebrare voluit, in exordio publicationis ſanctiſſimi ſui officii oblaturus Deo primitias gratiæ ac ſalutis ſibi collatæ, aliquos ad conuiuium inuitare, aut inuitatos habere, aut procurare per ſe vel per alium vllo modo præſumat: ſed ad ſolum Deum, cuius militiæ eſt adſcriptus, dirigat aciem ſui cordis, maxime die illa deuotus, curis & ſolicitudinibus temporalium, quibus mentes hominum diſtrahuntur, exutus, remotis vanitatibus hiſtrionum, qualibus tumultibus & inſolentiis reproborum, qui etiam ſæpe venire aſſolent non vocati.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1420.

XXVIII.

De baptiſmo.

Baptiſmus cum ſumma reuerentia celebretur, maxime in diſtinctione & prolatione verborum, in quibus ſacramenti virtus exiſtit; his ſcilicet verbis: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti. Doceant igitur ſacerdotes tam mares quam feminas, in neceſſitate debere [illos] paruulos baptizare eadem forma in ſuo idiomate. Et, quod patres & matres proprios infantes, ſi ſumma neceſſitas exigat, poterunt baptizare. Et, ſi ſacerdotes ſuper hoc diligenter requirentes debitam formam in baptiſmo inuenerint, quod factum eſt, approbent, ſupplentes circa baptizatum, quoad vnctionem olei in pectore & in ſcapulis, & chriſmatis in vertice, quod a laicis eſt omiſſum. Si autem in baptiſmate debitam formam non inuenerint obſeruatam, non differant paruulos baptizare.

Item ſtatuimus, vt in cunctis eccleſiis baptiſmus, chriſma, oleum & euchariſtia ſub fideli cuſtodia clauibus adhibitis aſſeruentur, ne poſſit ad illa manus temeraria extendi. Pallæ quoque altaris, vaſa, corporalia & veſtimenta miniſtrorum munda & nitida conſeruentur. Nimis enim videtur abſurdum in ſacris ſordes negligere, quæ dedecent etiam in profanis.

XXIX.

De emunitate eccleſiarum.

Quamquam dudum eccleſiarum aduocati, vt ab indebitis vexationibus earum abſtineant, & conſuetis iuribus ſint contenti, ſaluberrimis monitionibus antiquorum Conciliorum ſint cauſati: quia, cum plerique domini temporales, & laici alii prouinciæ Saltzburgenſis, in eccleſiis, monaſteriis, ſeu quibuſlibet piis locis, in quibus ius aduocationis prætendunt, ſuis iuribus non contenti, inconſuetas & enormes nouitates exercent, attentant in eccleſiæ libertatem non modicum detrimentum. Nos huic morbo occurrere cupientes, auctoritate huius Concilii ſtatuimus, ne aduocati eccleſiarum, monaſteriorum, & aliorum piorum locorum quorumcumque

dictæ nostræ prouinciæ, quocumque etiam nomine censeantur, de cetero talia præsumant; nec ecclesias, monasteria, & alia pia loca, vltra consueta & debita onera vllatenus aggrauent & infestent, quocumque quæsito colore. Alioquin ipsos, & eorum quemlibet, auctoritate huius sacri Concilii excommunicationis volumus sententiæ subiacere ipso facto: a qua, donec de huiusmodi indebite extortis ac illatis violentiis ecclesiis, monasteriis, atque locis aliis piis, competenter satisfecerint, nullatenus absoluantur. ANNO CHRISTI 1420.

Abusum quoque, seu consuetudinem quorumdam laicorum, imo potius corruptelam sacris Canonibus & legibus inimicam, quam quidam iudices & potestates seculares ad instantiam se præcedentium habere * auctores contra prælatos ac clericos beneficiatos nostræ prouinciæ, seu etiam contra tales ex officio procedentes, licet de facto, ipsos prælatos ac beneficiatos in bonis immobilibus spectantibus ad ecclesias, monasteria & beneficia eorumdem, quasi quodam citationis edicto publico solent ad iudicium euocare, licet nulliter & de facto, allegantes, quod non contra clericos, sed ipsorum bona dumtaxat iudicent & procedant: non attendentes, quod clerici & clericorum bona eodem gaudent priuilegio, & nulla sit eis de rebus & personis ecclesiarum attributa iudicandi facultas. Nos hanc consuetudinem, sacro approbante Concilio, penitus reprobantes, decernimus, præfatam consuetudinem fore iniquam, rationi & iuri penitus inimicam: statuentes sub pœnis præmissis, quas contra facientes incurrere volumus ipso facto, vt nullus, cuiuscumque status, conditionis aut ordinis existat, etiamsi pontificali aut ducali præfulgeat dignitate, præfatam reprobatam consuetudinem obseruet, aut obseruari faciat, nec ipsius prætextu personas ecclesiasticas prædictarum diœcesium in ipsorum bonis & possessionibus perturbare, inquietare aut iudicare præsumat: decernentes irritum & inane, si secus contra præmissa a quoquam fuerit attentatum, sententiasque latas licet de facto ac . . . . . impossibiles, cum omnibus inde secutis nullius existere roboris vel momenti.

ANNO CHRISTI 1420.

XXX.

De simonia.

Vt labes prauitatis simoniacæ in nostra prouincia penitus extirpetur, nos, sacro approbante Concilio, ordinamus, vt constitutio generalis Concilii Constantiensis inferius descripta in singulis ecclesiis cathedralibus & aliis ecclesiis collegiatis per ordinarios aut eorum inferiores ter in anno publice intimetur; vt in pœnarum afflictione nullus valeat crimen prædictum ignorantia excusare: adiicientes, vt ad locum ordinarii & executionem ipsius & aliorum iurium, pro extirpatione prauitatis præfatæ procedant contra quoslibet transgressores. Alioquin contra negligentes executionem huiusmodi, & simoniam actiue vel passiue committentes, in futuris prouincialibus Conciliis acrius, auctore Domino, procedemus. Tenor vero constitutionis Constantiensis sequitur in hunc modum.

Martinus, &c.

Multæ contra simoniacam prauitatem abolim factæ sunt constitutiones, quibus morbus ille non potuit competenter extirpari. Nos volentes de cetero, vt possumus, attentius prouidere, sacro approbante Concilio declaramus, quod ordinati simoniace ab executione suorum ordinum sint eo ipso suspensi. Electiones autem, postulationes, confirmationes & quæuis prouisiones simoniacæ ecclesiarum, monasteriorum, dignitatum, personatuum, officiorum & beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque deinceps factæ, nullæ sint ipso iure, nullumque per illos ius cuiquam acquiratur: nec promoti, confirmati aut prouisi faciant fructus suos, sed ad illorum restitutionem, tamquam inique ablatorum, percipientes teneantur. Statuentes insuper, quod dantes & recipientes ipso facto sententiam excommunicationis incurrant, etiam si pontificali aut cardinalatus præfulgeant dignitate.

XXXI.

De sententia excommunicationis, suspensionis & interdicti.

Item in quibusdam locis, vt accepimus, in tantum ac-

creuit temeritas & præsumptio laicorum, quod si quando auctoritate ordinarii, seu delegati, in terram, villam aut castrum interdictum generale ponatur, iidem laici officium sacerdotum, imo quod ipsis sacerdotibus est prohibitum, vsurpant, curantes, vt ecclesiasticam per hoc magis censuram elidant, apud loca taliter interdicta sepelire præsumunt in cœmeterio corpora defunctorum. Licet autem iam pridem contra præsumptores huiusmodi inter alia sit prouisum, vt non resumantur diuina, quam quæ tumulata sunt corpora, fuerint exhumata: quia tamen per illos, contra quos interdictum ponitur, antequam satisfaciant, frequenter in pactum deducitur, vt exhumationis pœna ab ordinario seu delegato ante omnia similiter remittatur: ne forte huiusmodi delinquentium temeritas hac actione impunita remaneat, & per hoc ceteris detur audacia similia præsumendi, sacri approbatione Concilii statuimus & mandamus, vt quicumque amodo intra cœmeterium loci interdicti aliquod corpus, seu corpora defunctorum sepelire præsumpserint, aut qui talia præsumentibus opem vel operam quocumque modo adhibuerint, excommunicationis incurrant sententiam ipso facto: a qua non nisi per solum metropolitanum vel diœcesanum, aut cui super hoc suas vices specialiter commiserit, absoluantur. Metropolitanus vero, vel eius diœcesanus, aut eorum in hac parte vicarii, nequaquam ad impendendum talibus absolutionis beneficium procedant, nisi prius sepultis taliter corporibus exhumatis, ecclesiæ & personis, quibus ex hoc iniuria dinoscitur irrogata, satisfactum fuerit competenter: & nisi super facta exhumatione & satisfactione præstita, ordinarii, aut si copia ipsius haberi non valeat, officialium suorum literas absolutionis ipsis pro testimonio exhibeant & ostendant, ad communionem ecclesiæ nullatenus admittantur.

ANNO CHRISTI 1420.

XXXII.

De hæreticis.

Cum nonnulli (quod dolenter referimus) Vuicleffistarum & Hussitarum hæresibus & erroribus infecti, & de eisdem infamati & suspecti, terminos nostræ prouin-

ANNO CHRISTI 1420.

ciæ, sub agni specie gerendo lupum, latenter intrantes, ausu temerario præsumunt prædicare, tenere & docere occulte & publice prædictorum errores & hæreses dudum ab vniuersali ecclesia & generali Constantiensi Concilio tamquam erroneos & hæreticos condemnatos: nos saluti gregis dominici nobis commissi, saluti animarum & huic morbo periculoso peruigili cura prouidere volentes, ne scintilla modica in principio succrescat in flammam, & fermentum modicum totam massam corrumpat, sacro approbante Concilio, sub interminatione maledictionis æternæ, ac sub excommunicationis sententiis in singulares personas, & interdicti in loca, si communitates aut domini locorum in infra scriptis negligentes aut culpabiles fuerint, quas contra facientes ac negligentes incurrere volumus ipso facto; inhibemus, vt nulla * ecclesia mundanave persona nostræ prouinciæ, cuiuscumque status, conditionis aut ordinis existat, etiam si pontificali aut ducali præfulgeant dignitate, præfatis erroribus & hæresibus infectos, infamatos aut suspectos, in suis ecclesiis, monasteriis, parochiis, dominiis, terris, ciuitatibus, oppidis, villis, castris aut domibus ac locis aliis quibuscumque, ad prædicandum, docendum aut dogmatizandum publice vel occulte admittant, seu assumant, quouis quæsito colore: nullusque præfatorum eorumdem prædicationem audire, aut prædicationibus interesse præsumat quoquo modo. Ordinamus, vt omnes Christi fideles vtriusque sexus memoratæ nostræ prouinciæ, postquam audiuerint, sciuerint, aut eis constiterit, præfatis hæresibus & erroribus infectos, infamatos ac suspectos, in præfata nostra prouincia morari, docere, dogmatizare errores prædictos, ipsos statim suis superioribus, quorum præsentiam commode adire poterunt, sine omni excusatione & negligentia, sub pœnis, vt superius exprimitur, denuntiare nullatenus omittant. Omnibus ducibus, comitibus, baronibus, capitaneis, burgrauiis, castellanis, magistris ciuium, consulibus, iudicibus & officialibus aliis quibuscumque distincte præcipimus & mandamus sub pœnis præmissis, vt ad requisitionem suffraganeorum nostrorum, eorumdem vicariorum, seu inquisitorum prauitatis hæreticæ, seu cuiuscumque alterius

* *f.* ecclesiastica

prædictorum, taliter de hæresi infectos, infamatos aut suspectos incarcerare, captiuare aut detinere debeant & teneantur. Et si tales se prætenderent in sacris ordinibus constitutos, nobisque ac nostris suffraganeis, archidiaconis, vicariis, & eorumdem officiis, ac hæreticæ prauitatis inquisitoribus deputatis, pro nunc autem in nostra prouincia postea deputandis, tradant & assignent taliter denuntiatos & suspectos, vt pro extirpatione tam periculosi criminis libere procedant & procedi faciant iuxta canonicas sanctiones. Receptatores quoque, fautores & defensores eorumdem, pœnis, vt præmittitur, volumus subiacere. Et quia tales infecti, infamati & suspecti de erroribus supradictis, vt plurimum per simulatam conuersionem, ad vnitatem ecclesiæ redeunt fraudulenter, sacro approbante Concilio ordinamus, vt vltra pœnas talibus post conuersionem ipsorum & errorum abiurationem a iure inflictas, per annum, postquam abiurauerint, carceribus mancipentur, nec relaxentur ab eisdem, donec de vera & sincera ipsorum conuersione verisimiliter præsumatur. Adiicientes, vt omnes & singuli nostri suffraganei ad extirpationem tanti mali viriliter assurgentes, omnia & singula iura contra hæreticos ac de hæresi suspectos & infamatos, contra ipsorum receptatores, fautores & defensores, ac potestates sæculares, qui requisiti legitime, neglexerint sua dominia a prauitate hæretica extirpare, promulgata prouide exequantur & obseruent, & a suis subditis faciant inuiolabiliter obseruari, paterne, vt tenemur, in hoc ipsorum officium excitantes. ANNO CHRISTI 1420.

XXXIII.

De Iudæis.

Non ambigui iuris est, Hebraicam gentem a fidelium crucifixi populo aliquo discretionis extrinsecæ signaculo debere esse separatam. Vnde, sanctæ memoriæ Guido titulo sancti Laurentii in Lucina presbyter cardinalis, in hanc nostram prouinciam a sacrosancta apostolica sede legatus, prouide decreuit, statuendo, vt Iudæi in publicum se exhibentes, pileum deferre debeant cornutum: non portantes pœna pecuniaria præcipimus mulcta puniri. Nos autem volentes prædicti legati bonam intentionem,

ANNO CHRISTI 1420. nem, quantum in nobis est, effectui mancipare, omnibus sæcularibus potestatibus, cuiuscumque conditionis & præeminentiæ existant, quocumque nomine censeantur, siue communitates, siue singulares reipublicæ præsidentes existant, sub excommunicationis sententia præcipimus, & districte iniungimus, vt per se, vel per alios suos familiares, quemcumque Iudæum pileum talem in publico non deferentem pecuniaria pœna, iuxta eorum arbitratum taxanda, quacumque conditione, prouocatione vel excusatione friuola non obstante, protinus puniant.

Præcipimus etiam pro meliori huius prouidi statuti executionis effectu, vt prædictæ potestates per se vel per alios possint & debeant Iudæum sic pileum cornutum non portantem aliqua veste, vel alia re, publice & statim in itinere quo visus est, pignorari, vt sic eo citius pœnam exoluat antedictam. Et quoniam non tantum masculos Iudaicæ superstitioni inhærentes a Christiano populo conuenit separari, sed etiam eiusdem superstitionis feminas atque virgines a catholicorum gente volumus esse segregatas. Vnde præcipimus sub eisdem pœnarum exactionibus, vt mulieres vel virgines dictæ superstitioni insudantes, cum se in publicum exhibent Christianorum nostræ prouinciæ, nolam sonantem in aliqua sui corporis deferant parte: alioquin ipsas per dictas potestates pœnis & modis præscriptis in virtute sanctæ obedientiæ mandamus affligi.

XXXIV.

De prohibito & illicito vestitu mulierum.

Cum in partem solicitudinis & pastoralis officii ad hoc simus assumpti . . . . . , vti gregem dominicum rite gubernemus, & in eo vitia extirpemus, & virtutes inseramus, debemus non solum remouere peccata, sed etiam cuiuslibet mali & peccati speciem & imaginem, ac etiam scandalosum quodlibet & exempli continens perniciem, curabimus, quantum poterimus, prouincia exulare. Vnde (quod dolenter referimus) multorum querelis sumus excitati, ac etiam in parte nostris propriis percipimus oculis, quod in non-

nullis noſtræ prouinciæ partibus mulieres habitu in- ANNO CHRISTI 1420.
duuntur ſatis inhoneſto, vtputa caudam ad modum aſpidis, ac alias ornatum exquiſitiſſimum, & ſupra modum ſumptuoſum habentes. Faciunt enim quædam mulieres ſuis peplis, crinibus, atque aliis capitis ornamentis, ac ſi ante & poſt facies habeant monſtruoſe. Conſiderantes ideoque, quod ex his & conſimilibus vanitatibus ſcandala, oblocutiones, detractiones, quæ in cordibus ſimplicium generantur, ac nihilo minus per hæc patrimonialia exhauriuntur, furta, rapinæ, & alia innumeroſa peccata, & demum ſpectacula luxuriam prouocantia in domibus, plateis & eccleſiis, aliiſque locis damnabiliter proueniunt. Nos igitur volentes, ſicut tenemur, his periculis occurrere, ſacro approbante Concilio, ſub excommunicationis ſententia, & obteſtatione diuini iudicii, vniuerſos & ſingulos laicos noſtræ prouinciæ per viſcera Ieſu Chriſti obſecramus ac rogamus, & nihilo minus diſtricte præcipiendo mandamus, vt vxores ſuas & filias, & alias mulieres in ſua patria ſeu familiari poteſtate exiſtentes faciant honeſte incedere, prohibentes, ne nimiam in veſtibus & aliis mulierum ornamentis ſuperfluitatem habeant. Eiſdem etiam mulieribus ſub excommunicationis ſententia præcipimus, vt in hoc maritorum ſuorum obtemperent mandatis. Quod ſi ſecus fecerint, noſtris ſuffraganeis & aliis eccleſiaſticis viris noſtræ diœceſis & prouinciæ curæ animarum præexiſtentibus præcipimus, rebelles mulieres communione priuare, ac eas aliis eccleſiaſticis ſupponere cenſuris. Vniuerſis etiam ſæcularibus poteſtatibus ſub eiuſdem diſtrictionis pœna iniungimus, vt ad corroborationem & executionem huius neceſſarii ſtatuti faciant ſtatuta pœnalia, quibus hanc ſanctionem faciant exactiſſime obſeruari, &c. Deo gratias.

ANNO CHRISTI 1420.

* *Apud D. Hund. in metro. est præpos. 20. archiepisc. 49.*

**IOANNES DEI GRATIA PRÆPOSITVS & archidiaconus ecclesiæ Saltzburgensis, vniuersis & singulis dominis, abbatibus, præpositis, ceterisque prælatis, archidiaconis, parochialium ecclesiarum rectoribus, plebanis ac clericis quibuscumque per diœcesim Saltzburgensem constitutis.*

QVAMVIS per sacrorum Canonum & prouincialium Conciliorum statuta recte ac honeste viuendi norma adeo sit sufficienter comprehensa, quod si eorumdem negligeretur executio, quodammodo de cetero aliqua noua conderentur statuta: quia tamen eorumdem tam saluberrimorum statutorum nostris temporibus memoria quasi euanuit, cæcaque ipsa quodammodo offuscauit obliuio, tamquam prodita nunquam extitissent. Et quia iuxta sapientis cuiusdam dictum, nunquam nimium dicitur, quod nunquam satis dicitur. Subscriptæ ordinationes iuris communis, ac prouincialium statutorum innouationes & declarationes in episcopali Synodo in ciuitate Saltzburgensi nuper celebrata, cui de mandato reuerendissimi in Christo patris domini nostri Eberhardi sanctæ Saltzburgensis ecclesiæ archiepiscopi, apostolicæ sedis legati, & ex commissione eius speciali præsedimus, alias emanarunt. Ad quorum humilem ac deuotam obseruantiam, executionemque promptam & debitam, vos omnes & singulos in Domino exhortamur, prout diuinam ex hoc reportare remunerationem, præfatique reuerendi domini nostri archiepiscopi pœnam & vltionem debitas & condignas volueritis euitare.

I.

Declaratio pœnæ statuti prouincialis contra notorios concubinarios editi.

Contra crimen concubinatus clericorum plurimum scandalosum, & hinc merito detestandum, non aliter, nec melius, quam dudum in prouinciali Concilio statutum fuit, videmus posse prouideri. Innotescimus tamen, & ad memoriam reuocamus eiusdem Concilii . . . . . Omnes namque, qui a die publicationis statutorum prouincialium, infra duos menses concubinas

ſuas, quas notorie tenuerunt, a ſe prorſus non remouerint, ſi beneficiati fuerint, ſciant ſe ſuis beneficiis ſtatim ipſo facto, abſque alia priuationis ſententia, auctoritate eiuſdem Concilii eſſe priuatos; nec aliquid iuris amplius competere, aut aliquem ſe titulum habere in eiſdem: tenerique ſe idcirco ad reſtitutionem omnium fructuum & prouentuum quos leuauerunt, ſeu in futurum leuabunt ex eiſdem. Poſſuntque eorum beneficia per habentes poteſtatem libere aliis conferri, vel a curia etiam impetrari. Qui vero beneficiati non fuerint, ſciant ſe auctoritate eiuſdem Concilii ad habendum quæcumque eccleſiaſtica beneficia perpetuo inhabilitatos. ANNO CHRISTI 1429.

II.

Quod clerici non debent ſecum tenere mulieres iuuenes & de incontinentia ſuſpectas.

Et quoniam iuxta Apoſtolum non ſolum a malo, ſed etiam ab omni ſpecie mali debemus abſtinere, prohibemus, ne clerici in domibus ſuis habeant feminas iuuenes, de quibus ſuſpicio poſſit merito oboriri. Qui autem feminarum famulatu carere nequiuerint, tales ſibi aſſumant, quæ propter ætatem, morumque grauitatem, aut, ſi fieri poteſt, conſanguinitatem, omnem merito ſuſpicionē excludant.

III.

Quod clerici in domibus ſuis tabernas tenere, aut tabernas & laicorum conuiuia accedere non debeant.

Inhibemus inſuper, prout etiam per ſacros Canones & prouincialium Conciliorum ſtatuta prohibitum extat, ne clerici officium tabernariorum exercere præſumant, & ne in ſuis domibus tabernas teneant, aut vinum more tabernariorum vendant. Tabernas quoque & laicorum conuiuia (quod valde honeſtatem dedecet clericalem, ipſorumque clericorum vileſcere facit auctoritatem) clerici omnino deuitent, niſi neceſſitatis cauſa in itinere conſtituti.

IV.

Quod clerici venationi & ludo alearum & taxillorum inſiſtere non debent.

Venationi quoque cum canibus, nec non aucupatio-

ANNO CHRISTI 1420. nibus cum falconibus, nisis, aut huiusmodi volucribus clerici omnino non insistant, nec canes tales venaticos aut aues in domibus teneant, aut secum per viam ducant. Ad aleas etiam & taxillos non ludant, nec huiusmodi ludis interfint, nec ludos tales in domibus suis exercere permittant.

V.

Quales presbyteros debeant sibi assumere plebani in adiutorium exercitii curæ animarum.

Omnibus insuper Saltzburgensis diœcesis plebanis prohibemus, ne in adiutorium exercitii curæ animarum, aut ad capellanatum assumant presbyteros lusores, potatores, ebriosos, aut laicorum conuiuia frequentantes, per quos multum plebs scandalizatur fidelis. Nullum etiam sacerdotem alienigenam & penitus incognitum, suæ ordinationis literas, seu formatas omni suspicione carentes non habentem; * & vero literas commendatitias proprii episcopi, aut fide digno testimonio, seu longi temporis conuersatione de vita & moribus ipsius fuerit informatus; assumere præsumant.

VI.

Quod plebani inducere debent sibi subditos presbyteros ad obseruantiam statutorum prouincialium & synodalium ordinationum, & ad deferendum habitus honestos & clericales, a laicorum habitu discrepantes.

Studeant quoque plebani suorum domesticorum, præsertim clericorum sibi subiectorum, diligentem curam gerere, ipsos ad obseruantiam constitutionum prouincialium, & huius sanctæ Synodi ordinationum, morum honestatem, clericalisque habitus decentiam respicientium, inducendo; nec patiantur eos deferre habitus a sacris Canonibus vel prouincialibus Conciliis interdictos: sed faciant ipsos deferre vestes in colore & scissura honestatem clericalem decentes, nimia longitudine vel breuitate non notandas, circa pectus & scapulas, vt moris est laicis, non strictas, & corpori bene adiacentes; sed bene amplas, & aliquantum plicatas, manicas decentes, vsque ad contactum manus protensas, infra vero brachium

deorsum vltra vnius palmæ longitudinem minime dependentes, cum goleriis licitis saltem ad altitudinem vnius pollicis collo adiacentibus: sciſſuras, seu aperturas a latere omnino non habentes, nec retro: ab anteriori tamen parte, propter maiorem ambulandi commoditatem, ad altitudinem vnius palmæ cum media, vestes non prohibemus aperiri. Vestes etiam ad equitandum deputatas, prout commoditas postulauerit, ante & retro poterunt, honeste tamen, aperire. In sciſſuris huiusmodi, in goleriis, seu aliis vestium extremitatibus foderaturas expositas, & notabiliter præeminentes non habentibus. ANNO CHRISTI 1420.

Abusum quoque istum clericorum, quo se sæcularibus hominibus conformantes pallia deferunt, nudis ioppulis manicas strictas, vt nunc moris est, multipliciter plicatas, seu * rigatas, aut alias laicales habentibus, nulla veste manicata coopertis, cum expositis brachiis, nequaquam tolerent. Aliasque tam decenter & honeste clericos sibi subditos incedere faciant, vt per decentiam habitus extrinseci, intrinsecam morum valeant ostendere honestatem. Hanc autem habitus honestatem exhortamur præcipue ipsos plebanos, sicut & ceteros clericos, obseruare, quatenus in omnibus suis subditis se normam & exemplum præbeant. * rugatas

VII.

Quod sacramenta ecclesiastica, & alia spiritualia, libere, sine conuentione & pactione præcedente, debent ministrari.

Volumus quoque & præcipimus singulis Saltzburgensis diœcesis presbyteris, quatenus circa sacramentorum administrationem omnem obseruent puritatem, libere, sine pactione aut conuentione præuia, ecclesiastica sacramenta, & alia spiritualia administrando. Expost vero antiquas & laudabiles ecclesiarum consuetudines pia fidelium deuotione, per ministrorum sustentationem introductas non intendimus prohibere, ad quas etiam obseruandas superioris officii laici ecclesiastica possunt censura compelli.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1420.

VIII.

Quod non sunt tolerandi pro aliquo quæstu publice delinquentes, & quod potestate absoluendi in casibus reseruatis sacerdotes abuti non debent.

Districte quoque prohibemus, ne quis sacerdotum adulteros, concubinarios, seu fornicarios, aut alios quoscumque publice delinquentes, gratia vel fauore, aut pro aliquo temporali emittat. Nec obtentam a superiori in casibus reseruatis ad certum personarum numerum licentiam, eam venalem exponant, non nisi ad soluendum aliquid ex pacto, eadem licentia vtendo; sed gratis & libere, prout expediens fuerit, ad omnes, sine personarum acceptione, huiusmodi sibi concessa vtantur potestate.

IX.

Quod pro sepeliendis præuentis nil est extorquendum.

Pro sepultura quoque præuentorum presbyteri nil extorquere præsumant.

X.

Qualiter adulteri & concubinarii publici sint admonendi, & ab ingressu ecclesiæ excludendi.

Ad extirpandum quoque adulterii & concubinatus publica crimina, quæ in diœcesi Saltzburgensi plurimum sunt frequentata, hunc volumus & præcipimus ordinem per singulas Saltzburgensis diœcesis parochias obseruari, videlicet, vt infra duorum mensium spatium in qualibet ecclesia parochiali aliquo die Dominico vel festiuo, quando maior adfuerit populi multitudo, publice in ambone admoneantur & requirantur in generali omnes & singuli vtriusque sexus homines præfatis criminibus publice implicati, quatenus ab huiusmodi adulterio & concubinatu penitus & omnino desistant. Si qui vero generali spreta admonitione se non correxerint, sequenti Dominica in specie & nominatim, vt se emendent, ... sic illi, quorum domus inhabitant, quatenus eos vltra non hospitent, admoneantur & requirantur. Quod si nec taliter moniti se correxerint, sequenti Dominica eosdem, ac illos qui eos hospitare præsumpserint,

ab ingreſſu eccleſiæ publice excludant, coram quibus expoſt presbyteri nullatenus diuina celebrare præſumant. Idem quoque de coniugibus vtriuſque ſexus, qui temere ſibi mutuo cohabitare recuſant & nolunt, & de hoſpitantibus eoſdem, etiam ſi non ſit notorium eos alibi adulterari, volumus per omnia obſeruari. ANNO CHRISTI 1420.

Hunc quoque ordinem perpetuis temporibus in poſterum præcipimus obſeruari: ita quod generalis iſta monitio in Dominica prima quadrageſimæ publice proponatur, ſpeciali continenter admonitione & excluſione ſequentibus duabus Dominicis, prout ſupra diſpoſitum, continuatis.

XI.

Qualiter ſe debeant habere plebani ad eos, quos ad auctoritatem ſuperiorem remittunt.

Quotiens vero ad ſuperioris auctoritatem aliquos remitti contigerit, plebanus eoſdem reuerſos, niſi literas teſtimoniales ſuperioris oſtenderint, pro abſolutis nequaquam teneant, nec ſacramenta eis eccleſiaſtica, niſi pœnitentia, aut ſaltem pœnitentiæ parte peracta, adminiſtrent: quod præſertim circa adulteros & alios criminoſos notorios volumus exactiſſime obſeruari. Et vt fraudibus via præcludatur, huiuſmodi notorios & manifeſtos criminoſos ad auctoritatem ſuperioris literis ſuis clauſis, cauſæ & facti narrationem plene continentibus, tranſmittant: eoſdemque reuerſos, non ad ſimplices remiſſionis ſchedulas, ſed ad literas ſuperioris intentionem continentes *, ad eccleſiaſtica remittant ſacramenta.

* *forte deeſt reſpiciendo.*

XII.

Quod matrimonia clandeſtine non ſint contrahenda: & quod ſecus aut contrarium facientes ad epiſcopalem auctoritatem ſint remittendi.

Et quoniam ex clandeſtinis matrimoniorum contractibus plurima ſæpe inſurgunt pericula animarum, quibus occurrere cupientes, quod ſuper hoc a iure prouide ſtatutum extitit, præcipimus obſeruari: vt videlicet, cum matrimonia fuerint contrahenda, prius per presbyteros publice in eccleſia proponantur, bono competenti termino præ-

ANNO CHRISTI 1418. præfinito, vt infra illum, qui voluerit & valuerit, legitimum impedimentum opponat: & ipsi etiam presbyteri infra illum nihilo minus inuestigent, an aliquod impedimentum obsistat, solicitare. Cum apparuerit probabilis coniectura contra copulam contrahendam, contractus interdicatur expresse, donec, quid fieri debeat, manifestis constiterit documentis. Qui vero aliter contrahere præsumpserint, ad episcopalem auctoritatem puniendi secundum iuris dispositionem remittantur.

XIII.

Quod matrimonia in ecclesiis & mediante presbytero contrahi debent: & quod non post, sed ante carnalem copulam nuptiarum solennia matrimonia sint benedicenda.

In contrahendis quoque matrimoniis hanc volumus honestatem pro reuerentia sacramenti obseruari, vt videlicet non nisi per presbyteros, &, si commode fieri potest, in ecclesia, aliquando in alio loco honesto, sine strepitu, cum honestate debita fiant matrimoniorum copulationes. Matrimonia quoque quæ benedicenda fuerint, non post, vt moris extitit, sed ante ipsorum carnalem consummationem, ac solennitatis nuptiarum celebrationem, pro benedictionis ipsius reuerentia benedicantur.

XIV.

Quod patrini baptismales non multiplicentur.

Et quia ex cognatione spirituali, sicut etiam ex carnali, impedimentum oritur matrimonii, impediens contrahendum, & dirimens etiam contractum. Vnde, ne nimium inter homines eiusdem parochiæ huiusmodi multiplicentur attinentia, mandamus, quatenus presbyteri parentes baptizandorum puerorum inducere studeant, vt vno tantum viro, vel vna muliere, prout Canones disponunt, sint contenti. Ad quod si forte facile induci non possunt, saltem vltra duos, vnum scilicet virum, vel vnam mulierem, nequaquam admittant.

ANNO CHRISTI 1420.

XV.

Quod presbyteri informare debent populum, qualis & quam lata ſpiritualis cognatio in baptiſmo & confirmationis ſacramento oritur.

Iniungimus inſuper omnibus plebanis, quatenus populum ſibi commiſſum publice in ambone informare ſtudeant, quod, ſicut inter quemlibet leuantem aliquem de ſacro fonte, & ipſum leuatum, ſic & inter omnes filios & filias, leuantem & ipſum leuatum, & inter coniugem leuantis carnaliter prius cognitum ſeu cognitam, & ipſum leuatum, nec non inter parentes leuati & ipſum leuantem, & eius coniugem, carnaliter prius cognitum vel cognitam, cognatio oritur ſpiritualis impediens matrimonium contrahendum, & dirimens iam contractum. Et ea quæ de leuante ſunt dicta, etiam de baptizante modis expreſſis declarent eſſe intelligenda.

In confirmationis quoque ſacramento ratione prius confirmantis, & ad confirmationem aliquam tenentis, non autem ratione ligaturã aut faſciam ſolummodo fronti alligantis, ſeu chriſma dumtaxat abluentis, eiſdem modis vt in baptiſmate, huiuſmodi propinquitatem prouenire populo denuntient & declarent.

XVI.

Forma iuramenti, quam præſtare debent teſtes ſynodales in manibus ſuorum archidiaconorum.

Iurabunt teſtes ſynodales, vel ſaltem fidem loco iuramenti piabunt in hac forma. Primo, quod per totum annum vſque ad Synodum proximam diligenter inquirent, ſimpliciter tamen de plano & abſque vlla iuriſdictione, quæ correctionis & reformationis tam in clero quam in populo ſint neceſſaria, & quod illa fideliter referent in Concilio prouinciali & Synodo epiſcopali proxime celebrandis, poſtquam fuerint requiſiti, vſurarios, adulteros, concubinarios notorios ſeu manifeſtos, & quoſcumque manifeſte & publice delinquentes, tam in clero quam in populo, quos debita adhæc adhibita diligentia perquiſiuerint, deferre & denuntiare, quando ſuper hoc requiſiti fuerint, denuntiare non omittent.

ANNO CHRISTI 1420.

XVII.

Statuta ſummatim & ordinate ſub certis titulis collocata, populo collocanda.*

* f. *communicanda.*

Quoniam multa ſtatuta prouincialia tam antiqua, quam etiam promulgata, nec non & quæ ſynodales ordinationes laicos concernunt, quorum* quæ etiam ſatis dinoſcuntur eſſe pœnalia. Vnde, ne ipſos ignorantes contingat detrimentum incurrere, quod dignum eſt eos poſtmodum* vetitos ſuſtinere, idcirco ſtatuimus & ordinamus, quatenus ſinguli Saltzburgenſis diœceſis plebani eadem ſtatuta laicos reſpicientia, prout inferius ſummatim ſubiectis rubricis & titulis ordinate continentur, quam citius poterunt, eorum habita copia, aliquo die Dominico vel feſtiuo, & deinceps ſingulis annis bis: ſemel ſcilicet in Dominica prima aduentus Domini, & ſemel in Dominica prima quadrageſimæ plebi ſibi commiſſæ publice in ambone vulgari lingua clare & intelligibiliter intiment publicent & exponant, ad obſeruantiam eorumdem, prout vnumquemque concernunt, dignoſcitur, eamdem plebem fideliter exhortando.

* *mſ. habet* fetitos, *haud dubie mendoſus.*

XVIII.

De vſurariis & eorum pœnis, ex ſtatutis domini Guidonis tituli ſancti Laurentii presbyteri cardinalis, apoſtolicæ ſedis legati, quod incipit: Item dolentes.

Excommunicati ſunt ipſo facto vſuras exercentes, qui ſic communitati, ter in anno, videlicet in cœna Domini, in aſſumptione glorioſæ virginis Mariæ, in natiuitate Domini, per plebanos & maiores ſuos debent denuntiari, aliis pœnis contra vſurarios editis nihilo minus ſaluis.

XIX.

De eodem ex ſtatuto domini Ioannis epiſcopi Tuſculani apoſtolicæ ſedis legati, quod incipit: Vſurarios actus.

Vſurarii dicuntur etiam, qui ſub titulo emptionis vſuras exercent, emendo ſcilicet pignus pro quantitate quæ mutuo petitur, & reuendendo eidem redemptionis tem-

pore pro quantitate eadem adaucto numero vſurarum. Et hæc conſtitutio vna cum conſtitutione Gregorii X. in generali Concilio edita publicari debet ſingulis annis in quadrageſima, lecto euangelio in ſingulis eccleſiis cathedralibus & collegiatis. Et tunc etiam vſuras exercentes contra dicti Concilii tenorem, ac illi qui eos retinent in domibus propriis, nominatim & in ſpecie excommunicati debent denuntiari. Et vſurarium, etiam occultum, dum tamen duorum vel trium fide dignorum teſtium ipſum conſtiterit vſuras exercuiſſe, nec pro eo ſatisfactum fuerit, nullus recipere debet ad eccleſiaſticam ſepulturam. Alioquin eccleſiaſtici, in cuius cœmeterio de conſenſu prælati ſiue capituli tale corpus ſepultum fuerit, exhumatum eccleſiaſtico ſubiacet interdicto. ANNO CHRISTI 1420.

XX.

Intentio Concilii generalis, de quo ſupra fit mentio, quod habetur in cap. vſurarum, de vſuris libro ſexto, in effectu eſt talis, vt ſequitur.

Conſtitutio Lateranenſis Concilii contra vſurarios edita debet inuiolabiliter obſeruari; ſcilicet, quod manifeſti vſurarii ad communionem altaris & eccleſiaſticam ſepulturam, & oblationem faciendam, admitti non debent. Et qui eorum oblationes receperint, aut ad eccleſiaſticam eos ſepulturam admiſerint, compelli debent reddere quod acceperint, & ad arbitrium epiſcopi ab officio ſuſpendi. Item ſecundo præcipitur dominis terrarum & vniuerſalibus, ſeu communitatibus, ne permittant alienigenas in terris & locis ſuis conducere domos, & iam conductas retinere ad exercendum vſuras. Contrarium facientes, ſi ſunt epiſcopi, aut eorum ſuperiores, ſuſpenſionem; alii vero inferiores, excommunicationis; communitates autem interdicti ſententias & pœnas incurrunt ipſo facto: quas ſuſpenſionis & excommunicationis pœnas, ſi epiſcopi, & eorum ſuperiores, aut ſingulares perſonæ per menſem ſuſtinuerint animo indurato, eorum terræ, quamdiu huiuſmodi vſurarii in ipſis permanſerint, eccleſiaſtico ſubiacent interdicto: & nihilo minus laici ab huiuſmodi exceſſu per ſuos debent ordinarios compeſci.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1420.

XXI.

Ex eodem Concilio generali, quod habetur de vſurariis in cap. Quamquam, libro ſexto.

Manifeſto vſurario, licet mandauerit vſuras reſtitui, eccleſiaſtica ſepultura denegari debet, niſi primo, prout facultates patiuntur, ſatisfaciat, vel de reſtituendo idonee caueat illis quibus reſtitutio facienda, ſi præſentes fuerint: vel, ipſis abſentibus, loci ordinario, aut eius vices gerenti, ſiue rectori parochialis eccleſiæ in qua habitat, coram fide dignis de parochia, in cautione huiuſmodi exprimendo quantitatem vſurarum receptarum, ſi huiuſmodi fuerit quantitas manifeſta: alioquin, aliam quantitatem ipſius recipientis arbitrio moderandam: qui, ſi ſcienter minorem quam viſibiliter creditur, moderetur, tenebitur ad reſidui ſatisfactionem. Et eos contra hanc conſtitutionem ſepeliendo, Lateranenſis Concilii pœnam incurrunt. Teſtamenta quoque talium vſurariorum alias facta non tenentur: nec debet aliquis intereſſe, nec eos abſoluere, aut etiam admittere ad confeſſionem.

XXII.

De conſtitutione Concilii Vuienenſis, quæ habetur in Clementina [contra eos] de ſepulturis.*

* f. Viennenſis.

Sepelientes ſcienter vſurarios manifeſtos, etiamſi exempti fuerint, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrant: a qua, niſi ſatisfactio prius competenter eis quibus ex hoc iniuria eſt irrogata, facta fuerit, nullatenus abſolui debent.

XXIII.

Ex ſtatuto domini Pilgrini Saltzburgenſis archiepiſcopi, quod incipit: Apud multos.

Vſurarii, poſtquam a ſuis rectoribus trina monitione fuerint nominatim moniti, ſi infra menſem non deſtiterint, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrunt. Et eccleſiarum rectores & prælati tenentur ſuos ſubditos manifeſtos vſurarios monere & inducere, vt infra menſem ab huiuſmodi prauitate deſiſtant, & de perceptis ſatisfaciant cum effectu. Quod ſi non fecerint, eos excom-

municatos denuntient, certificantes nihilo minus eos, quod si in hoc peccato decesserint, ecclesiastica sepultura carebunt. Quos si rectores scienter sepeliuerint, similiter ipso facto excommunicationis sententia sunt ligati. Et manifesti vsurarii dicuntur, de quibus est publica vox & fama, & certa sunt indicia & argumenta, quod pecunias mutuant ad vsuras, easque recipiunt, vel fructus rei pignoratæ ex pacto, vel alias sibi imbursant, nec computant in sortem pecuniæ mutuatæ. ANNO CHRISTI 1420.

XXIV.

De spoliatoribus & raptoribus stratarum, ex statuto domini Joannis Tusculani, quod incipit: Spoliatores stratarum.

Excommunicati sunt ipso facto spoliatores stratarum, & raptores transeuntium per vias, & eisdem dantes auxilium vel fauorem.

XXV.

De his qui scienter emunt prædam, ex statutis domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi.

Nullus prædam aliquam scienter emere vel tenere præsumat: alioqui nisi infra mensem prædam ipsam, aut eius æstimationem, si deprædata & ablata haberi non possit, restituat, excommunicationis sententia percellatur.

XXVI.

Qualiter decimæ sunt persoluendæ, & qualiter puniri debeant laici decimas sibi vsurpantes, ex statuto domini Guidonis cardinalis, apostolicæ sedis legati.

Decimæ tam antiquæ, quam etiam de noualibus maiores & minutæ, iuxta laudabilem consuetudinem patriæ integraliter sunt persoluendæ. Et laici decimas, maxime noualium & minutas sibi vsurpantes, ab ingressu ecclesiæ vsque ad satisfactionem condignam sunt suspensi.

XXVII.

De his qui imponunt aut exigunt noua passagia, vel antiqua augmentant, ex statuto domini Ioannis Tusculani episcopi, quod incipit: Imponentes.

Noua passagia imponentes & exigentes, vel antiqua

ANNO CHRISTI 1420. augmentantes, singulis annis summus pontifex in cœna Domini denuntiat excommunicationi subiacere: quos etiam, siue fuerint ecclesiasticæ, siue sæculares personæ, quocumque nomine censeantur, locorum ordinarii per se vel suos vicarios omni anno in eadem die cœnæ Domini, pulsatis campanis & accensis candelis, excommunicatos & ab omnibus euitandos vsque ad restitutionem integram debent denuntiare.

XXVIII.

Quod etiam in lecto ægritudinis potest quis testari, contraria consuetudine non obstante, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Ad hæc.

Non obstante consuetudine, quæ potius est corruptela, vbi iura testamentorum sanctionem non prohibent, quilibet, etiam in lecto ægritudinis constitutus, legare, disponere & ordinare potest de bonis sibi collatis a Deo piis locis, aut alias. Et impedimentum præstantes per prælatos compesci debent ecclesiastica censura.

XXIX.

De his qui tempore interdicti sepeliunt corpora defunctorum, aut sepelientibus opem præstant, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Item in quibusdam.

Excommunicati sunt laici sepelientes intra cœmeteria locorum interdictorum corpora defunctorum, aut qui sepelientibus opem vel operam præstant: a qua non absoluantur, nec per ordinarium loci, vel per eum cui super hoc specialiter commiserit suas vices. Huiusmodi tamen absolutio non est impendenda, nisi prius exhumentur sic tumulata, & satisfactum fuerit ecclesiæ & personis, quibus exinde iniuria dinoscitur irrogata. Nec etiam tales ad communionem ecclesiæ admittantur, nisi habeant super exhumatione & absolutione prædicta literas ordinarii vel sui officialis.

XXX.

Quod mulieres per exclusionem a communione prohibendæ sunt ab illicito vestitu, ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Cum in partem.

Mandatur sub pœna excommunicationis omnibus lai-

cis, & sub obtestatione diuini iudicii, vt vxores suas & filias & alias mulieres, in præsentia vel familiari potestate constitutas, faciant honeste incedere: prohibeantque, ne nimiam in vestibus longitudinem, & [ab] aliis mulierum ornamentis exquisitam superfluitatem habeant. Quibus etiam mandatur sub pœna excommunicationis, vt in his pareant maritis suis: alias eucharistiæ communione priuentur, & per censuram ecclesiasticam arceantur. Et in fine mandatur sæcularibus potestatibus sub pœna præfata, vt ad corroborationem huiusmodi statuti faciant hanc constitutionem exacte obseruari. ANNO CHRISTI 1420.

XXXI.

De his qui occidunt, verberant, aut qualitercumque manus violentas in clericos iniiciunt, aut eos captiuant, seu captiuatos tenent. Ex statuto domini Guidonis cardinalis apostolicæ sedis legati, quod incipit: Item cum in plerisque.

Occidens, verberans, aut qualitercumque manus violentas in clericos iniiciens, seu eos capiens, singulis annis in Synodis episcopalibus excommunicati denuntiari debent, & nominatim illi, de quibus constiterit manifeste.

XXXII.

De eodem, ex statuto eiusdem domini Guidonis, quod incipit: Quodcumque vero.

Vulnerans enormiter ecclesiasticam personam, occidens vel captiuans, non nisi per sedem apostolicam debet absolui. Et si quid tenebat ab ecclesia, illud ipso facto perdit, quod in vtilitatem ecclesiæ debet conuerti. Et generaliter in diœcesi, in qua aliquem canonicum cathedralis ecclesiæ, vel in dignitate ecclesiastica constitutum capi contigerit, aut captiuum detineri, vsque ad liberationem ipsius, & debitæ satisfactionis exhibitionem. Similiter & in parochia, in qua res clericis violenter ablatas detineri contigerit, vsque ad satisfactionem & restitutionem congruam cessari debet a diuinis.

XXXIII.

De eodem, ex statuto domini Friderici Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Statutum.

Captiuato domino archiepiscopo Saltzburgensi, aut aliquo

ANNO CHRISTI 1429. aliquo ipsius suffraganeo, seu inuasa ecclesia Saltzburgensi, aut quacumque alia ecclesia cathedrali prouinciæ Saltzburgensis, hostiliter & iniurioſe, vt de subuersione status eius verisimiliter timeatur, statim, postquam hoc innotuerit, per totam prouinciam Saltzburgensem cessari debet a diuinis. In terris tamen principum cessari non præcipitur, nisi ab offensis huiusmodi cessare, & emendam præstare infra mensem admoniti contempserint.

XXXIV.

De eodem, ex statuto eiusdem Friderici, quod incipit: Item cum hi.

Qui violentas manus in clericos iniiciunt, debent in parochia, in qua delictum commissum fuerit, aut in qua iniiciens domicilium habuerit, per rectores ecclesiarum singulis Dominicis & festiuis diebus excommunicati denuntiari: & qui tales violentos iniectores scienter ad diuina vel ecclesiasticam sepulturam receperint, sunt ab officio suspensi. Qui vero in prædicta denuntiatione, postquam sibi per ordinarium fuerit specialiter demandata, negligens fuerit aut remissus, per viginti dies ab ingressu ecclesiæ & ab officio est ipso facto suspensus.

XXXV.

De eodem, ex statuto domini Ioannis Tusculani episcopi, apostolicæ sedis legati, quod incipit: Eos qui.

Captiuantes, seu captiuos detinentes clericos & personas ecclesiasticas, si infra octo dies, postquam requisiti fuerint, eos non relaxauerint, omnibus Dominicis & festiuis diebus per prælatos & rectores ecclesiarum, in quarum limitibus huiusmodi captiuantes aut detinentes commorantur, & personæ huiusmodi ecclesiasticæ fuerint captiuatæ, aut in quibus captiuæ detinentur, excommunicati publice denuntientur. Et nihilo minus, vbi huiusmodi ecclesiasticæ personæ captæ detinentur, quamdiu taliter detinentur, clerici hoc scientes cessare debent a diuinis: contrarium facientes excommunicati sunt ipso facto.

XXXVI.

ANNO CHRISTI 1420.

De his qui verberant vel capiunt nuntios legatorum apoſtolicæ ſedis, archiepiſcoporum, delegatorum iudicum & aliorum: aut eos qui de curiis eorum veniunt, aut eos occidunt: ex ſtatuto domini Ioannis Tuſculani, quod incipit: Si qui in tant.

Capientes, verberantes nuntios legatorum apoſtolicæ ſedis de latere miſſorum, ſeu archiepiſcoporum, aut epiſcoporum, vel delegatorum; & eiſdem literas auferentes, vel dilaniantes, ſeu ipſos in iuriſdictionem, [aut] eis commiſſa quomodolibet, manifeſte vel occulte impedientes: ſimiliter & illi qui ad curiam eorum legatorum, archiepiſcoporum, epiſcoporum, vel delegatorum venientes, aut abinde recedentes offendunt in perſonis, aut bonis quæ ſecum habent, ſpoliant, excommunicati ſunt ipſo facto.

XXXVII.

De eodem, ex ſtatuto domini Eberhardi archiepiſcopi Saltzburgenſis, quod incipit: Præterea.

Reus verberans, ſpolians & captiuans nuntium iudicis, literas iudiciales deferentem, pro conuicto debet haberi: & idem in actore in cauſa reconuentionis.

XXXVIII.

De his qui bona decedentium clericorum occupare præſumunt, ex ſtatuto domini Guidonis cardinalis apoſtolicæ ſedis legati, quod incipit: Item ad aures.

Patroni eccleſiarum tam clerici quam laici, aduocati, iudices & præcones bona decedentium clericorum occupantes & vſurpantes, excommunicationis vinculo, quouſque ablata reſtituant, debent innodari.

XXXIX.

De eodem, ex ſtatuto domini Friderici Saltzburgenſis archiepiſcopi, quod incipit: Item ſtatutum. & ex ſtatuto domini Ioannis Tuſculani apoſtolicæ ſedis legati, quod incipit: Nonnulli.

Raptores, inuaſores & occupatores bonorum clericorum detinentium, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrunt. Et in locis, vbi talia bona violenter

ANNO CHRISTI 1420. ablata conseruantur, tamdiu cessari debet a diuinis, postquam hoc rectoribus ecclesiarum innotuerit, donec ablata huiusmodi successori defuncti reddantur, in pristino loco reponantur, ac alia satisfactio competens subsequatur.

XL.

De eodem, ex statuto domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Ad extirpandam.

Ecclesiarum patroni, siue clerici aut laici, qui rectore ecclesiæ mortuo, dotem & ecclesiam rebus mobilibus seu immobilibus spoliant, cuiuscumque dignitatis fuerint, sunt a iure putandi illa vice suspensi, & collatio ad immediatum superiorem deuoluitur. Insuper etiam ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt.

XLI.

De his qui imponunt tallias & exactiones ecclesiasticis personis. Ex statuto domini Pilgrini archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Cum ecclesiæ.

Imponentes clericis & ecclesiasticis personis, & recipientes ab eisdem exactiones, tallias & collectas; si infra mensem, postquam per ecclesiarum prælatos moniti fuerint, non destiterint, vel de damnis illatis competenter non satisfecerint; excommunicati sunt ipso facto, & terræ ipsorum ecclesiastico subiacent interdicto.

XLII.

De his qui ecclesiasticas personas compellunt soluere pædagia vel quidagia de rebus suis. Ex statuto eiusdem domini Pilgrini, quod incipit: Constitutionem: & in cap. de censibus, lib. 6.

Bonifacius VIII. statuit, quod si vniuersitas seu communitas, vel singularis quæcumque persona, cuiuscumque dignitatis fuerit, per se vel per alium, suo vel alieno nomine ecclesias vel ecclesiasticas personas compulerit soluere pædagia vel quidagia, seu exactiones pro rebus suis, quas causa negotiationis non deferunt, vniuersitas talis est interdicta, & personæ singulares excommunicatæ. Nec valet contraria consuetudo. Et hæc constitutio per prælatos, archidiaconos & plebanos debet solenniter publicari.

XLIII.

ANNO CHRISTI 1420.

De his qui occupant, inuadunt aut vſurpant ſibi eccleſiaſtica bona. Ex ſtatuto domini Ioannis Tuſculani, quod incipit: Dignum . . . .

Sæculares eccleſiaſticæve perſonæ, quacumque dignitate præfulgeant, (Romanorum dumtaxat rege & eius coniuge & filiis exceptis) * eccleſias & eccleſiaſtica bona, iura & iuriſdictiones, ſeu eccleſiarum vaſſallos publice occupare aut inuadere, vel ſcienter vſurpare, ſeu occupatoribus, inuaſoribus, aut vſurpatoribus huiuſmodi poteſtatem quomodolibet, auxilium vel fauorem * præſumpſerint: nec non qui bona eccleſiarum titulo pignorum detinent obligata, a quibus receperint vltra ſortem: niſi requiſiti infra menſem ſatisfecerint, ipſo facto excommunicati, & terræ ipſorum eccleſiaſtico ſubiacent interdicto; quod clerici terræ offenſorum ad ſolam denuntiationem prælati offenſi obſeruare tenentur: alioquin ante ſatisfactionem coram celebrante a diuinis ſunt ipſo facto ſuſpenſi.

* *f.* quæ eccl.

* *f. d.* præſtare

XLIV.

De eodem, ex ſtatuto eiuſdem domini Ioannis Tuſculani, quod incipit: Nullus de cetero.

Qui prætextu guerrarum, quas habent cum aduocatis eccleſiarum, earumdem eccleſiarum bona ſubripuerint, aut eccleſias ipſas, aut earum villas & loca incendio vel hoſtilitate deuaſtant, aut homines earum ſuis bonis ſpoliant, excommunicati ſunt ipſo facto; nec poſſunt, niſi ſufficienter emendauerint, abſolui.

XLV.

De eodem, ex ſtatuto eiuſdem domini Joannis, quod incipit: Prohibemus.

Qui propter debitum aut fideiuſſoriam obligationem alicuius perſonæ ſingularis, bona eccleſiaſtica ad ipſam eccleſiam & capitulum communiter pertinentia ceperit, ſeu ſpoliauerit, niſi requiſitus infra quindecim dies a die requiſitionis numerandos reſtituerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrit.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

ANNO CHRISTI 1420.

XLVI.

De his qui ad vacantes ecclesias mittunt armatos, & faciunt ibi expensas. Ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Ad .....

Prælati, principes, & alii nobiles atque officiales eorumdem, qui ad vacantes prælaturas, beneficia siue officia, mittunt gentes armorum, & inibi expensas faciunt graues, aut compellentes eligere per abusum potestatis sæcularis, aut potentiæ inordinatæ; seu qui electum & confirmatum non admittunt ad possessionem, nisi pro certa pecuniæ quantitate; nisi infra mensem emendauerint quod fecerint, excommunicati sunt ipso facto: a qua sententia non absoluantur, donec satisfaciant, & extorta restituant: in quibus etiam non prodest eis remissio.

XLVII.

De laicis recipientibus & occupantibus ecclesiastica beneficia. Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Laicos.

Laici recipientes & occupantes ecclesiastica beneficia, nisi infra mensem a tempore occupationis computando, ipsa dimiserint, ipso facto excommunicationis sententiam incurrunt.

XLVIII.

De aduocatis ecclesiarum, qui vltra iura eis debita ecclesiastica, grauant ecclesias. Ex statuto eiusdem domini Ioannis, quod incipit: Nonnulli.

Mortuo ecclesiæ aduocato, non omnes eius filii, sed ille solus in quem omnes, vel maior pars ipsorum consentit, habeatur pro patrono. Et aduocati ecclesiarum, qui defendendo & manutenendo personas & bona ecclesiarum, quarum sunt aduocati, negligentes fuerint aut remissi, huiusmodi aduocationis officio priuati sunt ipso facto. Qui vero ab huiusmodi ecclesiis vltra debitum aliquid auferre præsumpserint, nisi infra mensem ablata restituerint, singulis mensibus debent excommunicati denuntiari.

ANNO CHRISTI 1420.

XLIX.

De eodem, ex ſtatuto domini Eberhardi Saltzburgenſis archiepiſcopi, quod incipit: Quamquam.

Excommunicati ſunt laici aduocati eccleſiarum, qui ſuis iuribus non contenti, inconſuetas & enormes nouitates in ipſas eccleſias exercent & attentant, & vltra debita onera aggrauare non formidant.

L.

De patronis eccleſiarum, qui poſt tempus a iure præfixum occupant eccleſias, aut impediunt ſuperiores in collatione. Ex ſtatuto domini Ioannis Tuſculani, quod incipit: Eccleſiarum.

Patroni eccleſiarum ad eccleſias vacantes præſentare debent perſonas idoneas infra tempus a iure ſtatutum. Qui vero poſt lapſum eiuſdem temporis per menſem eccleſias ipſas retinere & occupare præſumpſerint, ipſo facto ſunt excommunicati, & ea vice præſentatione huiuſmodi eccleſiarum priuati; quas ſuperiores infra tempus eis a iure præfixum conferre tenentur: alioquin a collatione beneficiorum ſunt ipſo facto ſuſpenſi. Laici vero impedientes ordinarium prouidere volentem, ipſo facto excommunicationis ſententiam incurrunt.

LI.

Ex ſtatuto domini Eberhardi Saltzburgenſis archiepiſcopi, quod incipit: Quoniam. De patronis qui partem aduocationis, cum præſentant, ſibi retinent ex pacto.

Laici patroni ex pacto ſibi retinentes partem decimarum, vel aliarum obuentionum eccleſiaſticarum in beneficiis, cum præſentant clericos ad ea, excommunicari debent, & terra eorum eccleſiaſtico interdicto ſupponi, donec eccleſiam liberam dimittant ſub ſuo iure: ſaluo tamen eis iure patronatus. Clerici autem taliter ab ipſis recipientes beneficia, officio & beneficio priuentur: nec ad beneficium vel actus eccleſiaſticos admittantur, niſi per ſedem apoſtolicam cum eis fuerit diſpenſatum. Epiſcopi vero & archidiaconi, qui talibus ſcienter curam commiſerint

ANNO CHRISTI 1420. animarum, sub institutione huiusmodi beneficiorum & collatione perpetuo sint suspensi.

LII.

De eodem, ex statuto eiusdem domini Eberhardi archiepiscopi Saltzburgensis, quod incipit: Beneficia.

Clerici qui præsentantur ad ecclesias per patronos cum assignatione alicuius portionis, vt residuum vsibus patronorum applicetur, si de hoc non deferunt querelam ad episcopum suum, sunt ipso iure suspensi, & per episcopum huiusmodi beneficiis spoliandi. Patroni vero per episcopum, cum hoc ad ipsum deductum fuerit, ab huiusmodi exactione compescantur. Et si in hoc pertinaces reperti fuerint, ad præsentationem huiusmodi ecclesiarum, cum proxime vacauerint, nullatenus admittantur.

LIII.

De laicis qui sine consensu prælatorum bona fabricæ ecclesiarum deputata administrant. Ex statuto domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Laicos.

Laici sine assensu prælatorum & capitulorum bona fabricæ ecclesiæ deputata administrare non possunt. Et qui contrarium fecerint, si infra mensem, postquam per ordinarium loci moniti fuerint, non desistunt, excommunicati sunt ipso facto.

LIV.

De his qui ecclesias & earum ædificia violenter & sine prælatorum assensu incastellare præsumunt, aut gentes ibi tenere. Ex statuto eiusdem domini Ioannis Tusculani, quod incipit: Nonnullos.

Qui ecclesias, campanilia, seu alia ecclesiarum ædificia violenter & sine prælatorum assensu incastellare, aut personis armatis munire præsumpserint, & eorum heredes huiusmodi violentiæ participes, per suos superiores excommunicationis pœna percellantur.

ANNO CHRISTI 1420.

LV.

De his qui prohibent, ne quis conquiratur coram eccleſiaſtico iudice; aut qui condunt ſtatuta contra eccleſiaſticam libertatem. Ex ſtatuto eiuſdem Ioannis Tuſculani, quod incipit: Perſonas.

Vniuerſitates ciuitatum & locorum prohibentes, vt nullus conquiratur coram eccleſiaſtico iudice, ac ſtatuta condentes contra clerum & eccleſiaſticam libertatem, interdicti: ſingulares vero perſonæ talia committentes, quacumque dignitate præfulgeant, excommunicationis ſententias ipſo facto incurrunt.

LVI.

De his qui trahunt eccleſiaſticas perſonas coram iudice ſæculari. Ex ſtatuto domini Pilgrini Saltzburgenſis archiepiſcopi, quod incipit: Sæpe.

Trahentes clericos & eccleſiaſticas perſonas coram iudice ſæculari, nec non eccleſiaſticæ perſonæ conuentæ ſponte coram talibus iudicibus ſæcularibus iudicialiter reſpondentes, excommunicati ſunt ipſo facto.

LVII.

De eodem, ex ſtatuto domini Eberhardi Saltzburgenſis archiepiſcopi, quod incipit: Dudum.

Iudices ſæculares, qui perſonas eccleſiaſticas ad iudicia ſua ſæcularia euocare aut trahere in ipſorum contumaciam, ipſis non comparentibus, eccleſiaſtica bona inuadenda decernere præſumpſerint, excommunicati ſint ipſo facto. Et quotiens laicus, cuiuſcumque dignitatis exiſtat, eccleſiaſticam perſonam ad iudicium ſæculare trahere aut iudicare præſumpſerit, tamdiu in territorio trahentis & iudicantis ceſſetur a diuinis, donec ſatisfecerint parti tractæ, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere.

LVIII.

De eodem, ex ſtatuto eiuſdem domini Eberhardi, quod incipit: Quamquam. in paragrapho; abuſum.

Inualida & iniqua eſt conſuetudo, qua iudices ſæculares trahere conantur perſonas eccleſiaſticas ad iudicium ſæcu-

ANNO CHRISTI 1420.

sæculare, etiam super bonis ecclesiasticis: & contra facientes excommunicati sunt ipso facto; & eorum processus ac omnia inde secuta nullius sunt momenti.

LIX.

Prouisio contra Hussitas, ne admittantur ad prædicandum; & quod eos scientes suis superioribus denuntient. Ex statuto domini Eberhardi Saltzburgensis archiepiscopi, quod incipit: Cum nonnulli.

Mandatur sub interminatione maledictionis æternæ, & sub excommunicationis pœna latæ sententiæ in singulares personas, & interdicti in loca, ne quispiam, cuiuscumque status existat, etiamsi pontificali vel ducali præfulgeat dignitate, Vuicleffistas & Hussitas, & de eorum hæresibus & erroribus infamatos aut suspectos, in quibuscumque locis ad prædicandum, docendum & dogmatizandum admittat, seu assumat, publice vel occulte. Et omnes vtriusque sexus Christi fideles dictæ prouinciæ, postquam audiuerint, sciuerint, aut eis constiterit, huiusmodi hæreticos & suspectos in prouincia morari vel docere, &c. sub pœnis prædictis denuntiare tenentur suis superioribus, si eorum præsentiam commode adire possunt. Principes quoque & * comites, & eorum iudices & officiales, ad requisitionem episcoporum, vel suorum vicariorum, tales incarcerare, captiuare & detinere debent & tenentur sub pœnis prædictis, etiamsi se prætendant in sacris constitutos; quos tamen suis superioribus præsentare tenentur. Et contra eos procedatur iuxta canonicas sanctiones. Receptatores quoque, fautores & defensores eorumdem pœnis subiaceant præfatis. Insuper ordinatur, vt vltra pœnas iuris, non abiurantes huiusmodi errores per annum carceribus mancipentur; nec relaxentur, donec de vera constet ipsorum & non simulata conuersione. Hortantur demum suffraganei, vt contra tales viriliter insurgant, & iura exequantur & obseruent, & a suis faciant subditis inuiolabiliter obseruari.

* comitates, *mendose; nisi forte legendum sit* communitates.

CONCILIVM SENENSE

Anno Christi 1423.

CELEBRATVM ANNO DOMINI MCCCCXXIII.

SVB MARTINO PAPA V.

De Translatione Concilii Papiensis ad Senas.

DE translatione Concilii generalis a ciuitate Papiensi ad ciuitatem Senarum facta anno Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimo tertio, die vigeſima ſecunda menſis Iunii. Sciendum quod anno prædicto, die vigeſimo primo prædicti menſis, in dicto Concilio exiſtentibus pro parte domini noſtri papæ Martini V. reuerendis in Chriſto patribus & dominis Petro archiepiſcopo Spoletano, Petro abbate de Roſacco Aquileienſis diœceſis, ordinis ſancti Benedicti, & Leonardo magiſtro & generali ordinis Prædicatorum, & aliis prælatis & doctoribus de diuiſis nationibus. Reuerendus in Chriſto pater dominus abbas ſancti Ambroſii Mediolanenſis de mane illuſtriſſimi principis domini ducis Mediolanenſis præſentauit præfatis dominis de Concilio literas credentiales, virtute quarum idem dominus abbas expoſuit magnam beneuolentiam quam dictus princeps habebat ad ipſum Concilium. Et quia dolenter intellexerat in dicta ciuitate Papienſi peſtilentiam epidemialem vigere, dictis dominis de eminenti periculo volens eis præcauere, præſentabat dicto Concilio omnes ciuitates & oppida ſuorum dominiorum, demptis dumtaxat duabus ciuitatibus, Brixia & Mediolano. Quibus auditis, domini de nationibus retraxerunt ſe ad partem in aula exteriori, commiſſariis domini noſtri papæ in aula interiori remanentibus. Et quia dicebatur quod idem dominus abbas habebat illo die neceſſario reuerti, & referre reſponſionem ad dominum ducem prædictum: poſt plures inſtantias præcipitatiuas, iterum dictam cameram ſine concordia de loco tranſlationis, vbi poſt multas altercationes hincinde habitas, dominus Andreas Poznanienſis epiſcopus pro ſe & illis de natione Germanica qui erant quatuor in numero, cum videret quod non poſſet faciliter haberi concordia, dixit præmiſſis commiſſariis, quod

ANNO CHRISTI 1423. onerabat dictos commissarios de electione loci, pro translatione dicti Concilii, saluis semper in omnibus decretis Concilii Constantiensis. Consequenter dominus Philibertus Ambianensis episcopus pro illis de natione Gallicana qui erant ibi sex in numero, similiter respondit. Postremo vero dominus Ricardus episcopus Lincolnienſis pro natione Anglicana, quæ plus abundabat in suppositis, respondit similiter, & addidit, quod locum quem dicti commissarii eligerent, dicta natio extunc eligebat. Nullus autem erat ibi de natione Hispanica, neque de Italica, præter dictos commissarios. Et sic domini iuerunt ad prandium, quia etiam iam erat hora tarda. In crastino vero de mane tenebatur sessio, in qua post celebrationem Missæ per dominum Andream Pozniacensem prædictum, præsidentem pro dicto Spoletano episcopo, cantatis litaniis & ceteris orationibus more solito, idem dominus Andreas ascendens ambonem legit quamdam schedulam, quæ nunquam fuerat visa per nationem Gallicanam, cuius tenor sequitur in hunc modum.

Decretum de ipsa translatione ex causa pestis.

Sacrosancta Synodus generalis Papiensis in Spiritu sancto legitime congregata, causa pestis inibi notorie vigentis, ipsam ciuitatem Papiensem mutat, & loco ipsius ciuitatem Senarum in natione Italica consistentem, tamquam habilem & locum sufficientem pro continuatione eiusdem sacri Concilii, tenore præsentium eligit atque deputat. Qua schedula perlecta, dominus Petrus archiepiscopus Cretensis respondit, Placet, pro natione Italica, licet non haberet super hoc mandatum a natione, nec natio viderat schedulam prædictam. Magister Nicolaus de Suzato doctor in theologia similiter respondit pro natione Germanica, & dominus Ricardus Lincolnienſis episcopus pro natione Anglicana.

ACTA SENENSIS CONCILII. ANNO CHRISTI 1423.

Sequitur decretum de approbatione proceſſuum, & continuatione in futurum contra Huſſitas hæreticos.

Sacroſancta Synodus Senenſis generalis in Spiritu ſancto legitime congregata, vniuerſalem eccleſiam repræſentans:

IN ea Petro archiepiſcopo Cretenſi, Iacobo epiſcopo Spoletano, Petro abbate de Roſacco Aquileienſi, & Leonardo magiſtro & generali ordinis Prædicatorum, nuntiis ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini domini Martini papæ V. vnici & indubitati ſummi pontificis ſpecialiter deputatis: ipſiuſque reformationem intendens, incipiens a fidei fundamento, præter quod nemo poteſt aliud ponere, damnationem hæreſeum Vuicleffiſtarum & Huſſitarum, ſuorumque ſequacium extirpationem. Deinde per præfatum ſanctiſſimum dominum papam Martinum pro viribus procurata tam principum, baronum, diuiſorumque populorum exhortatione & requiſitione, tam etiam plenariæ indulgentiæ conceſſione illas proſequentibus, cum pro tali habitione ad diuerſas partes bina deſtinatione legati de latere, ratas & gratas habens approbat & confirmat, contra eoſdem continuando proceſſus. Decernit omnes perſequentes ac procurantes extirpationem dictæ ſectæ gaudere omnibus iuribus, priuilegiis & indultis a iure vel ab homine, peccatorum veniam concernentibus, contra hæreticos inſurgentibus conceſſis, aut infectos labe dictarum hæreſeum quomodocumque, omnes & ſingulos eiſdem conſiliis, auxiliis vel fauoribus aſſiſtentes, ac eoſdem defendentes vel receptantes, nec non victualia, ſpecies aromaticas & pannos, ſal, pulueres, bombardas, plumbū, vel arma, ſiue inſtrumenta bellica, ſeu res alias quaſcumque eis adducentes, ſiue alia quæuis negotia vel commercia publice vel occulte facientes cum eiſdem; eos etiam qui ſcienter per dominia, terras, diſtrictus, vel ſuæ ditioni ſubiecta, præmiſſa in toto vel in parte præfatis hæreticis adduci ſeu apportari, vel ſubditos ſuos cum eis negotiari permiſerint, pœnis & damnationibus contra hæreticos promulgatis obnoxios fore ac ſubditos, iuriſdictionem

ANNO CHRISTI 1423. quorumcumque iudicum, extirpationem hæreticæ prauitatis, priuilegiis, exemptionibus, immunitatibus, saluisconductibus a quibuscumque personis ecclesiasticis vel sæcularibus, etiam si pontificali, imperiali, regali & ducali, aut alia quacumque ecclesiastica vel sæculari præfulgeant dignitate, concessis vel concedendis, non obstantibus quibuscumque. Insuper omnes Christianæ religionis principes ac dominos tam ecclesiasticos quam sæculares hortatur, inuitat & monet per viscera misericordiæ Dei, ad extirpationem tanti per ecclesiam prædamnati erroris omni celeritate, si diuinam vltionem & pœnas iuris euitare voluerint, euigilent & intendant. Nihilo minus disponens hæc sancta Synodus ante eius dissolutionem super huiusmodi decreti executione efficacius prouidere.

Ratificatio condemnationis factæ per Constantiense Concilium contra Petrum de Luna, & aggrauatio contra succedentes & participantes.

Item hæc sancta Synodus sententiam damnationis & condemnationis in personam damnatæ memoriæ Petri de Luna, olim Benedicti decimitertii in sua obedientia nuncupati, schismatici & hæretici pronuntiati per sacrum Constantiense Concilium, & inhibitionem factam omnibus & singulis Christi fidelibus sub pœnis fautoriæ hæresis & schismatis, ac priuationis omnium beneficiorum, dignitatum & honorum ecclesiasticorum ac mundanorum, & alias pœnas iuris infligendo, prout in dicta sententia præfati Concilii, cuius totum tenorem hic haberi vult & habet pro sufficienter expresso, latius continetur, ratam & gratam habens, eiusque executionem, continuationem continuare volens, decernit, statuit & declarat, omnes & singulos post obitum dicti Petri de Luna continuantes seu perseuerantes in credulitate vel obseruantia erroris & schismatis eiusdem Petri sic (vt præmittitur) damnati, vel ius aliquod ab eo in eas directe vel per indirectum deriuasse aut deriuari potuisse prætendentes, seu in vicem eius succedentes, eorumque receptatores, defensores & fautores, cuiuscumque status, præeminentiæ vel conditionis existant, etiam pontificali, cardinalatus,

imperiali vel regali, aut alia quacumque eccleſiaſtica vel ſæculari præfulgeat dignitate, omneſque & ſingulos eiſdem conſiliis, auxiliis vel fauoribus aſſiſtentes vel receptantes, nec non quoſcumque victualia, ſpecies aromaticas & pannos, ſed & plumbum, pulueres, bombardas vel arma, ſeu inſtrumenta bellica, ſeu res alias quaſcumque eis adducentes, ſiue alia quæcumque negotia vel commercia publice vel occulte facientes cum eiſdem; eos etiam qui ſcienter per dominia, terras, diſtrictus vel loca ſuæ ditioni ſubiecta, præmiſſa in toto vel in parte præfatis hæreticis adduci vel apportari, vel ſubditos ſuos cum eis negotiari permiſerint, fore obnoxios atque ligatos pœnis & cenſuris in dicta ſententia contentis, cum etiam noui erroris inuentores non ſint, alieno tamen facinori prædamnato ſuam communionem immiſcuerunt, nullo eiſdem exceptionis, immunitatis, priuilegii, ſtatuti vel conſuetudinis præſidio ſuffragante: per hanc tamen approbationem & declarationem, ſtatutum ſiue decretum, non intendit priuilegiis, habilitationibus, declarationibus quibuſcumque perſonis per ſanctiſſimum dominum noſtrum papam Martinum quintum conceſſis & concedendis præiudicium generare, ſeu in aliquo derogare. ANNO CHRISTI 1423.

Conceſſio indulgentiarum perſecutoribus hæreticorum.

Item quoniam propter negligentiam quorumdam ordinariorum & inquiſitorum deputatorum extirpationi hæreticæ prauitatis, in diuerſis mundi partibus variæ hæreſum ſpecies pullularunt in grauem Dei offenſam, fidei catholicæ detrimentum, & multarum animarum perditionem: volens hæc ſancta Synodus remedium adhibere, ſtatuit atque mandat omnibus & ſingulis locorum ordinariis ac inquiſitoribus hæreticæ prauitatis, vt timore, fauore, amore & odio quibuſcumque poſtpoſitis, iuxta iuris formam ſolicite intendant inquiſitioni & extirpationi hæreſum quarumcumque, & quamprimum eis conſtiterit in locis ſuæ iuriſdictionis aliquos dicta labe infectos exiſtere, eorum captioni & punitioni intendant ſecundum canonicas ſanctiones, quodque vt fauoribus opportunis circa hæc eiſdem ordinariis & inquiſitionibus aſ-

ANNO CHRISTI 1423. sistatur, constitutioni Bonifacii octaui disponenti super inuestigatione, captione, custodia & punitione hæreticorum & fautorum fiendis & procurandis per dominos & rectores temporales locorum, addere cupiens, statuit hæc sancta Synodus, quod quicumque capientes hæreticos, & in potestatem ordinariorum vel inquisitorum hæreticæ prauitatis effectualiter ponentes, vel eos quos detinere seu capere non possent, de eorum territoriis omnes expellentes aut bannientes, seu etiam requisiti brachium sæculare contra eos præstantes, eam indulgentiam consequantur, quæ dari consueuit personaliter proficiscentibus in subsidium terræ sanctæ. Mandat etiam omnibus ad quos spectat deputare inquisitores hæreticæ prauitatis, vt in deputatione seruetur Concilium Viennense, ac in locis insignibus, vel vbi frequentius pullularet hæresis, quoscumque non deputent, nisi magistros in sacra pagina, si tamen commode possint. Alioquin, alios doctiores & aptiores quos potuerint reperire. Huiusmodi quoque decretum prima & quarta Dominica quadragesimæ, in festo natiuitatis & resurrectionis Domini nostri Iesu Christi, ordinarii in suis ecclesiis principalibus, inquisitores vero præfati in ecclesia insigni ciuitatis vel diœcesis, vbi magis viderint expedire, quando populus conuenit ad diuina, singulis annis perpetuo intelligibiliter publicare teneantur, & singulis Dominicis diebus publice nuntiare candelis accensis pariter & extinctis, & in terram proiectis, campanisque pulsatis, omnes hæreticos, credentes, receptatores, fautores & defensores eorumdem, excommunicatos, & tales ab omnibus euitari. Hanc autem publicationis formam, quoad constitutiones præfatas Vuicleffistarum & Hussitarum, & schismaticorum, quousque viguerint, hæc sancta Synodus obseruari decreuit. Quod si prædicti ordinarii vel inquisitores circa obseruantiam huiusmodi statuti se remissos ac negligentes reddiderint, pœnam suspensionis ab ingressu ecclesiæ per quadrimestre tempus eo ipso incurrant, ac in prouincialibus seu synodalibus Conciliis pro modo culpæ seu negligentiæ contra tales negligentes vltra prædictam pœnam prouideatur de remedio opportuno, priuilegiis, exemptionibus, consuetudinibus & statutis con-

tra præmissa disponentibus, non obstantibus quibuscumque. ANNO CHRISTI 1423.

Statuta super materia reductionis Græcorum.

Item in nonnullis generalium Conciliorum conuocationibus Romani pontifices pro tempore existentes conati sunt ecclesiam orientalem reducere ad vnionem vniuersalis ecclesiæ in necessaria fide Iesu Christi saluatoris: sanctissimusque dominus noster papa Martinus quintus, paterno eius affectu compatiens & afferens, omnes errantes ad vnicum Christi ouile reducere perquirens, solicite nuntium proprium sufficienti potestate munitum ad patriarcham & imperatorem Constantinopolitanum destinando, vt vnioni & gremio sanctæ matris ecclesiæ possent reincorporari: cuius nuntii expositione audita, imperator respondit, prout in eiusdem literis aurea bulla im . . . . . latius continetur, cuius tenor infra habetur. Ex quibus apparet cum ipsis talia istis temporibus non posse vtiliter & fructuose pertractari. Quare hæc sancta Synodus considerans reformationem catholicæ ecclesiæ necessariam fore, eis pro nunc non aliter expectatis, decernit ad dictam reformationem fore procedendum, & cum se facultas obtulerit, vigilare diuina clementia, sinceroque cordis affectu pro viribus intendere eorum reductioni ad gremium fidei catholicæ.

Hoc lecto, ostendebatur litera patriarchæ Constantinopolitani, bulla aurea sigillata, & in Græco pariter & in Latino scripta. Et primo legebatur Græcum per Ma. . . . . vnum secretarium domini nostri papæ, & consequenter Latinum per dictum Ma. . . . Azel, cuius tenor sequitur.

Instrumentum relationis de ambasiata facta ad Græcos ex parte domini papæ, & continet nouem conclusiones.

In indiuiduæ sanctæ Trinitatis nomine. Amen.

A Christi natiuitate anno millesimo quadringentesimo vigesimosecundo, indictione quintadecima, die decimaquarta Nouembris, Constantinopoli vrbe regia in præsentia domini imperatoris Romæorum, præsentibus testibus infra scriptis, ad hæc omnia & singula vocatis & rogatis, reue-

ANNO CHRISTI 1423. reuerendissimus & integerrimus vir atque clementissimus sacræ theologiæ professor magister Antonius Massanus, qui dicitur orator & nuntius apostolicus in partibus Græciæ, ad diem decimum Septembris millesimi supradicti Constantinopolim applicuit : qui maiori suæ honestati consulens, diuertit in Peram ad conuentum ordinis fratrum Minorum ; statimque per reuerendos & honestissimos viros fratrem Gulielmum confessorem excelsæ & Christianissimæ imperatricis, & magistrum Ioannem præfati oratoris socium. Et sereniſſimo principi domino Manueli Dei gratia Romæorum imperatori idem significauit, primo se esse nuntium apostolicum missum ad suam maiestatem imperialem : deinde vbi & quo in loco eidem gerens morem secesserat. Tertio vero, quandocumque sua imperialis maiestas pro eo mitteret, ipse semper paratissimus esset. Cui quidem domino oratori Io. . . . . dominus imperator per eosdem dominos venerabiles fratres ad suam serenitatem transmissos huiusmodi responsum dedit. Primum lætari se plurimum de ipsius aduentu ; de loco autem in quo erat, vehementer congratulari, & ita meliorem eligere non potuisset : domum vero quod propediem pro eodem mittet, quo voluntatem beatissimi summi pontificis audiret. Postea vero cum ad diem decimumsextum eiusdem mensis Septembris ipse dominus imperator misit, idem reuerendissimus pater dominus nuntius apostolicus ad imperiale palatium profectus est, honorificentissime associatus, & ab honorabili domino baiulo illustrissimi ducalis dominii Venetorum, & alia multitudine nobilium copiosa, tam Græcorum quam Latinorum : ibique facta maiestati imperiali reuerentia debita, eidem bullas sanctissimi in Christo patris & domini Martini diuina prouidentia papæ quinti præfatus dominus orator propriis ipsis manibus porrexit, atque benedictione sanctitatis apposita, assignata, dixit habere se ex mandato apostolicæ ipsius sanctitatis, & suæ serenitati & reuerendissimo in Christo patri domino patriarchæ nouem quæstiones exponere, quibus dominus imperator respondit suo loco & tempore ad illas exponendas iterum se pro eodem domino oratore missu-

rum. Ad diem autem tertium Octobris cum idem illu- ANNO CHRISTI 1423.
ſtriſſimus imperator Manuel mittere inſtituiſſet, veluti antea dixerat, vt ipſe vna cum domino patriarcha eas nouem concluſiones exponendas attenderet, grauiſſima infirmitate oppreſſus eſt, & adeo oppreſſus repente, vt & loquelam omnem ac ſenſus omnes penitus amiſerit. Quamobrem die decima eiuſdem menſis Octobris, idem reuerendiſſimus dominus orator & nuntius apoſtolicus, per ſupradictos fratres Guillelmum confeſſorem & magiſtrum Ioannem tranſmiſſos ad illuſtriſſimum principem dominum Ioannem eius ſereniſſimi domini Manuel filium primogenitum atque Romæorum imperatorem in prædictis deſignatum, primo apud ipſius maieſtatem condoluit de aduerſa & . . . . . valetudine excelſiſſimi patris ſui, deinde modeſtiſſime ac ipſi ſignificauit, quod legatio beatiſſimi ſummi pontificis in longiuſculum trahebatur. Ad diem vero decimamquintam eiuſdem menſis Octobris, idem illuſtriſſimus dominus Ioannes imperator iunior, aduocato in ſuum imperiale palatium præfato reuerendiſſimo patre magiſtro Antonio Maſſano, digniſſimo nuntio apoſtolico, illam ſacratiſſimam pontificis ſummi legationem in nouem concluſiones diſtributam in ſecreto audiuit, reiectis ac remotis omnibus præter ſuorum aliquos. Quibus quidem nouem concluſionibus accuratiſſime auditis, poſt pleraque verba dixit, vſque ad dies paucos ad ea ſe reſponſurum, quæ ipſi domino oratori placita fierent. Viceſima autem die eiuſdem menſis Octobris, reuerendiſſimo in Chriſto patre & domino domino patriarchæ Conſtantinopolitano ſupradicto publice in eccleſia ſancti Stephani coram ſuis metropolitanis, calogeriis & præpadibus, atque aliis multis tam Græcis quam Latinis hominibus, idem dominus nuntius apoſtolicus eaſdem nouem concluſiones expoſuit, quibus & ipſe reuerendiſſimus quoque dominus patriarcha vſque ad dies paucos reſponſurum affirmauit. Ipſæ vero concluſiones, quas illuſtriſſimo domino imperatori atque reuerendiſſimo in Chriſto patri, domino patriarchæ præfatus dominus orator retulit, hæc habent de verbo ad verbum.

ANNO CHRISTI 1423.

Sanctissimus & beatissimus qui habet cæleste arbitrium, qui est dominus in terris, successor Petri, christus Domini, dominus vniuersi, regum pater, orbis lumen, summus pontifex papa Martinus, diuina prouidentia papa quintus, mandat mihi magistro Antonio Massano ordinis Minorum, oratori & suo nuntio in partibus Græciæ, hæc * mora vobis reuerendo in Christo patri & domino domino Ioseph patriarchæ dignissimo Constantinopolitano, & serenissimis principibus Manueli & Ioanni Romæorum imperatoribus Palæologis, nouem nuntiare maximas sententias.

Quarum prima fundatur in domini nostri papæ ad vnionem ardentissimo desiderio. Cum enim omne ex natura sua tendat ad vnionem, quia non vult totum a suis partibus separari, nec partes a suo toto, vt vnio seruetur; postea quoniam virtus vnita fortior est dispersa: sanctissimus dominus papa non tantum desiderat vnionem ex natura, sed etiam vltra naturam inclinatam. Tantum optat ratione bonitatis pontificatus domini nostri felicissimam videre diem illam ecclesiarum Latinæ Græcæque vnionis, vt præter Deum nihil supra. Deinde intendit pro hac totum ecclesiæ Romanæ licitum iustum apponere atque honestum: & quod felicius hac in vita suæ sanctitati occurrat, certe ei non venit in mentem: & totum collegium dominorum cardinalium, omissis omnibus, quasi de re alia non pertractat, quam de ista sanctissima vnione. Sed quid dicam de domino legato reuerendissimo cardinale sancti Angeli, qui, vt inferius explanabo, ad mortem se posuit in horrendo mari contra omne medicorum consilium? tam accenso harum ecclesiarum Græcæ & Latinæ desiderio ardebat concludendi vnionem, vt ecce dicamus, desiderio desiderauit Christi vicarius cum suis cardinalibus hoc pascha vnionis, communionis & pacis secure nobiscum Græcis vnica in ecclesia catholica & apostolica, rugam non habente, schisma neque dolos.

Secunda conclusio, in suum habet ius malis & periculis quæ ex hoc schismate prouenerunt hactenus, & quotidie proueniunt, tam spiritualiter quam temporaliter. Quæ lingua, pater patriarcha & Romæorum im-

perator, sufficit explicare ex hac pestifera diuisione sanguinis effusionem, hominum stragem, succensiones, furta, adulteria, homicidia, & similia mala ineffabilia? Propter hoc pessimum malum Græcia nobilis, tam florida, perdidit proprietatem dominii, sæcularem sapientiam ac morum strenuitatem, principum nobilitatem, plenitudinem populorum, mercatorum affluentias, maris potestatem: in præsenti vero Græcia omnis amissa vtriusque hominis pace, guerris inimicorum crucis Christi vndique premitur, & in seruitutem redigitur. Quid scelestius dici posset, quam quod infideles, fideles Christianos suppeditantes, hac arma mouere cogant vt plurimum contra Christianos? Quid inhonestius, quam vt pudicæ dominæ Græcorum, alias timore, nunc amore per viros suos nunc admittantur ad tortorum coniugium, imo per parentes ad dispensationem, si dispensatio habet dici? Nos vtique Latinos abominantes, & vocantes nos schillos Francos, cum simus eiusdem fontis renati baptismate, eiusdemque cælestis Patris filii atque heredes & fratres. Sed quod deterius est, nisi ista cesset scissura, omnes nunc tam Tartaris quam Turcis obedient, & renuntiabunt euangelio Christi, & iam serui fient Mahometis, ex carentia prædicatorum pacem, vnionem & salutem annuntiantium eis. Sed circa periculum, ne pereat præsto ex toto Græciæ monarchia irrecuperabiliter, dari forsan consilium * nulliter salubrius, quam se nobiscum vnire caritatis vinculo, vt fiat velut antea vnum ouile & vnus pastor; & vt filii Dei Græci qui sunt aliqui in Græcia, aliqui in Armenia, aliqui in Syria, aliqui in Bulgaria, aliqui in Turchia, &c. & congregentur in vnum ecclesiæ Romanæ consensum: alias omnia per brachium infidelium remedia periculosa certe sunt. ANNO CHRISTI 1423.

Tertia conclusio soluatur in requisitione promissi: quoniam reuerendus pater & dominus episcopus Slomensis, & dominus Nicolaus Eudemon Ioannes, obtulerunt & dixerunt aperte, districte & clare, omni semota obscuritate, domino & sanctissimo papæ Martino quinto, voluntatem esse patriarchæ reuerendissimi Constantinopolitani, & sereniſſimi Romanorum imperato-

ANNO CHRISTI 1433. ris, procurare ac curare sine fraude & dolo sanctissimam vnionem ecclesiæ Græcorum cum ecclesia Latina, sub illa fide quam sancta Romana ecclesia tenet, & obedientia ad eamdem ecclesiam Romanam: vt intendit dominus noster papa in suis bullis credentialibus ad vos reuerendissimum patriarcham, & ad vos sereniſſimos imperatores, & ad præfatos vestros: vt etiam testantur hoc literæ credentiæ reuerendissimi domini legati ad eosdem. Ideo dominus noster merito bonus, vt pastor, requirit, inuitat vos iustum ad promissum seruandum in sancta sede apostolica. Diuina voce Græca ait ecclesia: conscientiæ nostræ conuenit semper dare operam, ne oues errantes culpa nostra pereant de ecclesia: & si præter intentum nostrum dominus Theodorus & dictus Nicolaus oratores nostri promiserunt hæc supradicta modo prædicto, ostendetur euidenter sanctitati domini nostri, eos falsè exposuisse voluntates nostras, ne dubium remaneat aliqua in parte præfatorum. Veritas quidem non quærit angulos, sed prædicat in plateis, in publicum dicit quod narrat omni alechia iidem phobiæ, &c.

Quarta conclusio creatione legati firmitatem habet. Propter quæ præmissa tam mirifica sanctissimus dominus noster papa illico Florentiæ creauit dictum legatum ex latere, & publicauit reuerendissimum in Christo patrem dominum cardinalem sancti Angeli. Qui dominus cardinalis & legatus propter nonnullas ecclesiæ necessitates & suas peruenit ad Hispaniam, de conscientia eiusdem domini Nicolai Eudemon Ioannis, oratorum vestrorum, eo quod tunc non erat tempus idoneum nauigandi ad Græciam, nec erant præordinata, quæ de necessitate videbantur ordinanda Constantinopoli pro Concilio fiendo. Sine enim Concilio visum fuit, Græcorum & Latinorum præfatam vnionem sequi non posse: & ipsis satis erat ad hæc faciendum. Fuit autem prædictus dominus cardinalis in Hispania grauissima infirmitate detentus, a qua nondum liberatus, in maris periculo se posuit contra etiam salubre consilium medicorum, vt ad implendum opus sui officii veniret, & vt non faceret voluntatem suam, sed voluntatem eius patris domini papæ qui misit eum.

Quinta concluſio attenditur penes impedimenta, ex quibus legatus & dominus cardinalis non iuit ad Græciam. Cum enim verſus eamdem ſe paraſſet ad iter, literæ ſuperuenerunt epiſcopi Theodori, nec non & aliorum multorum, deportatæ per fratrem Macarium & alios nonnullos: in quibus expreſſe continebatur ex ſententia, quod congregatio pro Concilio fiendo prælatorum Græcorum iſto tempore fieri non poſſet, propter inhumaniſſimam Turcorum guerram, & tranſitum eorumdem ad partes Græciæ. Ac etiam in eiſdem literis renuntiatum eſt Conſtantinopoli eſſe nullum veſtigium præparationis Concilii. Incaſſum ergo ſuperueniſſet legatus ad impetratam, imo perturbatam atque inconſideratam omnibus ſuis in partibus . . . prudentia enim ſi aut adiecto vltimo vult præceptum, iudicium medio, & primo conſilium: quorum prudentiæ actiuum primus non eſt, ſecundus abeſt, tertius ſubeſt. Venire ergo non debebat dominus legatus. ANNO CHRISTI 1423. Locus obſcurus.

Sexta concluſio vigorem habet in deſtinatione nuntii apoſtolici. Quare nec longum iter diuturna mora legati eſſet ſine fructu, ſi dominus noſter papa habito maturo & digeſto conſilio deliberauit * promittere me nuntium ſuum apoſtolicum, vt præordinarem congregationem prælatorum & Græcorum, quæ repræſentat totam ipſorum eccleſiam, ne in primum inconueniens incidamus, quando oratores imperatoris Conſtantinopolis in Concilio Lugdunenſi ſe Romanæ eccleſiæ vniuerunt, &, Credo in Deum, prout eadem eccleſia, publice decantarunt: nec tamen illi reductioni, vt patet, Græcia ſtare voluit, aſſerens, vt fertur, ſine communi Concilio id actum eſſe. Expedit quidem hoc ad tollendum vetuſtiſſimum malum. Hoc ſciam, quatenus quo poſſum clariſſime informare dominum noſtrum papam & legatum, ſcilicet quo tempore fieri debet iſtud Concilium, quo loco, & ex quibus Græcorum prælatis: ad quem finem Concilium, fateor, intendit. Quia cuius finis bonus, ipſum quoque bonum eſt: & cuius finis malus, ipſum quoque malum eſt. Si eſt diſputatio plurimum grandæua, ſi de fide diſputatio, procul a nobis: ſi ad conferendum per doctores Græcos pariter & Latinos ſummam complacentiam ad *calauuite agathon.* * *f.* præmittere

ANNO CHRISTI 1423. Septima concluſio roboratur in certitudine promiſſi. Vnde quæro, ſi vos, reuerẽdiſſime patriarcha & ſereniſſimi imperatores, intenditis realiter operari, quod vnio fiat ſub fide quam ſacroſancta Romana eccleſia tenet & ſeruat, & obedientiam ad eamdem Romanã eccleſiam: eſto etiam quod alii Græci congregati in Concilio, quia non ſint ſub dominio veſtro temporali, non vellent accedere. Iſtud idem dominus epiſcopus Theodorus, & dominus Nicolaus Eudemon Ioannes obtulerunt Florentiæ pro parte reuerendiſſimi patriarchæ & ſereniſſimi imperatoris Manuelis, ſanctiſſimo domino noſtro papæ & legato, non quæſtum ad intentionem promiſſionis imperatoris & patriarchæ, ſed quæſtum ad verba, promiſſio indiget, vt fertur, examinatione.

Octaua concluſio exiſtit in oblatione domini legati. Promittit enim certiſſime illuſtriſſimus dominus cardinalis ſancti Angeli & legatus ex latere in partibus Græciæ, vbi promiſſi recto animo & dicto inſtituto veniatis ad ſæpe dictam ſanctiſſimam vnionem promptum adiutorium regis Aragoniæ, regis Caſtellæ, glorioſiſſimorum, pro fidei triumpho, nec non & aliorum principum: quamuis coacta Deo non placeant. *Hilarem enim datorem diligit Deus.* 2. Cor. 9.

Nona concluſio terminatur in finali & ſancto promiſſo ſanctiſſimi domini noſtri papæ: Ego nuntius apoſtolicus magiſter Antonius Maſſanus ordinis Minorum, palam coram omnibus promitto de mandato domini noſtri Martini papæ V. quod ſi prædicta vnio per reuerendiſſimum dominum patriarcham & imperialem maieſtatẽ vna cum modis ſupradictis fiat, quod ſanctiſſimus dominus noſter papa præſto mittet legatum abſque mora retardationis cum prælatis & magiſtris ad hoc ſpecialiter ordinatis, vbi primo, ſicut præmiſi in ſexta concluſione, ſciam tempus huius ſacratiſſimi Concilii, & locum eiuſdem congregationis prælatorum Græcorum ſufficientem & idoneum, & quem finem intenditis eſſe nobiſcum in Concilio, & quomodo.

Diligentiæ pro reſponſione a Græcis habenda, & cauſa dilationis.

ANNO CHRISTI 1423.

Poſt autem has nouem concluſiones, ita vt ſcriptæ ſunt, diligenter expoſitas, idem reuerendiſſimus pater dominus nuntius apoſtolicus, magiſter Antonius Maſſanus, ad diem vigeſimamquartam eiuſdem menſis Octobris eumdem reuerendiſſimum in Chriſto patrem dominum patriarcham ſecundo conuenit & allocutus eſt ſuper concluſionibus ſupraſcriptis. Item & die vigeſimaſexta eiuſdem menſis præfatus dominus nuntius apoſtolicus ſupra nominatos fratres Gulielmum confeſſorem, & Ioannem ſocium ſuum ad eundem ſereniſſimum dominum imperatorem dominum Ioannem miſit, vt ſuæ maieſtati placeret reſponſionem ſibi dare ad ea quæ nomine beatiſſimi ſummi pontificis ſuæ ſerenitati retulerat. Die vero trigeſima eiuſdem quoque menſis Octobris, iterum dominus imperator apud eumdem reuerendum dominum patriarcham fuit ad tractandum & colloquendum de modo celebrandi Concilii. Kalendis autem Nouembris idem ſereniſſimus dominus imperator Ioannes miſit ad ipſum dominum oratorem quemdam ex nobilibus ſuis Cataciſmon, ad dicēdum, ne miraretur, ſi tam cito minus reſponſum dabat: quoniā multis & maximis negotiis bellicis impræſentiarum eſſet implicitus. Deinde quoque ad diem tertium Nouembris dominus nuntius apoſtolicus miſit ad quemdam maieſtatis imperialis Calogerum & ad Cloſeps, vt vellent illuſtriſſimum dominum imperatorem ac reuerendiſſimum dominum patriarcham ad hanc vnionem ſacratiſſimam excitare. Ad diem vero decimumquartum Nouembris præfatus dominus nuntius apoſtolicus reſponſionem habuit ad omnes ſupradictas concluſiones, tam a reuerendiſſimo domino patriarcha, quam ab illuſtriſſimo domino imperatore ſupradicto: quoniam cum firma ac ſolida in ſe eſſe aſſerat, idem dominus nuntius apoſtolicus hic annotari ſeu adſcribi voluit. Scriptum & publicatum Conſtantinopoli, quemadmodum retulerunt, & ſuis ſic miſſis teſtationibus approbauerunt venerabilis frater Gulielmus confeſſor ſupradictus, frater Petrus Capinus cuſtos Conſtantinopolitanus, frater Ludouicus de Taraſio, frater

ANNO CHRISTI 1423. Damianus de Venetiis, dominus Ioannes Arispa, & frater Laurentius de Franciscis, testes ad hæc omnia & singula suprascripta vocati & rogati.

Et ego Franciscus Philelphus ciuis Venetus publica & imperiali auctoritate notarius, & nostris in Venetorum curia & Constantinopolitana cancellarius, ex relatione & attestatione præfatorum testium suprascripta omnia & singula scripsi, compleui & publicaui.

Auscultatum & collationatum cum originali per me Aimonem Gerbasii episcopi Maurianensis, literarum apostolicarum de curia & aliarum in camera apostolica registrari, * solicitare registratori, die vigesimaoctaua Iulii anni millesimi quadringentesimi vigesimitertii, de episcopi prædicti manu propria.

Copia literarum responsionis imperatoris Græcorum ad papam Martinum V.

Sanctissimo in Christo patri & domino domino Martino sacrosanctæ Romanæ Dei catholicæ & apostolicæ ecclesiæ summo pontifici dignissimo, Joannes in Christo Deo fidelis imperator & moderator Romæorum Palæologus semper Augustus, reuerentiam debitam & deuotam.

Reuerendus vir ambasiator vester Antonius presbyter, monachus, theologiæ magister, venit ad nos in gratia sanctitatis vestræ ferens ac accipi . . . . . .cognouimus & ab ipsis & a vestro ambasiatore quæcumque nobis ipse dixit. Ad primos eius sermones, qui fere in summa fuerunt, quod ex parte mea dixit Nicolaus Eudemon, & reuerendus episcopus Olenis Theodorus, quod volumus vnionem simpliciter cum Romana ecclesia. Sed quoniam respondimus ipsi ambasiatori ad verbum, a quo sanctitas vestra de omnibus agnoscet, affirmamus etiam per nostras literas expresse, quod non solum aliquid tale commisimus, sed neque omnino vnquam ipsum in mente dicere habuimus. Sed quod scripsimus in literis nostris, istud & non aliud nostri ambasiatores impositū habuerunt implere & enucleare propriis sermonibus, videlicet fieri Concilium vniuersale secundum ordinem & consuetudinem sanctorum septem vniuersalium Conciliorum, & quod concesserit Spiritus sanctus ad pacem, istud firmare

& tenere. Circa sermones autem ipsius magistri Antonii ambasiatoris, post hoc quod quæsiuit agnoscere locum & modum & tempus Concilii: Respondemus, de loco quidem Constantinopolim, cum imperium nostrum in præsenti neque aptiorem alium locum habeat, neque possemus ire alio propter necessitatem. Verum in qua magis nunc sumus quam aliquando, & etiam propter necessitatem expensarum quibus ipsum negotium indiget. De modo, non necessitatem ducimus esse, omnes sanctissimos patriarchas, & omnes episcopos prouinciarum nostrarum interesse. Concilii autem huiusmodi expensas omni præterito tempore faciebat imperium, nunc autem similiter esset opus: imperium vero nunc non potest vllo modo, nec facultatem habet ad id faciendum. Qua de causa sanctitatem vestram rogamus, vt circa hanc rem prouideatur sufficienter. De tempore autem, optamus & desideramus vt taliter essent res, quod hodie hoc diuinum opus vnionis & nobis placitum, principium accipiet. Sed cum sint circa nos res tales, quales vidit suis oculis Antonius, qui quasi penitus destructis nobis omnibus, sunt sub periculo gladii & hæc ciuitas & omnia nostra: & non est possibile congregare episcopos ab Asia, neque ab Europa, propter guerras infidelium. Dicimus quod Deo dante pacem & firmitatem rebus, statim scribemus vobis, & apportatis nostris literis ad vos, & ex vobis ambasiatoribus vestris sumentibus cum exitu & expensis circa Concilium faciendis ab illa die incipiente eo vsque ad finitum annum, vt Concilium fiat. Verum hoc magnum desiderium & singularem amorem quem habemus ad tale diuinum opus vnionis, dicimus & hoc, quod etiam existente guerra infidelium, si sanctitas vestra fecerit talem pro securitate nostrorum necessariorum locorum, & feceritis excommunicationem terribilem & insolubilem contra quoscumque vestros homines, vt non relinquant nos solos in guerra infidelium, & ipsi in pace sint cum ipsis, sed auxilientur nobis contra infideles, ita quod ipsi infideles non habeant facultatem inferre contra nos armatos naue ipsorum. Et hoc parcet nobis reuerendissimus cardinalis habens ex nobis generalem auctoritatem & vim super istis: Placet nobis incipere vnionis opus ab ipsa die qua huc aduenerit

ANNO CHRISTI 1423.

ANNO CHRISTI 1423. prædictus reuerendiſſimus cardinalis: & tunc conuenien-
te ſacro Concilio ſecundum antiquum ſanctorum vni-
uerſalium ſeptem præteritorum ordinem & conſuetudi-
nem, & veritate ſine contentione quæſita, quidquid re-
uelatum fuerit inſpirante Spiritu ſancto in hoc ſancto
Concilio, vtrique parti placitum ſit, & ſubſequatur om-
nis terminus mundi. Itaque fiat vniuerſalis vnio & infran-
gibilis & firma eccleſiarum. Datum in vrbe noſtra Con-
ſtantinopolitana milleſimo quadringenteſimo viceſimo
ſecundo, die Sabbati quartadecima menſis Nouembris,
ſub noſtra imperialis ſigilli impreſſione, & noſtra ſolita
rubea ſubſcriptione.

Inſtrumentum electionis ciuitatis Baſileenſis pro celebratione Concilii generalis proxime ſecuturi.

In nomine Domini. Amen.

Tenore præſentis publici inſtrumenti cunctis pateat euidenter & ſit notum, quod anno a natiuitate eiuſdem Domini milleſimo quadringenteſimo viceſimoquarto, indictione ſecunda, die vero Sabbati decimanona menſis Februarii, hora Tertiarum, vel quaſi, pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto patris & domini, &c. *Vide reliqua in ſeſſione prima Concilii Baſileenſis.*

CONCILI:
ORUM.
TOM.XXIX.

Th
1001a

Ad Theodorum.

Fas esse, sibi ipsi mortem adferre

Quin mihi sponte mori fas sit? nam mors mala non est;
Theodore
Et res si jubeant, mors Theodore bona est.

Fraude, dolore, probro eripiar, curisque. Redibit
Libertas. Hoc non est Theodore mori.

Quin mihi sponte mori fas sit? & mors mala non est.

ceptū 1414 finit 1416.

§. 2. Papa juraoit se facturū in cessionē

§. 3. Conc. nullo modo invitū dissolvi pōe, neque transferri

p Papā, cujus recessus ō obeēt Concilio oecumenicitati

§. 4. Qd Concilium utitum erat suā authtē imdtē

â Xtohbeat, cui in papa obedire debeat, in his qa

pertinent ad fem & extirpaem dicti schismatis

& refaem gnalē Ea in Capite & membris

constitutionibus qbsqo â papa fiendis p laesē Concilii facto irritis

§. 5. pt decreta §. 4 definitū Papā quovis casu

qo Concilio utile videatur cedere debere. si pt ego distu

lerit cessionē ipso facto papā ō ee

§. 6 qedā ô magni momenti: Commissarii

Stra Hus designati, citati Hyeron. Pragensis.

decretae.

§. 7. Papa ē suis citatis; &c.

§. 8 condemnati 45 arti Jois Wiclef alii cathetici

alii aliis censuris. decretū Joem Wicleffū stimare

haereticū obiisse, ipsiusq ossa effodienda de libros ceremandos

§. 9 nihil magni actū.

§. 10 post iteratos citaes Papa ō ōparens Stu-

max judicatus ab oi administrae Papali lecta ~~suspensus~~ ē

§. 11 Accusaonū pt min 60 arti ~~publicati~~

publicati ~~Significatu~~ qbs ~~Joes Papa nihil voluit~~

~~removere. pruittens de suo se juramento~~